









P4

12 J.

ONVPHRII PANVINII
ANTIQVITATES
VERONENSES.


PAX
TIBI
MAR
CE
ONVPHRII PANVINII
VERONENSIS
ANTIQVITATVM
VERONENSIVM
LIBRI VIII.
Nunc primum in lucem editi variisq. iconibus
et antiquis inscriptionibus locupletati.
PACIS OPVS
Typis Pauli Frambotti. Sup permissu
CIↃ IↃCXLVIII

ILLVSTRISSIMIS ATQVE SAPIENTISSIMIS

DVVM VIRIS,

ET NOBILIVM CONSILIO

VRBIS VERONAE

PAVLVS FRAMBOTTVS F.



Edit ad vos ONVPHRIVS vester, ſimulque mortis poſtliminio lucem reviſit. Nam licet tot ingenii fœtibus ſibi ſuperſtes nil præter cutem ac neruos morti conceſſerat, nouiſsimo hoc partu aduerſam Lucinam expertus vitam ſimul dedit, et perdidit, atque aliquid ultra mortem paſſus pæne totus periit. Nam PANVINIO fatorum inuidia intra juuentam rapto in ultimo hoc fœtu ferè iterum fortuna peccauit, qui lucis nondum patiens paterno funere abſtractus fuiſſet, et cui genitor non riſerat, eum nec Deus menſa, nec Dea cubili dignata eſſet, niſi veſtra pietas tanquam de Semeles utero reciſum adhucque rubentem tolli, atque educari juſsiſſet, adoptaſſet, ac tanti ciuis deſiderium poſthuma prole leniiſset. Interim tamen, quod de Erichteo poetæ prodiderunt, in occulto ali mandaſtis, ne immaturus atque informis partus parentem dedeceret. Sic ille ipſo lucis exordio damnatus tenebris, ac veluti in ortum reuolutus eſt, quaſi ſibi non patriæ genitus eſset. Sed tam præcipitis conſilii inuidiam literarius orbis deprecatus eſt, et quodcunque demum PANVINIO genitum eſset publici juris fieri tantum non conuicio extudit. Nec animo æquo tamdiu hoc depoſitum latere paſsura erat Roma, quæ PANVINII opera è ſepulchris, ac parietinis eruta, temporis iniuriis erepta, luſtratiſque faſtis, atq; omni æuo ſub legibus miſso, ſibi atque origini reddita, aſserta in priſtinum

ſtinum

ſtinum ſplendorem, et quo Latii faſces non penetrarant PANVINII calamo porrecta Imperii maieſtate eum parenti Romulo æquare non dubitat. Sed maximè omnium ſplendidiſsimæ iſtius Coloniȩ intererat, ne id diutius in occulto eſset, quo gentis auguſta primordia, æquata ſuperis origo, ſoli cælique certamen, miſtus Romano Gallicus ſanguis, ſocia arma, tot belli paciſque miracula, donata Quiritibus ingenia, non decedens Tiberi Atheſis, atq; uno ſeptem colles prouocans VERONA æternitati ſacrata eſset. Nec ultra dilata lux eſt, et de patriæ adytis arcanum hoc pignus productum. Ipſe quoque in partem felicitatis vocatus ſum, ut typis meis naſcenti infanti obſtetricarer, qui ut olim Dionyſius ſemel conceptus iterum natus eſt: niſi quod ille à matre cadens patri, hic à patre exceptus patriȩ inſertus eſt. Hanc Deûm progeniem, PANVINII incrementum primis munuſculis mihi propitiare ſtudui, et redeunti in patriam crepundia obtuli patriȩ ipſius ære ductam imaginem, veteris VERONAE de tanto corpore membra nondum injuria vetuſtatis victa, tot incendiis ac barbarorum rabie reſtantia, Romanæ maieſtatis imitamenta, fortius quàm Romanæ moles ætati obluctata. Nec dubito quin eo viſo dicturi ſitis.

Sic ille manus, ſic ora ferebat.

Quidquam tamen addere, vel demere, fingere, aut refingere religio fuit, mangonium vero fucum adiicere, et tamquam ex pædagogio ephebum oblita facie producere, illiberale facinus viſum eſt. Sat ſcio nęuis quoque amatores rapi, et ipſam infantium balbutiem parentes exoſculari. Sanè PANVINIVS

emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

Valete. Patauii Cal. Maj. MDCXIILX.

MAR-

MARCVS ANTONIVS CLODIVS
I. V. D. & Comes
P. C. V.


Vod mihi, cum P. Paulo Marchione Malaſpina, æterna Viro commendatione digniſsimo, munus commune P. C. feciſtis, egregium ut opus Onuphrij Panvinij noſtri, quod diuturna oblivione delituerat, in lucem aliquando mortaliumque proſpectum ederetur, Marchione immatura, & non immeritò deplorata morteperempto, ſolus eo animo ſubivi, eaque perficere ſedulitate curavi, ut nec Vos veſtræ in me electionis, neque id cumplurimum inhiantes eruditiores conceptæ de me expectationis pœniteret. Ecce jam prodit, laboribus ſumptibuſque neglectis, quibus nunquam & nuſquam onere in tanto duxi eſſe parcendum. Prodit characterum elegantia, imaginum pulchritudine decorum, licet proprijs nitens ſplendoribus mutuato lumine non indigeret. In patriam Panvinius redit, qui Patriæ, qui Romæ, Italiæ totiuſque propè orbis terrarum antiquiſsimo tenebrarum tecta ſilentio detegit ornamenta. Plaudite ob id Cives, & promerenti civicam exhibete coronam. Studium porrò obſequiumque meum, ſi à vobis benignè fuerit exceptum, mercedem mihi maximam ampliſsimumque videar honorem aſſequutus.

§ Paulus

PAVLVS FRAMBOTTVS

LECTORI SALVTEM.



Agno fortunæ crimine factum est, ut ONVPHRIVS PANVINIVS vir ad antiquitatis studium excitandum, omnisque veteris memoriæ notitiam reparandam natus, magnis editis operibus, in maximorum molimine & apparatu exstingueretur. Vix dici potest quanto id bonorum luctu, literarum incommodo, sed præcipuè patriæ ipsius detrimento, contigerit: non tam quod ciuem, scriptoremque clarissimum amiserit, quam quòd tot laborum, ac vigiliarum, quas ille in patria exornanda exhauserat, solidum fructum, ac gaudium ferre non potuerit.

ONVPHRIVS enim postquam fugientem rei Romanæ memoriam ex ruderibus ac sepulchretis excitauit, & repurgatis Fastis ad longè maximum Ecclesiasticorum Annalium opus purpurato scriptori viam muniuit, post triumphos ludosq; Circenses è profundo vetustatis erutos, atq; ut omnia uno verbo cõplectar, post Romã Romæ redditã, veluti in se recedens patriæ annales grandiorem atq; uberiorem senectuti materiam seposuit: immo senectuti minimũ credulus, veluti cum satis festinans opus patriæ adprobaret, in ipso opere consumtus est.

Quod si maiores in luce moras fata dedissent, haud scio an alia Italicarum Vrbium sicut vetustate originis, ita scriptoris gloria, ac diligentia cum VERONA decertare posset. Sed intra nonum ac tricesimum annum mors atris alis oppressit, magnis ingenijs semper infesta, patiturque eadem pronas animas, atque inertes, seculi incommoda ac dehonestamenta ad extremos usque humanæ vitæ terminos perdurare. Hoc tamen Panuinius mortis imperium deuicit, quod vita fugiente opus nihilominus confecit, licet perficere ac perpolire extremamque manum imponere properante fato vetitus sit.

Diu tamen posthuma proles delituit, ac ferè parentem ipsum secuta esset, ni prouida Decurionum mens patriæ commodis excubans grande hoc patriæ decus leto vindicasset. Nam cum nescio unde thesaurus hic erutus esset, Decurionum decreto negotium datũ est Marchioni P. Paulo Malespinæ, & Comiti M. Antonio Clodio Vrbis primoribus, ut publici iuris fieret. Ita duo priores libri editi sunt, & ab Alexandro Becello Vrbis Cancellario meritò inscripti Comiti Vincentio Medicæo, & Io. Spoluerino Equiti Duumviris, quorum ille eximia nobilitate, ac virtute iam fatis concessit, hic superstes urbem, ac seculum exornat, eloquentia, gratia, singulari in patriam pietate, opibus, ac principum hospitio summum in eadem patria locum iam diu adeptus.

Additum Decreto est, ut ad veteres æneas tabulas Torelli Sarainæ postulato ab eximio pictore atque architecto Carottio delineatas aliæ adderentur, quibus visendæ Vrbis partes, ipsaque antiquitatis miracula exprimerentur. Dum hæc sedula principum cura, ac ciuium opera ad urbis decus properantur, ex transuerso pestilentia incurrit, qua typographicæ operæ disturbatæ, Becellus ipse, & tabularum sculptor abrepti sunt. Et quasi non satis infortuniorum esset pestilentiam incendium excep[illegible] conflagrauit, & in eo cælatæ tabulæ liquefactæ atque ad informe æs redactæ sunt.

Hisce quidem flammis Palladium ereptum est, sed veluti iterum tenebris, ac carceri mancipatum, nisi eximia virtus, & singularis in patriam pietas Cottij Archipresbyteri subuenisset. Qui sicuti Romana Cottiæ gentis nobilitate, literarum studio, probitate, ac vitæ splendore nemini secundus est, ita in opere hoc eruendo, atque difficultatibus, quæ editionem morarentur, pertinaci studio exhauriendis mortales omnes anteiuit. Nam ubi primum pestilentiæ vis remisit, subodoratus apud Alexandrum Frattam I C. Panuinij Codicem post Becelli mortem seruari, ipsum Frattam impulit, uti eum publico ne inuideret. Ita ille tantum pignus patriæ concessit, simulque seruati ciuis eximium decus promeritus est. Interim Cottius illud animo agitabat, ut hoc opus in Germania, aut Gallia typis vulgaretur, quasi in Italia satis apposite atque eleganter excudi non posset, ex quo scilicet cum ipsis literis literarum propagatrix ars typographica trans Alpes excessisset.

Id ubi intellexi, summis precibus ab eodem, atque à Comite Clodio, penes quem futura erat huius editionis gloria, contendi, ut typis meis Panuinium publicari paterentur. Annuerunt illi qua sunt humanitate, Codicemque transmiserunt ex autographo Panuinij descriptum, ipsum autographum missuri, nisi publico Decreto cantũ fuisset, ne is unquam èfferri ex tabulario posset. Itaque, & quòd Panuinius perficere non potuit, & quòd authographũ consulere nõ licuit, multæ mendæ irrepserunt, multa nobis cũ excusatione præfanda sunt, cùm in Historia ipsa, tùm in temporũ ratione. Et mendas quidẽ ipsas importuniores facile viri doctissimi sustulere, quos super editione consului, ceterũ reliqua grauiora non ausi sunt attingere, atque hanc Apellis Helenam perficere.

Dum autem æreæ tabulæ exciduntur toti tres anni effluxerunt, magno moræ pretio, dum unusquisque certatim veteres inscriptiones, lapides, ac fragmenta transmittit. In quo præcipuum decus promeriti sunt Canonici literis omnibus exculti, & antiquitatis amore cum paucis comparandi, Cottius de Cottis Archipresbyter, cuius opera accessere demum venerandæ vetustatis Cimelia ex Academia Philarmonicorum deprompta, & Io. Baptista Lisca Archidiaconus, itemq; Iacobus Rosinus, qui libro Saraynæ manu scripto huic operi non parum contulit. His & alijs pluribus, quos longum esset percensere, debebit Lector quidquid hæc editio præstabit, labores porrò & vigilias editioni impensas æqui bonique consulet.

ONVPHRIVS PANVINIVS.



VERONA, Cenomanorum urbs antiqua & ampla, Brenni Gallorum Ducis opus, cùm civium nobilitate, populique frequentia semper floruerit, tum multò clarissima fuit à viris, quos ingenio doctrinaque prǽstantissimos edidit. Cives illius sunt Poetarũ amœnissimus Catullus, Aemylius Macer, Guarinus Orator, & naturæ nimiùm curiosus indagator Plinius, nunquam perituris æternę famæ tabulis inscripta nomina: quibus non exiguum additamentũ jungitur ONVPHRIVS noster PANVINIVS, vir ingenii maximi, & simul (quod insolens) studii indefessi; cui quantum tota Respublica litteraria debeat, memorari ex justo nequit. Sacram omnem profanamque historiam non modò evolvit accuratissimè; sed rerum præterea seriem ac tempora distinxit, expressit, lumenque accendit omnibus, qui ad scribendum postea animum appulere. Tomos duos Annalium priores, quos magno cum Ecclesiæ fructu atque ornamento perscripsit Cæsar Baronius, noster ONVPHRIVS delineasse anteà, & primam eorum graphidem posuisse creditur; quos deinde Cardinalis composuerit, poliverit, evulgaveritque. Creditu admodùm difficile est, quàm profundè se libris quasi immerserit, ut planè immori illis, aut potiùs in ijs solis vivere videretur. Primum vitæ florem, & quod reliquum vitæ (nimium brevis) duxit, totum lucubrationibus assiduis consecravit. Hinc non tantùm eruditissimis, sed Principibus quoque viris in pretio fuit: quod ei exitio fuisse exitus comprobavit. Cùm enim Alexandrum Farnesium S. R. Ecclesiæ Cardinalem & Pro-Cancellarium in Siciliam comes secutus fuisset, Panormi fato iniquo, quia immaturo, è vivis raptus est: sed memoriam ejus nulla dies eripiet, quam librorum præclara monumenta immortalem reddiderunt.

Vidit ut ONVPHRI iam lumina morte natare
Musa, cui Historica nomina laude fluunt:
At tibi fatalis, clamat, tristisque Panorme,
Historiæ tollis quæ mihi grande iubar;
Ipsa memor quoties fueris morientis ONVPHRI,
Ex oculis lacrymæ fluminis instar erunt.

Virorum doctissimorum de
ONVPHRIO PANVINO
Testimonia.

Paulus Manutius. Lib. 2. Epist. 4. ad Antonium Augustinum, Pontificis Romani ad Regem Romanorum Legatum.

ONVPHRIVS PANVINIVS, ille antiquitatis helluo, spectatæ iuvenis industriæ, & ingenio ut probitate præstans, hic est, eritque, ut video, in aliquot menses. Imprimit suos Fastos cum commentariis, & interim adornat alia: sæpè litigat obscuris de rebus cum Sigonio nostro: sed utriusque bonitas, mutuus amor, excellens ad cognoscendum iudicium facit, ut inter eos facilè conveniat.

Idem lib. 3. epist. 17. ad M. Antonium Muretum.

Libri aliquando exierunt, quos ad te mitto, ONVPHRII PANVINII. Non dubito, cùm legeris, quin meum de illius præstanti virtute testimonium confirmes. Habet alia in manibus, unde fructum studiosi capere vel maximum possint. Quæ ut adeat maturius, otium illi exoptare, qui rerum nobilium scientiam appetunt, omnes debent.

Iosephus Scaliger lib. v. de Emendatione temporum f. 248.

ONVPHRIVS, optimus vir, & in cuius obitu omnes numeri Historiæ collacrumarunt.

Idem lib. vi. f. 264.

ONVPHRIVS PANVINIVS est Pater Historiæ.

Ioannes Frisius in diebus emortualibus virorum armis litterisque celebrium.

ONVPHRIVS PANVINIVS Veronensis Eremita Augustinianus, antiquitatis indagator solertissimus.

IVSTVS LIPSIVS.
in Panegyricon Plinii.

ONVPHRIVS, verus pater Principalis historiæ, & Fastorum.

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS

Historiarum sui temporis Lib. 43.

ONVPHRIVS PANVINIVS Veronensis Eremita Augustinianus, vir ad omneis & Romanas, & Ecclesiasticas antiquitates è tenebris eruendas natus: quod præclara eius & ad omnem æternitatem victura monumenta testantur. Qui Alexandrum Farnesium Cardinalem præcipuum patronum suum in Siciliam prosecutus, alienissimo & sibi & publicæ utilitati, cui in Eccles. Hist. concinnanda inserviebat, tempore, Panhormi obiit XVIII. Kalend. April. cùm annum tantùm ætatis xxxix. attigisset.

ONVPHRII PANVINII

Libri, qui publicam lucem viderunt, prælo expressi.

Epitome Pontificum Romanorum à S. Petro usque ad Paulum IV. Gestorum videlicet, Electionisque singulorum, & Conclavium compendiaria narratio. Venetiis 1573.

Cardinalium item nomina, dignitatum tituli, insignia, legationes, patria, & situs. Venetiis 1557.

Platina de vitis Pontificum restitutus, cum 60. ad eas Adnotationibus, & Additione Pontificum à Sixto IV. usque ad Pium IV.

De præcipuis urbis Romæ sanctioribus basilicis, quas vij. Ecclesias vulgo vocant. Coloniæ 1584.

De primatu Petri, & Apostolicæ Sedis potestate, libri III. Venetiis 1591.

Chronicon Ecclesiasticum à C. Iulii Cæsaris imperio usque ad Imperatorem Maxæmylianum II. Coloniæ 1568. & Lovanii 1573.

De antiquo ritu baptizandi catechumenos, & de origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnus-Dei vocantur. lib. I.

De Sibyllis.

Chronicon Ordinis Eremitarum à D. Augustini tempore usque ad annum 1550.

Interpretatio multarum vocum Ecclesiasticarum, quæ obscuræ vel barbaræ habentur. lib. I.

De ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos, & eorum cœmeteriis. lib. I.

De stationibus Vrbis Romæ. lib. I.

Fasti & Triumphi Romanorum, à Romulo usque ad Carolum V. Imperatorem, additis Impp. Occidentalium & Orientalium iconibus. Venetiis ann. 1557. & 1573. item Heidelbergæ 1588.

Commentarii Reipublicæ Romanæ. libri III. Venetiis an 1558. & Francofurti 1597.

Commentarius de Triumpho. Venetiis in folio regali 1571. & Patavii 1642

Commentarii in Fastos Consulares. Venetiis.

Civitas Romana. Ibidem. 1558.

Viginti septem Pontificum Rom. elogia & imagines accuratissimè ad vivum æneis typis delineatæ.

Libri IV. de Impp. Romanis, Græcis, & Latinis: deque iis, qui suum habuere imperium in Italia, Gothis, Longobardis, Francis, Germanis, Hispanis, & aliis Nationibus, cum eorum Genealogiis & Arboribus à Cæsare usque ad Ferdinandum Imperatorem.

Liber de Ludis Circensibus cum æneis iconibus. Venetiis an. 1602. & Parisiis 1600.

Libri qui prodierunt manu scripti.

Quinque libri de Comitiis Imperatoriis, quibus expenduntur varii, atque adeò omnes modi eligendorum Imperatorum à Cæsare usque ad Maxæmilianum II. cum Institutione VII. Electorum Imperii. Extant Monachii in Bavarica Bibliotheca.

De Ecclesia, Baptisterio, & Patriarchio Lateranensi.

Historia familiæ Frangipaniæ. lib IV.

Historia familiæ Sabellæ. lib IV.

Historia familiæ Maximorum. lib. I.

Historia familiæ Cenciorum. lib. II.

Historia familiæ Matthæorum.

Libri absoluti, sed in lucem non emissi.

De origine septem sacrorum ordinum lib. I.

Collecta è viginti libris spiritualibus sive cærimonialibus de sacrificio Missæ, à Christi Domini tempore usq; ad annum 1300. *unà cum plerisq; declarationibus rerum Ecclesiasticarum, Stationum, Indulgentiarum, sive condonationum; Interpretatione quoque rerum, seu verborum à Scriptoribus Ecclesiasticis usurpatorum.*

De dignitate Sedis Apostolicæ, & de potestate Summi Pontificis contra Centuriatores hæreticos. Quæ, & inscripta est Historia Ecclesiastica.

Quinque libri de creationibus Summorum Pontificum: deque morte ipsorum, interregno, legibus ea de re sancitis, à D. Petro usque ad Pium IV.

De origine Cardinalatus.

Chronicon Ecclesiasticum Summorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Conciliorum, Virorum sanctitate ac doctrina illustrium.

Vi-

Vitæ Patriarcharum quatuor primarum sedium.

Libri X. de antiquis & recentioribus Ecclesiis, Monasteriis, Cœmeteriis, & aliis piis locis Vrbis Romæ.

Breve iudicium de Historiis antiquis, Latinis, & Græcis.

De antiquis Vrbis Romæ ædificiis.

De Antiquorum superstitione, sacrificiis, auguriis, haruspiciis, sortibus, sacris epulis.

De Porticibus, unà cum tribus millibus Inscriptionum Romanarum.

Libri X. de Antiquitate, & Historia Virorum illustrium Veronæ suæ patriæ.

Libri partim delineati; partim semiabsoluti, partim absoluti, sed non recogniti.

De antiquis institutis, ritibus, cæremoniis, & usibus Ecclesiæ Romanæ.

De antiquis Officiis, & Magistratibus Vrbis Romæ.

Brevis collectio Conciliorum Generalium, & Provincialium.

Vitæ Archiepiscoporum & Primatum primariarum Ecclesiarum Occidentis, Aquileiæ, Gradensis, Ravennæ, Mediol. Moguntiæ, Treveris, Coloniæ, Toleti, Cãturberii, Senonẽsis, Lugduni, Carthaginis, & eiusmodi aliarũ.

Historia Ordinis Eremitarum; & de Origine aliorum Ordinum Religiosorum, qui sunt apud Christianos.

Historia Ecclesiastica Vniversalis.

Breviarium Imperii Romani, cum iis, quæ pace bellove gesta sunt Romæ, & foris, à Romulo usque ad Iustinianum Imperatorem.

Volumen, quo universus mundi status describitur; tam de iis, quæ ad Religionem, quam quæ ad Politiam spectant. Itaque & de sectis, hæresibus, Ethnica impietate. De vera autem Religione in primis, mox de falsis seu abolitis, Iudaica, Mahometana, & aliis; deinde & de Imperiis, Regnis, Rebus-publicis, Bellis inter eas, Opibus, Dependentiis, ut vocant, & Origine uniuscuiusque Principatus.

LVDOVICO TVRRIANO, MARCHIONI, ET COMITI VERONENSI.

Mihi pulchrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur: *nec Plinio alia mens fuit Lib. 5. Epist. 8. Proinde, cùm in luce ingeniorum Veronensium ONVPHRIVS PANVINIVS maximam famam provocare potuerit, & gloriam; hunc Elogii honorem, qualiscunque sit, habitum ei volumus; tibique dicatum, quo nihil in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius in Vrbe nostra reperitur. Planè, si neque venustate, aut elegantia, at certè propensa in tuas laudes voluntate exiguum hoc munusculum satis se tibi commendabit: cui multiplex laudatio Cozzæ Cottæ,* omnium, qui vivant (*qualis Antipho Terentianus*) hominis ornatissimi, *me omninò adiunxit. Vale.*

B. Bruschius.

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS ELOGIVM.

Exornat Veronæ gloriam ONVPHRIVS PANVINIVS, Vir omnium seculorum memoria perquàm dignus: cui præstantissimi suæ virtutis præcones contigerunt, Carol. Sigonius, Paulus Manutius, & Iustus Lipsius, Viri termaximi: *magnum Antiquitatis assertorem, helluonem; spectatæ iuvenem industriæ, ingenio, ut probitate, præstantem; Virum industrium, diligentem, cui Romanæ memoriæ debent, debebuntq;*, illum deprædicantes. Hoc unum non minus verè, quàm liberè dixero: In PANVINIO laudando, qui solùm, quod scire noluit, ignoravit, nihil dici tam amplum, & magnificum posse, quin plurimis omninò partibus ab ejus virtutum præstantia superetur. Quandoquidem is generosa perantiquæ familiæ stirpe oriundus, quę annis abhinc quadringentis Cremona Veronam demigravit, pubes factus; pio religiosi animi decreto Eremitarum D. Augustini familiæ nomen dedit. Cumque peracri judicio, & indefesso studio secretiores doctrinarum recessus, & penetralia admirabiliter invasisset; à Hieronymo Seripando, supremo illius Ordinis Præfecto, sacraque posterius, & altissimæ proxima, fulgente dignitate, Romam adductus est. Vbi gentium egregium fœcundi & maximè eruditi ingenii specimen præbuit, Historicosque omnes, quotquot undique in manus cadere possunt, accuratissimè pervolutans, totum se discendis, & conscribendis Historiis plausibiliter tradidit. In quibus sic excelluit, ut paucos habuerit pares, superiorem fortasse neminem. Nimirum satis constat, res Romanas priorem illum è tenebris Historiarum eruisse, in ordinem digessisse, atque in lucem eduxisse; pertinaci quidem studio, & exquisita rerum omnium indagatione. Propter quod summo semper in precio fuit apud viros Principes, Reges, Imperatores, Pontificesque; variis locupletatus muneribus. Magna quoque pars, & præcipua extitit gloriosæ illius Vaticanæ Academiæ, ex qua olim Principes, Reges, Cardinales, & Pontifices prodierunt: quæ mihi summa, & celeberrima videretur hujusce Viri laus, si nulla alia extaret.

Cùm verò oculi contemptus auctores esse soleant; PANVINIVM nemo vidit, quin pluris, quàm anteà, fecerit: nemo propius, fixiusque contemplatus est, quin magis suspexerit. Nihilque antiquius illi fuit, quàm ut cupiditates, & motus animi à ratione abhorrentes, atquę honestate, quammaximè frangeret. Adamatus est mirum in modum à Marcello Cervino Cardinali, doctrina pariter, & sanctitate spectatissimo: qui Pontifex declaratus, ad præaltas rerum maximarum spes PANVINIVM excitaverat, erexissetque munificè, & liberaliter, nisi intra xxij. diem, vixdum inito Pontificatu, excessisset è vita. Acceptissimus itidem

vixit in contubernio Alexandri Farnesii, Purpuratorum Patrum munificentissimi; qui nihil, nisi ingenio perfectum, industria elaboratum, virtuteque absolutum, approbare consueverat. Hunc ille dum sequitur, in Siciliam proficiscentem, lethali febre correptus, xviij. Kal. April. MDLXVIII. Panormi extinctus est, nonũ, & trigesimum annum agẽs; Romæque in templo S. Augustini sepultura honestatus: eo apposito Epitaphio, quod Amici, studiis ævoque conjunctissimi, conscripserant. Quinque supra sexaginta, diffusa, erudita, laboriosaque exaravit volumina: ex quibus plura typis tùm Italicis, tùm Germanicis, incredibili omnium commendatione excusa sunt: alia malè perierunt: alia verò alieno nomine falsò insignita circumferuntur. Patria Historia, cujus editionem Veronensium Decurionum decreto molitur Alexander Becellus, ingenij elegantia, & erudita laude monstrabilis, per orbis oras propediem volitabit.



INDEX AVCTORVM.

INDEX CAPITVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

Index Capitum.

LIBER V.

LIBER VI.

THEOLOGI.

PHILOSOPHI.

MEDICI VERONENSES.

IVRE CONSVLTI.

POETÆ ET ORATORES.

HISTORICI.

ORA-


Index Capitum.

ORATORES LITERATI.

VERONENSES BELLICA LAVDE ILLVSTRES.

LIBER VII.

LIBER VIII.



IOANNES COTTA.

Verona, qui te viderit,
Et non amarit protinus
Amore perditissimo,
Is credo se ipsum non amat,
Caretque amandi sensibus,
Et odit omnes Gratias.

SERIES

VERONÆ TOPOGRAPHIA VIRGILIO-CENTONE EXPRESSA.

AD HIERONYMVM PRIOLVM, ALOYSII F. FRANCISCI D. MARCI PROCVRATORIS N. SENATOREM AMPLISS.

2. ge. *SALVE magna parens frugum, gratissima tellus.* 3. æn.
11. æn. *O decus Italiæ, quà se subducere colles* 9. æn.
9. ecl. *Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo*
9. ecl. *Vsque ad aquam, & scopulos, & depressas conualles.* 3. ge.
11. æn. *Cara mihi ante alias: ubi nunc ingentia cernas* 1. æn.
1. æn. *Mœnia, post varios hominumque, urbisque labores:* 2. æn.
3. ge. *Castella in tumulis, Athesim seu propter amœnum:* 9. æn.
2. ge. *Antiquasque domos, veterum penetralia Regum:* 2. æn.
4. ge. *Speluncisque lacus clausos, cuneosque Theatri:* 5. æn.
4. ge. *Te, dulcis fremitu assurgens, Benace, marino.* 2. ge.
11. æn. *Ipsa caput populis multos dominata per annos,* 2. æn.
3. æn. *Terra antiqua, potens armis, & nuncia Veri.* 4. æn.
4. æn. *At Regina graui iamdudum iuncta Leoni,* 10. æn.
1. æn. *Desuper imperium pelagi, sæuumque tridentem* 1. æn.
1. æn. *Est cui forte datum, tenet illa hanc fœdere certo:* 1. æn.
4. ecl. *Pacatamque regit patriis virtutibus Vrbem.* 1. æn.
9. æn. *Macte noua virtute, animo gratissime nostro;* 12. æn.
5. æn. *Quem genuit, multaque insignem reddidit arte,* 5. æn.
8. æn. *Gens bello præclara, genus quæ ducit Olympo;* 6. æn.
6. æn. *Magnanimi Heroes nati, Cornuque recuruo* 7. æn.
1. æn. *Qui mare, qui terras omni ditione tenebant.* 2. æn.
10. æn. *Hoc virtutis opus, si quid mea carmina possunt,* 9. æn.
2. æn. *Accipe nunc, nostri monimentum, & pignus, amoris.* 5. æn.

B. Bruschus.



SERIES ICONVM.

Accedunt Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. COTTII de Cottiis Archipresbyteri & Canonici Veronenſis cura.

ONV-



ONVPHRII PANVINII VERONENSIS

FRATRIS EREMITÆ AVGVSTINIANI ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER I.

PRÆFATIO.



VERONENSIVM antiquitatum ſcribendarum, quas hoc libro latinis literis mandare inſtitui, ea mihi demum commodiſſima ratio viſa eſt, quam pleroſque veterum ſcriptorum in priuatorum hominum vita, & rebus deſcribendis ſeruaſſe animaduerti: Hoc eſt vt initium ſcribendi ab antiquiſſimis ipſius Vrbis parentibus, & vetuſtiſſimis maximè temporibus duceretur. Valet enim plurimum, quùm ad Vrbis Nobilitatem intelligendam, tùm ad eam illuſtrandam antiquiſſima eius primordia, ac propè exordia, quaſi familiæ eius origines accuratè cognoſcere. In hac autem re tradenda mihi diù verſanti illa ſe non parua difficultas obiecit, quòd in ſummo antiquitatum noſtræ Vrbis aperiendarum ſtudio, vix ſatis quod pro certo afferre poſſim de his, qui Vrbem noſtram condiderunt, habeo. Originis enim eius vetuſtatem incredibilis ſcriptorum, qui de ea tradiderunt, varietas indicat. Varias certè & parum inter ſe conſtantes veterum annalium de primis ipſius conditoribus ſententias reperio. Neque enim inter eos, vt in rebus nimia antiquitate obſoletis fieri ſolet, ſatis de ea re conuenit. Etenim ſunt qui eam à Rhætis, alij qui à Gallis, quidam qui à Venetis, alij qui ab alijs gentibus eius origines primas deducunt: Quas omnes ego omnino inde natas opinor, quòd hæ Gentes ea loca, in quibus nunc Verona eſt, tenuiſſe dicuntur. Quæ omnia vt accuratiùs tradi, & diſtinctiùs intelligi queant, harum omnium gentium, quæ inter Vrbis noſtræ conditores à Scriptoribus referuntur, initia atque incrementa aperiam. His enim cognitis, quid de his quoque, qui Veronam primi extruxere, credendum ſit, facilè intelligi poterit.

DE TVSCORVM NOMINE ET ORIGINE Caput. I. A



OMNIVM gentium, quæ Cispadana loca coluêre, vetustissimi Tusci referuntur, Tyrrheni, & Etrusci appellati, quorum progeniem Rhætos fuisse memorant. Eos quidam Italiæ indigenas, quidam verò aduenas fuisse scriptum reliquerunt. Et hi quidem, qui gentem indigenam eos fuisse tradunt, traxisse nomen à locis munitis referunt, quæ illi extruxerant, qui primi omnium hanc regionem incoluêre. Tyrses enim à Tyrrhenis appellantur extructæ & densæ ædes, quemadmodum etiam B à Græcis. Ab eo igitur euentu nomen tractum id credunt, sicut etiam Mosynœcis in Asia, nàm & illi ligneas turres asseribus erectis, altisque tabulatis compactas, quas Mosynas vocabant. Ex his verò, qui Tyrrhenos aduentitios fuisse scripserunt, aliqui eos ex Lydia Asiaticâ prouinciâ, quæ antè Mœonia vocata est, in Italiam transmigrasse tradiderunt Tyrrheno Lydo Duce, à quo etiam nomen adepti. Tyrrhenus autem à Ioue quinto loco natus est. Ex Ioue namque & Tellure genitum Masuen primum Mœonum Regem ferunt. Cuius & Calliroes Oceano satæ filium fuisse Cotyn. Ex Coty verò & Alice filia Thrasylli duos genitos Asian, & Atyn. Ex Aty porrò & Callythea Chorei filia Lydum, & Tyrrhenum ortos. Ac Lydum quidem, quùm domi remansisset, paternum Imperium suscepisse, eamque Regionem ab eo Lydiam di- C ctam. Tyrrhenum verò eorum, qui migraturi erant Ducem, quùm in Italiam venisset, multis in ea regionibus Bello acquisitis, nomen à se imposuisse Tyrheniam. Herodotus porrò Atys Masues filium fuisse Tyrrhenum, Mœonumque migrationem haud voluntariam fuisse scripsit. Tradit enim, quum Aty regnante frugum in agris Mœonum penuria accidisset, Homines patrij soli charitate deuinctos contrà eam calamitatem multa excogitasse remedia, queis id præcipuum fuit, vt alternis diebus modicè ederent, alternis ieiunarent. Verùm quùm malum diutius, quàm sperassent, traheretur, Lydorum Principes diuiso in duas partes Populo, eos quibus sors obtigisset, ad nouas sibi quærendas sedes duce Tyrrheno emiserunt. Hi accepta pecuniæ parte in Occidentem versi in Italiam venerunt, Vmbrorumque regiones, ijs pul- D sis, obtinuêre. Alij Tyrrhenum Herculis filium fuisse dixerunt ex Omphale Lyda, eumque quùm in Italiam venisset, Pelasgis ex aliquot Vrbibus eiectis, eas obtinuisse; ijsque gentibus à se dedisse nomen. Alij verò Telephi filium Tyrrhenum fuisse memoriæ tradidêre, profectumque in Italiam haud longè post bellum Troianum. Strabo libro. v. *Tyrrhenos* (inquit) *Romani Etruscos appellant, atque Tuscos. Graeci verò hoc eos nomine vocant à Tyrrheno Atyos filio, qui ex Lydia Colonos in hanc regionem (vt ferunt) dimisit. Atys porrò ex Herculis & Omphales progenitis fuit, qui quùm sterilitate, ac fame populum emittere cogeretur, è duobus filijs sorte iacta, Lydum quidem regni successorem tenuit. Tyrrheno verò maiorem Populi partem tradens ad quærendas sibi nouas sedes emisit. Hic postremò Italiæ quandam partem ingressus eam de suo nomine* E *Tyrrheniam nuncupauit. Quùmque ædificandis Vrbibus Tarcontem præfecisset, à quo Tarquinij nomen accepit, XII. Vrbes in Tyrrhenia condidit. Qua tempestate quùm sub vno Duce instructi essent, magna ipsorum potentia fuit. Posterioribus verò temporibus concordem illum regendi statum dissolutum fuisse, ex eo suspicari possumus, quòd eorum Vrbes à se inuicem diuulsæ finitimorum vicibus cesserunt, Tantamque agrorum feracitatem amittentes, maritimas latrocinando artes exercere coacti sunt. Quòd si concordes conspirassent, non modò incursantes propellere hostes potuissent: sed etiam vltrò bella inferre, & longinquas expeditiones actitare. Ab his Romani Triumphalia ornamenta, insignia consularia, magistratuum decora omnia, vt virgas, secures, lictores, tubas, sacrorum faciendo-*

rum

A *rum ritus, auguria, musica, & Ludos mutuati sunt*. Hactenus Strabo. Xanthus verò Lydus veteris Lydorum Historiæ accuratissimus scriptor, diuersa sentire videtur. Nam neque Tyrrhenum quenquam in omni historia nominauit Lydorum Principem, neque vllam Mœonum in Italiam migrationem refert, neque Tyrrheniæ tanquam Lydorum Coloniæ mentionem vllam facit, quùm humiliora alia pleraque commemoret. Hellanicus Lesbius in Phoronide, & Mirsilus, Pelasgos & Tyrrhenos eosdem fuisse referunt à varijs euentibus ita appellatos. Vtrumque reprehendit Dionysius Halicarnasseus, qui Tyrrhenos à Pelasgis diuersos fuisse multis rationibus ostendit. Qui etiam Tyrrhenos Lydorum colonos non fuisse ex Xanthi Lydij auctoritate profitetur. Quod & his rationibus etiam confirmat. Siquidem B Tyrrheni diuersum à Lydis sermonem, quam linguam appellamus, habuere, nec eosdem colebant Deos, nec ijsdem legibus, institutis, vel studijs vtuntur Tyrrheni, & Lydi. Quibus maximè argumentis Lydos à Tyrrhenis diuersos fuisse confirmari posse opinor. Vndè postremò Dionysius suggerit, Tyrrhenos potius indigenas Italiæ fuisse, quàm aduentitios, quandoquidem omnium gens vetustissima, neque alij similis aut sermone, aut moribus inueniretur. Hoc autem nomine vocatos eos à Grçcis fuisse siue ex habitatione in Tyrsibus, siue ex aliquo Principe nihil obstat, Nàm Romani (vt dixi) illos alijs nominibus vocabant. Etenim à regionis loco, quam aliquando incoluere Etruria dicta, Etruscos eos appellabant, ac propter diuinarum rerum peritiam, qua præ cæteris excelluêre, postea quidam obscuriùs atque corru- C ptiùs Tuscos. Ante enim exprimentes id nomen Græcorum more Tyoscous vocabant. Hæc porrò sunt, quæ de Tuscorum, aliàs Tyrrhenorum origine, & nominis ratione apud Dionysium, & Strabonem rerum Italicarum diligentissimos scriptores Græcos inueni.

DE TVSCORVM POTENTIA, ET IMPERII Magnitudine. Cap. II.

TVSCORVM antè Romanum Imperium latè terra, marique opes patuerunt, Mari supero, inferoque. quibus Italia Insulæ modo cingitur, D *quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum Mare ab Hadria Tuscorum colonia vocauere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum, atque Hadriaticum vocant. Hi in vtrunque Mare vergentes incoluere Vrbibus duodenis terras, prius vlterius Apenninum ad inferum Mare: posteà trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, colonijs missis, quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum* angulo, *qui Sinum circum colunt Maris Hadriatici, vsque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque gentibus haud dubiè ea origo est maximè Rhætis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinerent*. Ita Liuius. His Dionysij, & Liuij Testimonijs id manifestè colligitur, omnem E regionem, quæ posteà Gallia cisalpina, vel togata appellata est à Romanis, præter Venetos in Tuscorum olim ditione fuisse; quæ qua nam ratione, quo tempore, quibusue Ducibus à Gallis, qui Alpes transcenderunt ijs erepta, ipsorumque Imperium vlterius Apenninum contractum fuerit, quùm de Venetorum, & Euganeorum origine disputauero, exponam.

§§§§§§§§§§§
§§§§§
§

A

DE VENETIS, ET EVGANEIS. Caput. III.



CVM Veronam Tuſcorum Coloniam fuiſſe à quibuſdam memoriæ proditum fuerit, eorum idcircò originem breui ſermone perſtrinxi. Quod idem de Venetis, & Euganeis mihi nunc faciendum eſſe, eandem ob rationem conueniens exiſtimaui, quandoquidem Euganeorum Vrbem Veronam fuiſſe à Plinio ipſo Veronenſe libro. III. referatur. Ac primùm de Euganeis diſputabo, quòd priores hęc ipſa loca, ex quibus à Venetis exacti fuere, incoluerint. Euganei autem Indigenæ Populi fuerunt (Nàm Catonis illius, & Sempronij fragmenta ſuſpecta habeo, qui illos à Tuſcis, & Dardano Etruſco manaſſe ſcribunt, qui ea loca incoluerunt, atque à Tuſcorum nobilitate Euganeos vocatos) ad intimum Maris Hadriatici Sinum Alpes verſus locati, qui à Troianis, & Henetis, qui Antenore Duce poſt bellum Iliacum in eam Italiæ partem venerunt ſedibus auitis pulſi, Alpes occuparunt. A τὸ τῆς εὐγενείας dicti, ideſt à generis nobilitate. Nàm Euganeos Græci vocant, qui nobiles maiores habent, vt his verbis auctor eſt libro III. cap. XX. Plinius. Incolæ Alpium multi populi, ſed Illuſtres à Pola ad Tergeſtis regionem Secuſſes, Suboerini, Atalli, Menocaleni, iuxtàque Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici. His contermini Rhæti, & Vindelici. Verſo Italiam pectore Alpium Latini iuris Euganeæ gentes, quarum oppida XXXIV. enumerat Cato. Ex ijs Triumpilini venalis cum Agris ſuis populus. Dein Camuni, compluresque ſimiles finitimis attributi Municipijs. Sepontios, & Salaſſos Tauriſcæ gentis idem Cato arbitratur. Cæteri ferè Sepontios relictos ex Comitatu Herculis interpretatione Græci nominis credunt, præuſtis intrà Sinus Alpium niue membris; Eiuſdem & Graios fuiſſe poſitos in tranſitu Graiarum Alpium Incolas, præſtanteſque genere Euganeos indè tracto nomine. Caput eorum Stonos. Hos alij quidam ſine veterum teſtimonio Græcorum prolem fuiſſe opinati ſunt. Euganeos porrò plana loca inter Mare Hadriaticum, & Alpes coluiſſe, ipſoſque à Troianis, & Henetis pulſos ad proxima montana tranſmigraſſe his verbis initio libri primi tradit Liuius. *Tùm primùm omnium ſatis conſtat Troia Capta in cæteros ſæuitium eſſe Troianos, duobus Ænea, Antenoréque, & vetuſti iure Hoſpitij, & quia pacis, reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abſtinuiſſe. Caſibus deindè varijs Antenorem cum multitudine Henetûm, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi & Sedes, & Ducem Rege Pylæmene ad Troiam amiſſo quærebant, veniſſe in intimum Maris Hadriatici Sinum, Euganeiſque, qui inter Mare, & Alpes incolebant pulſis, Henetos, Troianoſque eas tenuiſſe terras, & in quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur, Pagoque inde Troia nomen eſt, Gens vniuerſa Veneti Appellati;* & cætera. Qui autem has regiones ante Euganeos coluerint incompertum. Ipſos ideò indigenas fuiſſe dixi, qui auitis ſedibus ab Henetis, & Troianis Duce Antenore Anno antè Vrbem Conditam cIↃXXX. ab hinc verò cIↃ cIↃ IↃ CCXL. pulſi Alpes (vt ſcribit Plinius) occupauere. De Euganeis Silius Italicus lib. VIII. ſic meminit.

B C D E

Euganea, profugique Sacris Antenoris oris.

Et Lucanus.

Euganeo ſi vera fides memorantibus Augur
Colle ſedens Aponus Terris vbi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur vnda Timaui.

Et Iuuenalis.

Et Euganea quantum vis mollior agna.

Neque de his quicquam memoratu dignum præterea inueni.

DE

A

DE VENETIS. *Cap. IV.*



E Venetis verba facturus operæ pretium est, quid de his Strabo. lib. v. scripserit, antè premittere. Inquit enim. *Antè omnia de subiecta alpibus regione dicamus. Est autem fœlix admodum campus, & fructuosis collibus varius. Hunc medium ferè Padus diuidit, eaque regio hinc Cispadana, hinc Transpadana dicitur. Cispadana quidem Montibus adiacet, atque Liguriæ: Reliqua verò Transpadana est. Ea verò loca hinc Ligurum, atque Gallorum Boiorum gentes inhabitant tùm in Montibus, tùm in* B *campis commorantium. Hinc Gallorum, Insubrum, Cenomanorum, Venetorumque. Galli quidem hi Transalpinis cognati, atque consanguinei sunt. Cæterùm de Venetis duplex est sermo; Quidam enim eos à Gallis eiusdem appellationis Oceani accolis colonos esse memoriae prodiderunt.* Vndè & ipse Strabo libro. IV. ita ait. *Post iam dictos populos reliqua Belgarum est Natio ad Oceanum, è quibus Veneti sunt, qui aduersus Cæsarem nauali certamine contenderunt. Hos ego Venetos esse opinor, à quibus Veneti sinum colentes Hadriaticum in coloniam deducti sunt. Reliqui enim ferè omnes in Italia Galli è Transalpina Gallia commigrarunt sicuti Insubres, Cenomani, Boij, & Senones.* Verùm propter nominis similitudinem Paphlagonas esse dicunt. Nonnulli enim, inter quos est Liuius, è Venetis, qui post Bellum Troianum cum Ante- C nore salutem assequuti, cursum huc è Paphlagonia tenuêre, descendisse affirmant, hoc vsi testimonio, sua in alendis equis industria, quæ hoc omnino tempore defecit. Antea verò summo apud illos in honore fuerat ab illorum imitatione, qui ad creandos ex equabus mulos studium agitabant, Cuius rei meminit Homerus.

Mularum genus è Venetis quæ robore præstant.

Et Apollodorus Zenodoti illud affert, qui scribit.

Ex Heneta Muli ducunt genus vndè feroces.

Dionysius quoque Siciliæ Tyrannus, hîc alendorum semen equorum constituit, quos ad equestre certamen tollebat, adeò vt per Græcos equinæ prolis Venetæ nobilitas maneret, & ad longa tempora propago ipsa famam vendicaret. Tota itaque D Regio fluminibus, atque plaudibus Venetia maximè referta est, cui adest & Maris conditio. Posteriorem etiam de Venetis sententiam Polybius libro II. & Cato apud Plinium libro III. cap. XIX. sequutus est, qui Venetos Troiana stirpe ortos scriptum reliquit. Et libro XIII. hanc sententiam à maiori scriptorum parte, & præsertim à Sophocle laudatam scribit, quùm ait. *Sophocles in captiuitate Ilij Antenorem & filios eius cum Henetis in Thraciam seruatos tradit; indè circà Hadriam in eam partem venisse, quæ nunc Henetia nominatur.* Idem Cornelius Nepos, & libro XX. ex Trogo Iustinus, qui depugnata Troia Venetos ex Lydia Antenore Duce huc venisse tradunt. Et lib. XII. idem Strab. vbi Paphlagoniam describit. *Posteà* (inquit) *est Paphlagonia, & Heneti. Sed quærunt quos nàm Poeta Henetos dicat quùm ait*

E *Paphlagonasque ferox ducebat in arma Pylæmon,*
Ex Henetis, muli ducunt genus vndè feroces.

Nunc dicunt nusquam Henetos in tota Paphlagonia ostendi. Quidam dicunt Vicum esse in littore decem Schœnis ab Amastri Æmula distantem. Zenodotus de Henetia scribens putat eàm significari, quæ nunc Amisus appellatur. Alij Nationem quandam Cappadocibus finitimam prodiderunt cum Cimerijs militasse, posteà Hadriam peruenisse. Sed quod maximè inter omnes constat est, quòd Heneti clarissima Paphlagonum Natio erant, ex qua Pylemnes fuit, cum quo plurimi ex illis militarunt; amisso autem Duce post captam Troiam in Thraciam transierunt; errantes verò in eam Regionem deuênere, quæ nunc Henetia appellatur. Quidam Antenorem dicunt, & eius filios Classis huius principes in inte-

riore

riore Hadriæ recessu constitisse, atque ideò verisimile est, Henetos defecisse, & nusquàm in tota Paphlagonia apparere. Et paulò post. *Henetos à Leucosyris profectos Troianis auxilium tulisse, atque indè cum Tracibus digressos in Hadriæ sinu habitasse Mæandrius putat: Henetos verò Cappadoces huius expeditionis non fuisse participes.* Hinc falsi Catonis, ficti Berosi, & Sempronij illius testimonia suspecta reddi possunt, qui eos à Phaethonte originem traxisse scribunt, Venetosque principio Phaethonteos, mox à Phaethontis abnepote Veneto, Venetos appellatos. Vndè Berosus ille ait. *Venetus Eridani filius, alterius Veneti Nepos, & Titæ pronepos, qui à Phaethonte oriundi sunt filio Liguris Ægyptij, qui Phaethon in Italiam veniens possedit cum posteritate suat totum Eridanum vsque in Regionem proximam Istris relinquens nomina locis.* Cato verò. *Venetis* (inquit) *prima origo Phaethontea est, quæ Græcis occasionem mentiendi de Phaethonte & Eridano præbuit. Posterius mixta his nobilis stirps Troiana, à quibus Patauium suo conditore inclytum.* Sempronius autem. *Nàm vsque Atrianum Fluuium, qui limes est Vlturrhenorum, & Venetorum tenuere Hetrusci, et Venetiam principio quidem Phaethonthei, posteà Troiani eisdem immixti coluerunt.* Ad Strabonius posteriorem sententiam alludere videtur Virgilius libro primo Æneidos, vbi de Antenore Venus ad Iouem ita loquitur.

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & Fontem superare Timaui,
Vndè per ora nouem vasto cum murmure montis
It Mare præruptum, & Pelago premit arua sonanti;
Hîc tamen ille Vrbem Pataui, Sedesque locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit.

Et Silius Italicus lib. VIII.

Tum Troiana manus tellure antiquitus orti
Euganeâ, profugique sacris Antenoris oris,
Nec non cum Venetis Aquileia superfuit armis.

Porrò autem, quùm Veneti Euganeorum loca occuparint, sæpè vtraque nomina apud scriptores confunduntur. Nàm & Euganej pro Venetis, & Veneti pro Euganeis accepti. Hinc Martialis Epigrammaton lib. I. de Litoribus Altini.

Æmula Baianis Altini litora Villis,
Et Phaethontei conscia silua rogi,
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella Lacus,
Et tu Ledæo fœlix Aquileia Timauo,
Hîc vbi septenas Cyllarus hausit aquas.
Vos eritis nostræ portus, requiesque senectæ,
Si iuris fuerint ocia nostra sui.

Quùm etiam Plinius lib. III. Euganeorum Veronam Vrbem fuisse scribit, Venetos intelligit, qui Euganeorum agros obtinuere.

DE

A *DE VENETIÆ TERMINIS, VRBIBVS, ET FLVMINIBVS. Caput. V.*



ARIOS veterum Prouinciarum, & pro Dominantium imperijs sæpè earundem terminos constitutos, mutatos, porrectos, & contractos fuisse, satis manifestum est. Quibus distinguendis optima semper ratio existimata est Fluuiorum termini. Omnium ferè Orbis terrarum Prouinciarum iura, vel Mari, vel Fluminibus separantur. Id etiam aliquando præruptis, asperrimisque montibus, vel mutuo metu fit. Quòd verò cæteris Prouincijs, & Venetiæ accidit, cuius vetustissimi termini, vt ex antiquis au-
B ctoribus accepi, ab Oriente quidem intimus Maris Hadriatici Sinus, ab Occidente Athesis amnis ex Tridentinis Alpibus in Mare superum defluens; à Meridie Padus; à Septentrione Alpes Taurisanæ vocatæ, & Flumen Tiliauentum, quod ex ijsdem Alpibus oriens Venetos à Carnis dirimit. Athesis porrò eos à Tuscis primùm, deindè à Gallis Cenomanis diuidebat. *Mantua enim* (inquit lib. III. Plinius) *Tuscorum trans padum sola reliqua.* Et lib. V. Liuius Gallos Cenomanos pulsis Tuscis ea loca tenuisse scribit, vbi nunc Brixia, & Verona Vrbes sunt. Et libro XXXII. Brixiam Cenomanorum gentis caput vocat. Plinius etiam eam in Cenomanorum agro sitam refert. Tuscis autem, qui Venetis finitimi erant, auitis agris à Cenomanis Gallis exactis, quùm inter Venetorum Vrbes Verona censeri cœpta esset, Venetiæ termini ab Occidente
C ab Athesi ad Benacum, & Mincium prolati sunt, qui eos à Cenomanis diuidebant; Eò enim vsque ager Veronensis extendebatur. Hi autem veteris Venetorum prouinciæ termini fuerunt vsque ad Augustum Cæsarem, in qua egregij amnes erant Mincius celebratissimi Lacus Benaci partus, Athesis Veronam secans, Tartarus, Meduacus Patauium prẹterfluens, Silis ex montibus Taurisanis, & Liquentia ex Opiterginis fluentes, & portus eodem nomine, Flumen, & portus Romatium, & postremò Tiliauentum maius, minusque. Vrbes verò nobilissimæ Verona, Tridentum, Vicetia, Patauium, Coloniæ Ateste, Forum Iulium, & Concordia, Acelum, Opitergium, Bellunum, Taurisium, Altinum, & Hadria, à qua Mari supero Hadriatici inditum nomen. Cæterum Cæsar Augustus bellis Ciuilibus compositis, pacéque Populo Ro-
D mano terra, marique parta, quùm à belli ad pacis artes se conuertisset, Italiamque vsque ad Alpes productam in vndecim Regiones, vel Diœcéses diuideret, & Venetiam Decimam Italiæ regionem fecisset, eius terminos à Septentrione, & Occidente protulit. A Septentrione quidem vsque ad flumen Istrorum Arsiam, Coloniamque Polam (qui eam, & Italiam à Liburnis diuidebat) Carnis Iapidibus, & Istris eidem Regioni additis. Ab Occidente verò Cenomanis pœnè omnibns inclusis eius terminum Ollium Amnem statuit, qui ex Alpibus oriens Lacum Sebinum facit; Mox Cenomanos, & Brixianorum agros ingressus, eos ab Orobijs, & Bergomatibus in Vndecima Regione Gallia Transpadana ab Augusto locatis secans, per mediamque elapsus Galliam propè Cremonam Coloniam Pado miscetur. Ita vt vndecima Regio Gallia
E Transpadana à Decima Venetia amne Ollio ex Augusti descriptione secreta sit. Huius rei illud est argumentum, quòd lib. III. cap. XIX. Plinius, Brixiam, & Cremonam in Mediterraneo Regionis Decimæ, Bergomum verò Brixiæ proximum in Vndecima Regione Transpadana ex Augusti commentarijs locauerit. Quanquam non me fugit, Ptolomẹum Cenomanorum, qui sub Venetia sunt, terminum ab Occidente paulò vlterius produxisse, amnemque Abduam inter Cenomanos Venetos, Gallosque Insubres vndecimæ Regionis terminum statuisse vbi ita scripsit. *Cenomanorum, qui sub Venetia sunt, Ciuitates hæ sunt. Bergomum, Forum Diguntorum, Brixia, Cremona Colonia, Verona, Mantua, Tridentum, Butrium, Vaunia, Carraca, Bretena, Anaunium.* Ego autem Plinij potiùs descriptionem sequendam esse opinor, quòd

eam

eam ex Augusti commentarijs se excepisse profiteatur. Ptolemæum verò veterum A Cenomanorum situm fortè intellexisse arbitror, quorum Orobijs inclusis, & Insubrûm terminus olim amnis Abdua erat, cuius Prouinciæ, quùm Augustus Italiam componeret, partem vndecimę Regioni vlteriùs Ollium, partem verò decimę cis Ollium, eum tribuisse credendum est. Prouinciæ Venetiæ ab Augusto ampliatæ celebres Amnes, & Vrbes sunt Septentrionem versus Anassum, quo Varramus defluit, Alsa, Natiso cum Turro præfluentes Aquileiam Coloniam XII. millibus passuum à Mari sitam. Carnorum hæc Regio erat. Post amnis Timauus, iunctaque Carnis Iapidum gens, Castellum nobile vino Pucinum, Piquentium, & Aluum, Tergestinus Sinus, Colonia Tergeste XXIII. clɔ. passuum ab Aquileia, vltra quam VI. clɔ. passuum Formio amnis antiquus auctæ Italiæ à III. viris terminus, nunc verò Istriæ, B & Iapidum. Deindè Istria in qua fuère opida ciuium Romanorum Ægida, Parentium, Colonia Pola, quæ & Pietas Iulia dicta est, quondam à Colchis condita, quæ abest à Tergeste C. clɔ. passuum. Mox oppidum Nesactium, & nunc finis Italiæ, Venetiæque fluuius Arsia ab Augusto constitutus. Ab Occidente verò cum Amne Ollio Venetiæ additæ sunt Brixia, Mantua, & Cremona.

DE MARCHIA TARVISINA.
Cap. VI.



VENETIÆ Prouinciæ ab Augusto constitutæ pars, nunc Marchia C Taruisina vocabulo Longobardico appellatur, in qua Verona est, quæ ferè ijsdem terminis, quibus vetustissima Venetia, clauditur. Nam ab Occidente habet Mincium Amnem, & Benacum Lacum cum fluuio Sarca, qui in Benacum ipsum defluit, quibus à Lombardia diuiditur. A Septentrione altissimas Alpes Taurisanas in longum porrectas, quæ Italiam à Germania separant. Ab Oriente Amnem Alsam olim, nunc Liminum vocatum, qui contra Caprulas Insulam in Mare Hadriaticum defluit cum Hadriatici Maris sinus parte, quibus à Foroiuliensibus segregatur. A Meridie verò Padum, Athesis fauces in Mare superum ad fossas Philistinas labentis cum Melariæ, Brigantinique Paludibus, quæ eam à Romandiola secernunt. Quæ Regio his terminis clau- D sa Marchia Taruisina à Longobardis hanc ob caussam vocata est. Longobardi omnium externorum barbarorum, qui Italiam inuaserint superbissimi, Romani Imperij, & Italiæ pristinam dignitatem euértere, ac omnia delere conati, leges nouas, quæ alicubi in Italia, vt Veronæ, extant, condidêre, mores, ritus gentium, & rerum vocabula pro maiori parte immutauere, vt affirmare possimus, sermonis Romani latinis verbis, quibus necdùm in Italia, sed in omni ferè orbe Romano populi vtebantur, mutationem factam in vulgarem, Italicam lingam nunc appellatam, per Longobardorum tempora inchoasse. Id verò intelligitur ex ipsis Longobardorum legibus, in quibus de mutatione facta multarum rerum tituli, tractatusque sunt positi. Quin etiam publicæ administrationis, & priuatim viuendi instituta accuratissimè ab eisdem E sunt mutata, & eò vsque eius gentis processit insania, vt Romanarum litterarum charactere omnino neglecto, nouas ipsi, & sua ineptia gentis barbariem indicantes notas pro litteris excogitarint. Nam qui antè eos in Italia fuerant Ostrogothi, æquè, ac Ciues Romani, non solùm latinis delectati literis nullam in illis barbariem effuderunt, sed & mores omnes Romanos retinuêre. Theodericus enim Rex latinæ, & Græcæ linguæ peritus, Amalisuntha eius filia doctior, Theodahatus doctissimus fuere, quod Longobardorum vel Regum, vel Principum nemini contigit. Imò è contra non solùm linguam Romanam, sed & literas, gentium mores, Romanorum veteres leges, & instituta, Magistratuum nomen, & regendi prouincias rationem mutare

A tare conati sunt. Quamobrem in ea Italiæ parte, quam maximam obtinebant, sex post Regem instituere præcipuos Magistratus, quorum quatuor Duces, duo Marchiones vocabantur. Duces fuere, Beneuentanus, Spoletinus, Taurinas, Foroiulianus. Hi quamquam dum viuerent in Ducatu essent, horum tamen filijs, vel Nepotibus nullum succedendi ius erat paterno magistratui, sed Duce aliquo moriente nouus à Rege, & Longobardorum concilio subrogabatur. Duo verò Marchiones erant, qui Piceno, & Venetiæ præerant. Hi opulentia, & amplitudine Ducibus superiores, inter sese tamen pares erant. Ab his Picenum Marchia Anconitana, & Venetia Marchia Taruisina vocatæ, quia hic Taruisij, ille Anconæ residere soliti essent. Hi his legibus à Rege, vel Longobardorum concilio eligebantur, vt cum primum Marchiones renunciati essent, Prouincias sibi commissas filijs,
B vel nepotibus, aut cuicunque libuisset, relinquere facultatem haberent. Et ideò hic Magistratus Marchionatus vocatus, qui eorum lingua perpetuus magistratus interpretabatur, vel, vt alij scribunt, Prouinciæ alicuius præses; nam Francico vocabulo Marchia Prouinciam significat, ita vt Marchio nihil aliud sit, quam Marchiæ, idest Prouinciæ Rector. Hinc Venetia Marchia Taruisina vocata, quòd Venetię pro Regno Longobardico præses diu Taruisij commoratus sit. Vniuersa hæc Regio valdè nobilis, ciuilisque est, oppidorum amplissimorum, & maximarum Vrbium refertissima. Homines altæ indolis in omni virtutum genere versatos, non minus pacis, quam belli artibus claros, & cumulandis opibus idoneos fert. In ea vitalis, ac perennis salubritatis cœli temperies est, fertiles frumento campi, aprici colles, innoxij saltus, opaca nemora, munifica siluarum genera, mon-
C tium afflatus, magna frugum, vitium, olearum, fructuumque fertilitas, nobilia pecori vellera, opima tauris colla, lacuum, amnium, salubrium aquarum, & variorum fontium mira vbertas, & metallorum magnæ fodinæ extant. Hæc postremò Regio tot, tantisque donis à summa rerum opifice natura donata est; vt inter primas terræ Italiæ partes facilè enumerari procul dubio possit. In hac sita est Vrbs Verona, cuius festa ceruice facies, & vberrimus feracis soli ager nullo satis explicari potest opere. Cuius ora numine Deum electa, per se fœlix beatam amœnitatem continet, vt palam vno in loco gaudentis esse naturæ opus videatur. Sed hæc aliàs.

D *DE GALLIS, INSVBRIBVS, CENOMANIS, BOIIS, SENONIbusque Transalpinis, qui Tuscorum, & Vmbrorum Regiones cis Alpes occupauerunt. Cap. VII.*



GALLORVM transalpinorum gentem dulcedine frugum, maximèque vini, noua tum voluptate captam Alpes transijsse fama traditur, agrosque ab Etruscis, & Vmbris ante cultos possedisse. Inuexisse verò in Galliam vinum illiciendæ gentis caussa Aruntem Clusinum ira corruptæ vxoris ab Lucumone (cui tutor is fuerat ipse) præpotenti iuuene, & à quo expeti pœnæ nisi externa vis quæsita esset, nequirent. Hunc transeuntibus Alpes Ducem fuisse memorant. Primi omnium Gallorum transalpinorum prisco Tarquinio Romæ regnante circa annum
E Vrbis C L X. Alpibus superatis, cum his, qui inter Apenninum, Alpesque incolebant, sæpè pugnauere. *Quo tempore Celtarum, quæ pars Galliæ tertia erat, penes Bituriges summa Imperij fuit. Hi Regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit virtute, fortunaque tum sua, tum publica præpollens, quod in imperio eius Gallia adeo frugum, hominumque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam exonerare prægrauante turba regnum cupiens, Bellouesum, ac Sigouesium sororis filios impigros iuuenes missurum se esse, in quas Dij dedissent auguria sedes ostendit: quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere aduenientes poßet. Tum Sigoueso sortibus datis Hercynij Saltus Belloueso haud paulo lætiorem in Italiam viam Dij dabant; Is, quòd ex eis populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos exciuit. Profectus ingentibus peditum, equi-*

tumque copijs in Tricastinos venit. Alpes inde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas haud A
equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi quum velut septos altitudo montium teneret Gallos, circumspectarentque, quanam per iuncta cælo iuga in alium orbem terrarum transirent, religio etiam tenuit, quod allatum est, aduenas quærentes agrum, ab Salycum gente oppugnari. Massilienses hi erant nauibus à Phocæa profecti. Id Galli fortunæ suæ omen rati, adiuuere, vt quem primum in terram egressi occupauerant locum, patentibus siluis communirent. Ipsi per Taurinos, saltusque Iuliæ Alpis transcenderunt, fusisque acie Tuscis haud procul Ticino flumine eum, in quo consederant, agrum Insubrium appellari audijssent, cognomen Insubribus Pago Heduorum, ibi omen sequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt. Insubres porrò primi omnium fuere, qui ex Gallis transalpinis in Italiam venerint; qui Etruscis pulsis, loca, in quibus nunc B
Mediolanum gentis Caput, Ticinum, Laus Pompeia, Comum, & reliquæ eius ditionis vrbes sunt, coluere. Adijcit Liuius: *Alia subindè manus Cenomanorum* (& hi Galli transalpini sunt, quos in Volscis iuxta Massiliam habitasse tradit lib. III. Plinius) *Elitouio duce vestigia priorum sequuta, eodem saltu faciente Belloueso, quum transcendissent Alpes, vbi nunc Brixia, ac Verona vrbes sunt* (locos tenuere Libui) *considunt.* Hi, Libuis veteribus incolis pulsis, regionem omnem, quæ inter Padum, & Alpes, Amnesque Abduam, vel Ollium, & Athesim est, tenuere. Vlterius Athesim enim Veneti obtinebant. Trans Abduam verò, vel Ollium, Insubres Galli vsque ad Alpes, & Ticinum flumen loca omnia iam ceperant Tuscis exactis. Hanc rem ita lib. XX. tradit ex Trogo Pompeio Iustinus. *Gallis caussa in Italiam veniendi, sedesque nouas quærendi intestina discordia, & assiduæ domi dissensiones fuere,* C
quarum tædio quum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, & Vicentiam condiderunt. Post Cenomanos Salyes, qui propè antiquam gentem læuos Ligures incolentes circa Ticinum, Alpes, Apenninumque, & Padi ortum. Ex his, qui radices Alpium incoluere, Salassi dicti sunt Liguribus montanis, & maritimis finitimi. Post hos Boij, Lingonesque transgressi in Italiam, quum iam inter Padum, atque Alpes à Liguribus, Salijs, Insubribus, Cenomanis, & Venetis omnia tenerentur, quæ inter duo maria sunt, Pado ratibus traiecto, non Etruscos modò, sed etiam Vmbros, qui inter Rauennam, & Padi Ostia vsque ad Ariminum extendebantur, agro pellunt, intra Apenninum tamen sese tenuere. Hi loca occuparunt, in quibus nunc Placentia, Parma, Regium, Mutina, Bononia, Rauenna, Ariminumque sitæ D
sunt. Postremò Senones, & Gæssatæ recentissimi aduenarum, ducentis post primos Gallos annis, Alpibus superatis, reliquis Vmbris, qui superfuerant, Breno Duce, sedibus antiquis eiectis, ab Vite flumine, vsq; ad Æsin (non vt male vulgo legitur apud Liuium ab Oufente vsq; ad Athesim) fines habuere. Huius gentis vrbes fuerunt Sena, Fanum, & Pisaurum. Eam Clusium oppugnasse, Romamque inde venisse, captam incendisse, & multa cum Romanis per centum annos bella gessisse comperio. Id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinis Gallorum populis adiutam. Tusci & Vmbri transpadani, finibus & agris à Boijs & Senonibus mulctati, trans Apenninum imperium suum contraxere, vbi nunc Tuscia, & Vmbria Prouinciæ sunt. Quid verò Tuscis cispadanis acciderit, nunc exponam. E

DE RHÆTIS Cap. VIII.



LIBVI, & reliqui Tusci cispadani à Gallis bello victi, & agris exuti, auitis sedibus amissis, duce Rhæto, Alpes occupauere, & de nomine Ducis, gentem Rhætorum alpinam condiderunt. Ita Liuius, & Iustinus, & lib. IV. Strabo. *Non longè autem ab istis sunt Rheni fontes, & Mons Aduallas, ex quo in Septentrionem Rhenus excurrit, & diuersa ex parte Abduas in Lacum Larium iuxtà Comum intrans. Supra Comum ad alpium radices Rhæti iacent, & Vennones ad Orientem versi. Alia ex parte Lepontij, & Tridentini, & Stoni, & aliquot præ-*

A *præterea populi*. Et lib. v. *Comum* (inquit) *mediocris erat Colonia, quam incumbentes Rhæti vastauerunt*. Rhætos verò ad Veronensium vsque montana se extendisse refert idem Strabo lib. IV. vbi ait: *Nunc autem finitima regio vsque ad summa montium cacumina pacata viuit.* Vniuersa deinceps montana pars in Orientem, & in Austrum vergens à Rhætis, Vindelicisque tenetur Boijs, Heluetijsque confinibus, nam eorum campis imminet. Cæterum Rhæti ad Italiam vsque pertinent, quæ supra Veronam, & Comum est. Vinum Rhæticum inter Italica egregiè commendata non sanè inferius in montanis illorum radicibus nascitur. Ipsi autem ad ea vsque loca, quæ Rhenus secat, extenduntur. Hinc Plinius lib. III. cap. XIX. *Veronam Rhætorum, et Euganeorum* appellauit. & lib. XIV. cap. I. *Antè eum* (inquit) *Rhæticis prior mensa erat, et vuis Veronensium agro*. & libro eodem cap. VI. *In Veronensi item*
B *Rhætica vina Falernis tantùm posthabita à Virgilio.* Rhæti igitur sunt hi populi, qui montana Veronensium Tridentum versus incolentes vsque ad Comum extenduntur, inter quos hæ præcipuè possunt enumerari gentes quę Grisones vocantur. Suggerit Plinius lib. III c. XX. *Iuxtà Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici: His contermini Rhæti et Vindelici omnes in multas Ciuitates diuisi. Rhætos Tuscorum prolem arbitrantur a Gallis pulsos Duce Rhæto. Rhætorum Vennones, Sarunetesque ortus Rheni Amnis accolunt*. & cap. XIX. *Fertini, et Tridentini, et Bernenses Rhætica oppida. Rhætorum, et Euganeorum Verona*. Et Strabo lib. IV. *Rhætorum* (inquit) *nationis sunt Lepuntij, et Camuli, atque Vindelici, et Norici, et montana exteriora tenent maiori ex parte cum Breneis, et Tenanis Illyricis*. Hinc (vt existimo)
C Stephanus auctor Græcus in libro de Vrbibus Veronam Noricorum, idest Rhætorum oppidum appellauit.

DE HIS, QVI VERONAM CONDIDERVNT. Cap. IX.

PLINIVS lib. III. *Veronam Rhætorum, et Euganeorum*, idest Tuscorum, & Venetorum vocat. Iustinus ex Trogo libro XX. eam a Gallis conditam scribit, quos Liuius lib. V. Cenomanos fuisse referre videtur. Stephanus verò ipsam Noricorum Vrbem dicit. Quidam præterea clariore vocabulo eam à Tuscis ex-
D tructam fuisse tradidere. In qua tot præstantissimorum controuersia, quos potissimum sequi debeamus, nunc explicare conabor. Circumferuntur fragmenta quædam C. Sempronij, & M. Catonis nomine inscripta, quos Historiæ Romanæ, & rerum Italicarum peritissimos auctores fuisse, refert lib. I. Dionysius Halicarnasseus. Hæc cum aliquot prętereà scriptorum libris ementitis (vt existimo) titulis à Ioanne Annio Viterbiensi publicati sunt, de quibus quid sentiam antè disputare decreui, postea verò quæstionis propositæ difficultatem enodare. Sexaginta annis antè Ioannes Annius Viterbiensis Ordinis Prædicatorum veterum Historiarum benè peritus, bona (vt credo) fide aliquot veterum librorum fragmenta à se in Bibliotheca cuiusdam magistri Gulielmi Mantuani (vt ipse profitetur) inuenta publicauit, atque prolixis commentarijs interpretatus est. In his fuerunt Berosus
E Chaldæus, Manetho Ægyptius, Xenophon, Metasthenes, Myrsilus, Lesbius, Archilochus, & Philo Iudæus Græci. C. Sempronius, M. Cato. Q. Pictor, & Antonius Pius Augustus Latini. Hos libellos præclarissimorum, nobilissimorumque auctorum nominibus decoratos, quamquam ab his scriptoribus nulla ratione conscriptos fuisse, pro indubitato comperierim, atque in his multa ficta, falsa, incerta, inepta, antiquis, certisque scriptoribus repugnantia inuenerim; in eis tamen multa etiam vera, & cognitu non indigna esse animaduerti, quæ ab imperito scriptore fingi non potuisse, existimanda sunt; sed hinc inde ex antiquis aliquot fragmentis excerpta, & cum ijs, quæ parùm sibi constarent, his opusculis cum præstantissimorum hominum præscriptione annexa. Qui fortè illa eadem diu antè magnis vberrimisque commentarijs, & eruditione plenis pertractauerant. Nam Berosi is Libellus in quinque libros partitus meras omnino nugas esse, ex eo facilè intelligi potest,

test, quòd antiquus ille Berosus Chaldeus, Belique in Babylone Sacerdos, tribus libris, non A
quinque, Historiam Chaldaicam à Mundi primordijs ad sua vsque tempora, non ad Ascatadis Regis Assyriorum, vt falsus ille Berosus à Iosepho scripsisse memoratur in libris contra Appionem, & Antiquitatum Iudaicarum lib. x. Vixit autem Berosus sub Seleuco Nicanore post Alexandri Macedonis principatum, cui & suos libros antiquitatum dicasse à Iustino martyre refertur in eo libro, qui admonitorius ad gentes inscriptus est. De quo libro VII. ita scribit Plinius: *Astrologia Berosus enituit, cui ob diuinas prædictiones Athenienses publicè in Gymnasio statuam inaurata lingua statuere.* Iosephus quoque in libris antiquitatum frequenter, frequentissimè verò contra Grammaticum Appionem Alexandrinum eius Historiæ testimonia longa & prolixa verborum serie citat, quorum nouus hic Berosus in quinque libros distributus, ne vnum quidem commemorat, & rectè. Nam ferè totus ex Euse- B
biano Chronico ad verbum nugis quibusdam interpositis ab imperito quodam nebulone consarcinatus est, vt diligenter ipse obseruaui. Eadem ferè ratio est de Manethone Sacerdote Ægyptio, qui Historiam Ægyptiorum scripsisse à Iosepho traditur ex Sacris Ægyptiorum literis excerptam. In quo illud obseruatione dignum, Manetonem hanc Berosi Historiam suppleuisse, ab imperito nebulone referri, qui Eusebio, & Iosepho auctoribus diu ante Berosum Historiam vniuersam Ægyptiorum, non Chaldeorum conscripserat. Liber primus Iosephi contra Appionem totus Manethonis testimonijs plenus est, vbi ne verbum quidem inuenitur, quod in vulgato hoc trium chartarum Manethone existat. De Metasthene verò illo ficto, qui vix tribus chartis immensi operis, & laboris Historiam Persicam complexus est, multa dicenda essent impudentissimi falsarij mendacia arguentia. Sed hæc C
satis sint, quòd nullus vnquam Metasthenes reperitur, qui Historiam Persicam conscripserit: benè Megasthenes, qui Indicam, à Iosepho, & Plinio sæpè memoratur. Sed fac fuisse. Tribusne chartis tot Regum gesta explicari possunt? Illud adde, quod ne mendacij conuictus redargui posset, profitetur se scripturum ea, quę ex arcanis quibusdam librorum ambagibus, & occulta Regia Bibliotheca excepit, Dum de Cyro Cambyse, Dario, Xerxe, & Artaxerxe, & alijs Persarum Regibus ea scribit, quæ nullus veterum scriptorum tetigit, ab his omnibus discessit, vt sibi vni fidem astrueret, & tanquam nouę Historę conditor, reliquos scriptores peritissimos, accuratissimosque refelleret. Scilicet magis incerti auctoris tribus paginis credendum est de rebus celebratissimis, & notissimis scribentis, quàm grauissimis auctoribus Iosepho, Trogo Pompeio, Iustino, Eusebio, Herodoto, Thucydidi, D
Hellanico, & cæteris, qui ex instituto eadem pertractarunt. Et tamen inuenti sunt multi veterum Historiarum, & chronicorum studiosi, qui certissimis hisce Historicis relictis, nugacissimo impostori fidem adhibuerint, & quod deterius est, literarum monumentis ea tanquam oraculis Pythijs certiora tradiderint. Quid eo Philone ineptius legi possit, non video, neque mendacius, in quo ea traduntur, quæ sacrarum scripturarum inconcussa veritate maximè stante, non nisi pro nugis & somnijs accipienda sunt, de Dauidis genealogia, successione Principum post captiuitatem, cæso Zanodim tempore natalis CHRISTI Iesu ab Herode Rege, & similia. Quæ omnia Iosephus in libris antiquitatum alioquin accuratus scriptor omnino ignorauit. De Xenophonte, Myrsilo, & Archilocho fictis multa dicenda essent, quæ, quoniam ad institutum hoc nostrum non pertinent, omittam. Illud E
omnibus facilè fidem abrogare, vel eos suspectos facere potest, quod ab eodem fuerint cum ijs concinnata, quibus quantum credendum sit, iam demonstraui. Eadem, & de latinis scriptoribus dici possent: sed hæc pro multis sufficiant ad alia festinanti, quòd C. Sempronius, qui bellis Punicis floruit Pomponium Atticum, M. Cato Censorius D. Augustum, Q. Pictor Regem Mithridatem ducentis annis posteriores, tanquam auctores citant. Adde styli, & linguæ dissonantiam, & Historiæ in plerisque imperitiam, Virgilij carmina inclusa, & postremò his auctoribus res indignas. Illud de M. Catone adde, opus id, quod eius nomine inscriptum circumfertur, ipsius Catonis genuinum non esse, quod his maximè argumentis demonstrari potest. Multorum enim auctoritate constat, M. illum Catonem

plura,

A plura, quàm nunc habeantur, originum volumina conscripsisse. Nam apud M.T. de Senectute idem ipse Cato. *Septimus (inquit) mihi Originum liber est in manibus, omnia antiquitatis monumenta colligo.* Item non pauca earum Originum verba & à Terentio Varrone in libris de re Rustica, & à Cicerone in Oratione pro Cn. Plancio, & in IV. Tusculanarum quæstionum volumine, alijsque pluribus in locis citari solent, quæ nihilominus in prouulgato isto Catone nusquam reperiri possunt. Quibus rationibus illud satis intelligitur, eos omnes aut falsos, aut commentitios, aut certè vanos esse libellos, illos imperfectos, atque omnibus modis obtruncatos, minimèque cum cæteris constantes. Hæc quamquam ita sint, non tamen inficias eam, multa in his, & præsertim latinis auctoribus vera, & cognitu digna hauriri posse, ita vt in hanc sententiam deuenerim, hos libros ab incognito quodam B antiquitatum studioso collectos, & horum auctorum nominibus præpositis publicatos, quod plerumque in alijs etiam auctoribus factum videmus, vt de libris Rhetoricorum ad Herennium, Fenestelli de Magistratibus, & de Virgilij Priapeia, Ouidij Culice, Nisa, & alijs quibusdam. Quæ igitur ex his latinis Scriptoribus (nam Græcis his omnino credendum non esse existimo) cæterorum certorum auctorum testimonijs confirmari potuerunt, suscipere constitui. Quæ verò aliorum testimonijs indigent, vel his repugnabunt, aut inter se minimè cohærent, reijciam. Cæterum, reliquis omissis, de duobus tantum, quorum testimonijs in hisce commentarijs mihi opus est, verba faciam, C. Sempronio, & M. Catone, quos vtique de rebus Italicis peritissimè scripsisse Dionysius Halicarnaseus testatur, sub quorum præscriptione fragmenta quædam his libris interiecta. Hęc porro idcirco scripsi, C quòd Vrbem nostram primum à Gallis Cenomanis conditam fuisse ex Trogi, & Iustini auctoritate omnino negem. Quum enim lib. XX. Iustinus scribat Gallos intestinis discordijs, & assiduis domesticis dissensionibus vexatos, relicto Patrio solo, in Italiam ad nouas quærendas sedes venisse, Tuscisque auitis sedibus pulsis, Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, Tridentum, Veronam, Vicentiamque condidisse: is omnino Catonis, & Sempronij, qui vulgò circumferuntur, & Plinio, Straboniqne, quorum certis testimonijs ipsorum scripta confirmari possunt, postremò Historiæ ipsi repugnat. Atque de Historia prius disseram. Nam Tridentum a Gallis conditum fuisse, nemo præterea auctor est, & reliquis repugnat auctoribus. Quis enim ignorat, Tuscos auitis sedibus, quas Galli occupauerant, amissis, Alpes obtinuisse, & de nomine Ducis gentem Rhętos appellatam? Quis D item ignorat, Tridentum Rhætorum oppidum fuisse, quod ex Plinio, & Strabone liquet, Gallorumque ditionem nunquam eò vsque se extendisse. Eadem de Vicentia ratio est, quę Vrbs in Venetijs locatur, à quibus vel ab Euganeis condita est, non a Gallis, quorum Imperium trans Athesim nunquam fuisse memoratur. Mediolanum quoque, Comum, & Bergomum ab ijs condita fuisse, incerti ipsius auctoris sub Porcij Catonis nomine liber his verbis apertè demonstrat. *Olanum ante à Tuscorum Duce, qui cum Orobijs Colonis ibi primus consedit, quorum origo incerta, vti Comi, Bergomi, & Licinifori, & aliquot circà populorum, inde ab Insubrum Principe nomine Medo adaucta, Mediolanum nomen seruat.* Quæ verba non citassem, nisi his assentiret Plinius, qui lib. III. cap. XVII. sic scribit. *Vocontiorum hodieque paga, non vt Cato existimat Ligurum, ex quibus Læui, et Marici condidere Ticinum, non pro-* E *cul à Pado, sicut Boij trans alpes profecti Laudem Pompeiam, et Insubres Mediolanum.* Orobiorum stirpis esse Comum, atque Bergomum, & Liciniforum, & aliquot circa populos auctor est Cato, sed originem gentis ignorare se fatetur, quam docet Cornelius Alexander ortam à Græcia interpretatione etiam nominis, vitam in montibus degentibus. *In hoc situ interijt Oppidum Orobiorum Barra, vnde Bergomates Cato dixit ortos, etiam num prodentes se altius, quam fortunatius sitos.* Quibus testimonijs neque Tridentum, aut Vicentiam a Gallis, sed illud à Rhætis, hanc à Venetis, vel Euganeis; neque Mediolanum, Comum, & Bergomum ab ijsdem, sed ab Orobijs longè ante Gallorum aduentum condita fuisse liquet. Quo fit, vt idem de Verona etiam suspicari, iam possimus. Nam eam à Gallis minime extructam, sed à Tuscis idem, qui Catonis nomine inscribitur, liber auctor est, qui ita rem tradit.

dit. *Alpes omnes Italiæ colonias Tuſcorum fuiße incolæ aßerunt, et ab ipſis vel Ducibus, vel Capitibus originum nomina gentibus, et locis indita: vt Rhæti à Rhæto Rege; et Veronenſes à Vera Tuſcorum Colonia.* Idem refert alius, quamquam parum certus ſcriptor, verùm hac in re cæteris conſentiens C. Sempronius, qui ita ait. *Hinc circa Larium Lacum à Principibus dicta Vallis Volturrena, et Verona à Vera Tuſcorum familia.* Hęc porrò Plinij teſtimonio confirmantur, qui Veronam Rhætorum, & Euganeorum, ideſt Tuſcorum, & Venetorum, non Gallorum, Vrbem vocat. Nam Ciſpadanam omnem Regionem vſque ad Alpes, excepto Venetorum angulo, vetuſtiſſimorum Tuſcorum ſedem fuiſſe, ſuprà ex Liuio, Strabone, & Iuſtino vidimus, atque idem Cato, & Sempronius, vel quicunque eorum librorum auctores fuerunt, affirmant. Alter enim: *Omnia* (inquit) *ſub Alpibus Tranſpadana loca priſci conuenæ Tuſci miſsis Colonijs tenuere, ab hiſque multa loca nomina retinent, plura deleuerunt Galli.* Et Sempronius ita ſcribit: *Et quidem omnem tranſpadanam Regionem Tuſcorum prolem fuiſſe inter omnes conuenit, manentque veſtigia, Vrbs Mantua, etc.* Et Plinius lib. III. cap. XIX. *Mantua Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Veronenſem verò agrum priuatim Tuſcorum ſedem fuiſſe, multa præterea, quæ dixi, confirmant. Nam & Catullus Benacum Lydium vocat, ideſt Tuſcum. ita

Salue, o venuſta Syrmio, atque Hero gaude,
Gaudete voſque Lydiæ lacus vndæ.

Et circa Benacum adhuc etiam oppida ſuperſunt Tuſcorum nomina ſeruantia, vt Tuſculanum. Et Virgilius Ocnum, qui Mantuam condidit, filium Mantus vatis fuiſſe, & Tuſci amnis, ideſt Mincij, non Arni, refert his verſibus lib. x.

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantus, et Tuſci filius amnis,
Qui muros, matriſque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua diues auis: ſed non genus omnibus vnum;
Gens illi triplex, Populi ſub gente quaterni,
Ipſa Caput populis, Tuſco de ſanguine vires;
Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infeſta ducebat in Æquora pinu.
It grauis Auletes, etc.

Sunt præterea adhuc Vina Rhætica in agro Veronenſi, quæ antiquum nomen ſeruant à Rhætis Tuſcis, qui à Gallis ex planis locis pulſi, montana (vt tradit Iuſtinus) tenuere. Et Plinius uvas, & vina Rhætica in agro Veronenſi commemorat. Quare illud ante omnia ſtatuendum nobis eſt, *Vrbem Veronam à Tuſcis conditam,* quùm eorum terra, marique imperium ante Vrbem conditam in Italia floreret, vnamque ex duodecim Tuſcorum colonijs fuiſſe. De quibus. lib. v. ſic ſcribit Liuius. *Hi in vtrunque mare vergentes incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad inferum mare, poſteà trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, colonijs miſsis, quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt Maris, vſque ad Alpes tenuere.* Porrò autem quum Cato, & Plinius plura Gallos in his regionibus deleuiſſe tradant, in his fortè etiam Verona, Brixia, & Mediolanum fuere, quas vel à prioribus Gallis deletas reſtituerunt, qui ſequuti ſunt Cenomani, vel ex paruis vrbibus ampliauerunt, coloniaſque Gallicas fecerunt. Vnde Trogus, &c, à quo accepit Iuſtinus, eas à Gallis conditas fuiſſe arbitrati ſunt, quum inſtauratæ, & ampliatæ potiùs fuerint ab ijs. Dicemus igitur Vrbem noſtram *à Tuſcis antè Romam conditam* ędificatam fuiſe, & à vera Tuſcorum gente, vel colonia Veronam dictam; & hac ratione cum Plinio Stephanus conueniet, quorum ille Rhętorum (Rhæti autem Tuſci ſunt) hic Noricorum Vrbem eam vocarunt; Norici enim Rhætorum portio eſt, vt tradunt Strabo, & Plinius. Non diſcrepabunt etiam ab ijs Trogus, & Iuſtinus, qui eam conditam ſcribunt, quam Galli Cenomani, vt Liuius (non vt vulgò creditur Senones) repararunt, vel

ampliа-

A ampliarunt. Nam quod aliqui de Tuscis ijs, qui colonias deduxere cispadanas ex falso Beroso, & Annio fabulantur, meras nugas esse opinor. Atque hæc sunt, quæ de Vrbis nostræ conditoribus in tanta rerum obscuritate inuenire, & in lucem edere potuerim.

COMMVNIS ET VVLGATA OPINIO REFELLITVR existimantium, Veronam à Gallis Senonibus Duce Breno conditam. Cap. X.

NON possum nostrorum Ciuium, & aliquot præterea Historicorum inscitiam non mirari, qui ex deprauato Liuij loco, & Iustini auctoritate malè intellecta, B Veronam à Gallis Senonibus duce Breno vel conditam, vel restauratam ita asseruêre, vt vetus iam, & constans hæc opinio omnium animis hominum fixa insederit; quæ quàm falsa, & à vero abhorrens sit, nunc ostendam. Mei enim muneris esse existimo, abstrusa quæque, quantum fieri potest, explicare, & quæ ab alijs malè intellecta sunt, illustrare. Error verò hinc natus est. Locus est Liuij lib. v. *Tum Senones recentissimi aduenarum ab Oufente flumine vsque ad Athesim fines habuere.* Quis quæso est Oufens fluuius ab Athesi ad Siculum vsque fretum in Hadriaticum mare defluens? Nullus omnino. Est sanè Aufidus in Apulia, non Oufens, qui Plinio, Strabone, Sex. Pompeio, Ptolemæo, & omnibus Geographis auctoribus Latij fluuius est propè Tarracinam in Mare Tyrrhenum labens. Inter Arsiam verò extremum Italiæ productæ fluuium, & Padum C nullus Oufens à quoquam fluuius memoratur. Deindè si omnia cis Padum vsque ad Alpes, vt supra, ex Liuio, Strabone, & Plinio vidimus, à Liguribus, Salys, Sallassis, Insubribus, Cenomanis, & Venetis, trans Padum verò vsque ad Apenninum à Boijs occupata fuerant, quis est amnis iste Athesis, ad cuius fines Senones vsque imperium suum protulere? Locus haud dubiè Liuij mendosus occasionem præbuit his, qui in Historijs non ita versati sunt, vt crederent, Veronam à Gallis Senonibus Duce Breno conditam, & ab eo primo Brenoniam, deindè Beronam, post Veronam dictam. Quod quàm falsum sit, me ostendisse existimabo, quum Senonum fines, agrosque, & Regionem in Italia longissime à Verona abesse, demonstrauero. Manuscripti igitur Liuij codices habent: *Tum Senones recentissimi aduenarum ab VTETE ad Resin fines habuere.* Et rectè, si ex Plinio Verbum D VTETE, VITE restitueris, facili librarij errore corruptum inuenies. Qui lib. III. cap. xv. propè Ariminum, haud procul à Rubicone paruum hunc fluuium fuisse, ita indicat: *Octaua regio determinatur Arimino, Pado, & Apennino. In ora fluuius Crustumium Ariminum Colonia cum amnibus Arimino, & Aprusa; fluuius hinc Rubico quondam finis Italiæ. Ab eo Sapis, & Vitis, & Anemo. Rauenna Sabinorum oppidum cum amne Badese.* Et omnia rectè quadrant. Quum enim trans Padum Galli Boij omnia loca, pulsis Vmbris, & Tuscis obtinuissent, quæ inter Padum, Apenninum, fluuium Trebiam, & Mare Hadriaticum erant à Placentia vsq; ad Rauennam, Fluuius Vitis eorum Regionis terminus, versus Ariminum & Picenum fuit. Tum deinde Senones nouissimi aduenarum, Picenum versus Breno Duce à Vite vsque ad Æsin inter Mare Hadriaticum, & Apenninum, Vmbris, & reli- E quis Tuscis, qui ea loca tenebant, vi pulsis, regionem omnem occupauerunt Picentes versus, terminusque eò statutus est prouinciæ eorum amnis Æsis, qui eos à Picentibus diuidebat. Æsis enim amnis est haud procul ab Ancona Hadriaticum Mare influens. Cuius gentis caput fuit Sena, nunc Senogallia vocata. Hi Senones Clusium oppugnarunt, & Duce Breno, vt tradit Liuius, Vrbem captam incendêre. Quo tempore, vt refert Strabo libro. v. Fluuius Æsis Italiæ finis Picenum versus erat. Nam postea Senonibus, & Gessatis à Romanis funditus deletis, Italia ab Æsi ad Rubiconem producta fuit, Senonumque Regio, vt antiquitus fuerat, Vmbriæ applicata. Strabo libro. v. *Huius regionis* (inquit) *terminus monstratus est, quam Cisalpinam nuncupamus Galliam, ad reliquam Italiam, & montes Apennini Tusciæ imminentes, & Æsis amnis, & postremò Rubico, vtrique Hadriaticum intrantes pela-*

gus.

gus. Et paulò post: *Ibi & Æsis fluuius est, & Mons Gingunus, & Sentinum, amnesq; Metau-* A
rus, & Fanum Fortunæ. In hisce namq; locis, priores fuere Italiæ termini atq; Galliæ ad quandam
Maris eius partem, quamquam Imperatores sæpè transposuerint, antea quidem Æsin flumen ter-
minum faciebant, rursus Rubiconem fluuium. Æsis inter Anconam labitur, & Senogalliam, &
Rubico inter Ariminum & Rauennam, vterque in Hadriaticum excurrit pelagus. Ita Strabo.
Hæc autem longiori sermone persequutus sum, vt vulgatum errorem, & iam ferè ab om-
nibus receptam falsam de Breno, & Senonibus Gallis nostræ vrbis conditoribus, vel resti-
tutoribus opinionem exploderem. Nam quòd Iustinus scribat, Gallos cispadanas Vrbes
coluisse, non Senones intelligit, qui nouissimè Duce Breno venerunt, sed priores illos Insu-
bres, & Cenomanos, qui Belloueso, & Elitouio ducibus Alpes longè ante transierant, &
cispadana loca occupauerant. Senones enim cis Padum nihil omnino obtinuisse ab vllo B
probato auctore referuntur.

DE VRBIS VERONÆ SITV, ET FLVVIO ATHESI.
Cap. XI.


RBS VERONA ad radices Alpium sita est patentibus in campis, quos
amnis Athesis ex Alpibus Tridentinis fluens intersecat. Cuius ager ad ori-
entem vlterius Athesin ad Euganeorum Venetorum, cis Athesin ad septen-
trionem Tuscorum Rhætorum, ad occidentem verò Gallorum Cenoma-
norum fines vsque pertingit. Hinc Plinius eam Rhætorum, & Euganeo- C
rum appellauit, & Liuius ipsam cum Brixia Cenomanorum. Quo loco
Plinius non solùm ad vrbis conditores, sed ad agrum etiam respexit, quem hinc Rhæti,
hinc Euganei, Athesi disiunctis regionibus obtinebant. Ita autem antiquissimis tempori-
bus ante Romanum imperium hucusque productum, Veronensis Ciuitas, & ager censeba-
tur. Vrbs porro ipsa, vt paulò post dicam, Venetorum conuentibus, & iurisdictionibus
vtebatur. Verum Gallia omni Cisalpina tam cis, quàm vlterius Padum à Romanis debel-
lata, cum Carnis, Iapidibus, & Istris Galliæ transpadanæ Prouinciæ attributa est, eiusque
iurisdictionis pars facta, ita vt qui pro Consule Galliam Prouinciam cis alpes obtinuisset, is
Venetos etiam, Carnos, Iapides, & Istros coniunctos haberet. Cæsar enim, qui postea
perpetuus Dictator fuit, & qui ante eum fuerant in Gallia hac pro consulibus, quum Gal- D
liam Cisalpinam sortiti sunt, & Venetiam vsque ad Aquileiam sub Galliç nomine obtinue-
runt. Quod ex Ciceronis Epistolis familiaribus, & orationibus Philippicis liquet; Qui Pata-
uinos, & Tergestinos in secunda Philippica Galliæ populos vocat, quum hi Iapudum, illi
Venetorum fuerint. Hoc porrò est, quod etiam supra ostendi, pro dominantium arbitrijs
prouincias mutari, produci, & contrahi solitas. Italia deinde à Rubicone vsque ad Istriæ
fluuium Formionem, mox Polam, & amnem Arsiam supero mari, infero verò ab Arno ad
flumen Liguriæ Varum, in mediterraneo verò ad Alpes vsque à Triumuiris R. P. C. M.
Lepido, & M. Antonio, & C. Cæsare Octauiano prolata, ne quis intra alpes cum imperio,
& exercitu Procos. vel Imperator esset, eaque haud multò post in XI. Regiones ab Augusto
distributa, in X. Regionem Venetiæ Vrbs nostra cum Cremona, Brixia, Mantua, & ple- E
risque alijs (auctore Plinio) coniecta fuit. Postremò, quum post Imperij Romani casum
Longobardi gens Germanica Italiam ferè omnem inuasissent, Galliæque omni cisalpinæ
Lombardiæ nomen indidissent, eius gentis, & Regionis celeberrima Vrbs Verona fuit.
Lombardia autem vsque ad Mincium fluuium, Benacumque se extendit. Nam Venetia,
& regiones citra Mincium, & Benacum vsque ad Carnos, Marchia Taruisina Germani-
co vocabulo nunc appellatur; ita vt Verona hodie in Marchia Taruisina sit. Eam porro,
& has Regiones nunc Athesis intersecat, de quo Plinius lib. III. cap. XIX. fluuius, vt Virgi-
lius lib. III. Æneidos scribit, amœnus, quum ait:

Siue Padi ripis, Athesim seu propter amœnum.

Qui

A Qui ex alpibus defluit, quem Ptolomæus Atrianum, Plutarchus in Sulla Athisonem vocant. Nam antiquitus ipsum Atrianum ab Hadria ampla, & nobili Tuscorum colonia, propè quam ipse in Hadriaticum intrat pelagus, vocitatum existimo, à qua & mari nomen inditum. Nam quæ nunc Hadria, antiquitus Hatria dicebatur, finitimo & coniuncto satis sono D. & T. Vrbi verò, & fluuio nomen reliquisse fertur Hatrium, vnum ex priscis Tuscorum Regulis, & ipsorum annalibus celebratum. Postea ex Hadriano Athiso, mox mutatis literis, & in dulciorem sonum conuersis Athesis dici cœptus. Is antiquitus vrbem nequaquam interfluebat, sed propè vrbis mœnia labebatur, ea ad ortum relicta, vt Silius Italicus apertè innuit.

Tum Verona Athesi circumflua, & vndique solers.

B Cuius rei non parua sunt argumenta latissimi muri vestigia per medium fluminis alueum haud procul ab arce castri veteris deducta, quod hieme aqua decrescente facile conspici potest, cuius pleræque hinc inde prope fluminis ripas, reliquiæ repertæ fuere. Ad hæc anno salutis CIↃ D X I I. & nostra ætate CIↃ D X L I I I I. ita ipse amnis excreuit, vt aquarum vi pars murorum fossæ castri veteris prope oratorium Diui Zenonis disiecta fuerit, flumenque exuperans fossæ ripas, portam curricularem versus iter arripuerit, & profectò nisi tot murorum obstacula fuissent, alueum reperisset antiquiorem. Eum autem, quem nunc tenet vadum, sibi quæsisse opinor ingenti illa aquarum vi, quæ circa annum Christi DXC. tota Italia accidit. Cuius Paulus Diaconus lib. I I I. cap. X I. Historiæ Longobardicæ, & vnde ille accepit, D. Papa Gregorius in dialogis sic meminit. *Eo tempore fuit aquæ diluuium in finibus Venetorum, & Liguriæ, cæterisque regionibus Italiæ, quale maximum post Noe tempora creditur non fuisse. Factæ sunt lacunæ possessionum, seu villarum, hominumque pariter, & pecudum magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ viæ, tantumque Athesis fluuius excreuit, vt circa Basilicam Beati Zenonis Martyris* (id nũc oratoriũ eius dicitur) *quæ extra Veronensis vrbis muros sita est, vsque ad supernas fenestras aqua pertingeret, licet, sicut Beatus Papa Gregorius scripsit, in eandem Basilicam aqua minimè introierit. Vrbis quoque Veronensis muri ex parte alia eadem sunt inundatione subrupti. Facta est autem dicta inundatio Kal. Nouembris. Sed tantæ coruscationes, & tonitrua tunc fuerunt, quantæ vix æstiuo tempore fieri solent.*

C

Hoc ego tempore Athesim existimo, muri parte disiecta, per fossam vrbis, quæ à Castro vetere ad Pontem lapideum erat, vbi nunc eius alueus est, vrbem mediam interfluere cœpisse, adiutum, præter fossæ oportunitatem, etiam ingenti lacu, qui ante theatrum inter duos pontes erat, duobus fontibus, hinc Monteaureo, hinc Parona conductis factus, in quem fortè tunc aquarum vi irrumpens, decidensque, vadum, quem nunc habet, versus nauium stationem sibi statuit. Fuit is Annus salutis D X C. De lacu porrò, qui ante Theatrum inter duos pontes ad opus naumachiæ factus erat, paulò post dicam. Oritur Athesis ex Alpibus Tridentinis, vt Plinius lib. I I I. cap. X V I. tradit, atque ab eius initio satis aquarum tenuis est, verum defluens multos accipit riuos, & fluuios, & præsertim Sarcam, Deinde flectens in meridiem rapidus esse incipit, mox Tridentum præterlabitur per planos campos placidus. Hinc præruptis montium angustijs deductus, tanta vi effertur, vt secum omnia trahere videatur. Inde Veronam diuidit. A Verona multis millibus passuum, postque vario ambitu retorquetur; Sub Liniaco in duos secatur ramos, quorum vnus paludes illas influit, quæ à Menaco, & Tartaro fluminibus producuntur, & mare Hadriaticum per illas ingreditur ad fossiones, vbi commodus portus est. Id ostium vnum ex ijs est, quod à Plinio Septem Maria vocatur, & id ostium forte fossiones dictum est à fossis Philistinis, de quibus idem Plinius scribit. Alter verò Athesis ramus, cum earundem paludum aquis Portum constituunt Brundulum, ita à Plinio vocatum. Athesis quamquam à Tridento deinceps nauigabilis sit, commodius tamen à Verona nauigatur, ante enim ob rapacitatem difficilis admodum est, nauigijs aduerso flumine subuehendis. A Verona verò vsque ad fossiones tam secundo, quam aduerso, & transuerso flumine nauium est capax. De eius ostio ad fossiones Philistinas, quem ex septem Padi ostijs septimum esse scribit, sic meminit Plinius.

D

E

C Inde

Inde ostia plena carbonaria, ac fossiones Philistinæ, quod alij Tartarum vocant, omnia ex Philistinæ fossæ ab inundatione nascentia, accedentibus Athesi ex Tridentinis Alpibus, & Vigisono ex Patauinorum agris. Pars eorum, & proximum portum facit Brundulum, sicut Edronem Meduaci duo, ac fossa Clodia. Reliqua verò sex ora Padi erant Brundulum, Volane, Sagis, Caprasia, Vatreni, Padusa, quod propè Rauennam est. Hinc Plinius septem maria vocat loca, in quibus his septem ostijs Padus influit mare. *Grauis (inquit) terræ Padus, quamquam deductus in flumina, & fossas inter Rauennam, Altinumque passuum* CXX. CIↃ. *tamen, quia largius vomit, septem maria dictus facere.* & paulo post: *omnia ea fossas fluminaque primi Asagi facere Tusci, egesto amnis impetu per transuersum in Hadrianorum Paludes, quæ septem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Italiæ, à quo Hatriaticum Mare appellatum, quod nunc Hadriaticum.* His se ostijs Padus miscet, ac per hæc effunditur plerunque. Herodianus lib. IIX. *Interea Maximus Rauenna profectus Aquileiam peruenit transmissis paludibus, in quas fluuius Eridanus, ac vicina exundant stagna, sic, vt per ora septem in mare præcipitetur. Itaque indigenæ paterna lingua paludem illam septem maria appellant.*

A B

DE VIA ÆMILIA LEPIDI. Cap. XII.



Via quoque Æmilia Lepidi per vrbis nostræ medium Aquileiam vsque strata erat. Duæ enim viæ Æmiliæ fuerunt, altera Lepidi, de qua nunc scribere institui, altera Scauri. Hanc strauit M. Æmilius M. F. Lepidus, qui Pontifex Maximus, iterum Consul, Censor, & Princeps senatus, sexies lectus fuit in primo consulatu, quem cum C. Flaminio, eius, qui ad Trasimenum cecidit, filio anno vrbis DLXVII. gessit. De hac ita scribit libro. V. Strabo: *Hic est ille Scaurus, qui per Pisas, & Lunam vsque Sabatias, viam strauit Æmiliam, & hinc per Dertonam* (vsque Placentiam, vt ego addo). Quam viam Æmiliæ Lepidi Placentiæ iunxit, vt ipse Strabo manifestè innuere videtur eodem loco. Suggerit Strabo deinde de via Æmilia, quæ Flaminiam excipit. *Eodem in consulatu M. Lepidus, & C. Flaminius collegæ fuere; Victores autem Ligurum strauere, hic quidem Flaminiam è Roma per Tusciam, & Vmbriam vsque Ariminum; alter reliquam porrò vsque Bononiam, & ex ea in Aquileiam propè alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Liuius quoque lib. XXIX. commemorat M. Æmilium consulem subactis eisdem Liguribus viam à Placentia productam Flaminiæ commisisse his verbis: *Cos. Æmilius pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Quibus verbis liquet Æmiliam viam initium habuisse ab Arimino. Ariminum enim vsque Flaminia pertinebat; hinc Placentiam perductam, vt tradit Liuius; mox traiecto Pado, ducto in gyrum opere circa radices alpium hac ratione Aquileiam vsque per Romanas prouincias perductam esse, vt ex Antonini Pij Imperatoris itinerario manifestè constat.

C D

Ab Arimino
Cæsenam, dehinc
Forum Liui, post
Fauentiam, post
Forum Cornelij
Claterinam
Bononiam
Mutinam
Regium Lepidi
Tannetum
Parmam
Fidentiolam
Placentiam, dehinc traiecto Pado
Laudem Pompeiam, post

E

Me-


pag 19
Territorium Veronense
Veronæ tellus splendida gemma foret
Septemtrio.
Orie
VESEN
PE DE PE TRAR CHA
Camp de VAL MORBIA
TIROLIS COM.
VAL
Trento
L'Adice flu.
VAL CAVEDEN
VAL POLI
LAG AR INA
Monte Baldo
LAGO de GA
LAZVD CA RIA
M de Pura
RIVIE
VALLI S RAN DENA
Sarca flu.
Altissimo
Nogarola
Campo della fontana
La Giaza
Pian de la Fogazza
S. Moro
Campo Azarin
Campo Seluan
Rouere
la Giesia Noua
La Podestaria
Grobari
Lugo
Mori
Riua
Alba
Arco
Tor laghi
Caden
S. Masenza
C. d Toblin
La Sarca
Malsesene
Torbole
Nago
Drena
Bologna
S. Martin
Canena
Cenga
C. Chiara
Pregasena
Limo
Gardola
Grignan
Toscolan
Maderno
Salo
Nauilio flu.

TINO.

VALLE DEL VERONESE.

FERRARESE.

VERONA

MANTOA.

MANTVANO

BRESCIANO

A, Olim BENACVS.


Padvs Olim Po flu.

Meridies.

CCIDENS

Territorii Veronensis ambitus est 179 mille passuum; Longitudo 75 mil. pass. Latitudo 40 mil. pas.

Agri sunt 1442378: quorum 122312 fertiles,



A Mediolanum, deinde ducto per gyrum ad radices alpium opere
Bergomum, post
Brixiam
Syrmionem
Veronam
Vicentiam
Patauium
Altinum
Concordiam, & postremo Aquileiæ desiuerat.

Martialis lib. III. alloquens librum suum de hac via, sic scribit:

B *Romam vade liber, si veneris vnde, requiret,*
Æmiliæ dicas de regione viæ.
Si quibus in terris, qua simus in vrbe rogabit,
Corneli referas me licet esse foro.

Et libro epigrammatum VI. Bononiam in hac via sitam sic commemorat:

Funde tuo lacrymas orbata Bononia Rufo,
Et resonet tota planctus in Æmilia.

Et Plinius lib. II. cap. XXCIII. agens de portento agri Mutinensis *L. Marcio, Sex. Iulio Cos. ingens terrarum portentum in agro Mutinensi factum est. Namq; montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque, inter eos flamma, fumoque in cælum exeunte inter-* C *diu spectante è via Æmilia magna equitum Romanorum, familiarumque, & viatorum multitudine.* Et lib. XIX. cap. I. *Tertia in Europa lino palma. Secundam enim in vicino Allianis capessunt Retouina, & in Æmilia via Fauentina.* Ab hac via ea Gallia togatæ vel cispadanæ regio, quæ Boiorum quondam fuerat, Æmilia appellata est, sicut etiam Flaminia ab alia via. Hæc, vt dixi, Veronam intersecabat, Vicentiam versus, in qua ab vtroque vrbis latere plurima, & nobilissima erant Veronensium Ciuium more Romano sepulchra, præsertim vlterius Athesim extra Vrbem, Vicentiam versus inter antiquum murorum vrbis ambitum, qui nunc murus nouus dicitur, & portam Episcopi, exeuntibus parte læua ad montis excisi radices, quorum plurima vestigia, & fragmenta quotidie in priuatorum ædibus, dum cellæ vinariæ, vel putei excauantur, inueniuntur, lapidibus quadratis, candidissimis marmo- D ribus, & inscriptionibus exornata. Ex ijs ego aliquorum reliquias vidi in ædibus Zenonis de S. Victore, sub montis excisi crepidine, dum pro cella vinaria fabricanda, & nouis domus locandis fundamentis altius ad solidum, terram, & lapidem tophum effoderet.

DE AGRO VERONENSI IN VNIVERSVM. Cap. XIII.



AGRI Veronensis descriptionenem facturus, ne latum quidem, vt dicitur, vnguem à Torelli Sarayne topographia discedendum mihi esse, existimaui, quam vir omni laude dignus in fine historiarum Veronensium accuratissimè exarauit. Viri enim perpetua memoria celebrandi nomen supprimere, E æquum non esse duxi, in his præsertim describendis, quæ ille primus omnium litteris illustrata posteritati reliquerit. Ager igitur, qui nunc sub Veronensium iurisdictione censetur, & situ, & vbertate varius admodum est. Ab aquilone enim alpibus Tridentinis, magnisque montibus, & immensis vallibus septus Tridentino coniungitur. A meridie patentes, & celebratos campos habet, Ferrariensium, & Mantuanorum ditioni adiacens. Et ante quidem illa ex regione vetustus terminus Padus erat, nam Hostiliam vsque extendebatur, quam vicum Veronensium Tacitus lib. XIX. ita vocat. *Mox Cæcina inter Hostiliam vicum Veronensium, & paludes Tartari fluminis castra permunijt, tutus loco, quum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur.* Hostiliæ porrò iurisdictionem Veneti dudum quum Mantuano regulo concessissent, ipsa tamen sacra à paroecia

ſuſcipit Veronenſi. Ab oriente Vicentino, & Patauino agris terminatur, ex parte quidem ſeptentrionali humiles colles, & paruas valles complexus; in meridiem verò vergens vaſtiſſimis campis, & immenſa planicie productus. Ad Occidentem porrò, quà ſeptentrionem aſpicit, Benacum Lacum pertingit, & altiſſimam alpium partem, quam montem Baldum vocant; in meridiem vero ducens, Mincium tranſgreſſus agrum Brixianorum attingit. Atque vt hæ partes ſitu inter ſe longè diſſimiles ſunt, ita etiam locorum facies, & cultus varius admodum eſt. A

DE AGRO VERONENSI SEPTENTRIONEM VERSVS, & monte Baldo. Cap. XIV.

B



GER igitur, qui ad boream reſpicit cis Atheſim, quum præruptis, & aſperrimis montibus ſeptus ſit, Cerere quidem caret, verum nemoribus, cæduis ſyluis, paſcuis, pratiſque herbidis abundans. In montium enim cacuminibus extat patens, & herboſum ſolum, ita vt æſtates eo infiniti penè armentorum greges paſcantur, quum loca ſint ventis expoſita, neque ſolſtitio æſtiuo, aut canicula à torrido ſole multum vexata. Ex ipſis etiam nemoribus magna lignorum copia cæditur, quæ ibidem in carbones cocta, ad repellendum hiemis tædium ſunt maxime vtilia. Altiſſimis his montibus pagi aliquot adhuc ſiti ſunt, ab his Germanorum, Cimbrorum, & Teutonum reliquiis culti, quos conſules C. Marius, & Q. Catulus in agro Veronenſi funditus deleuerunt; quorum aliquot, quum ad has denſas, obſcuraſque in montibus ſiluas fuga elapſi latuiſſent, hanc ex ſe, quæ nunc supereſt, ſtirpem reliquere Germanico adhuc ſermone paſſim vtentes. Hic ob alpium rigorem vinum deeſt. Secundum hos montes meridiem verſus eſt vallis Lagarina vocata, quam rapido curſu Atheſis perfluit. Quò ex cęduis alpium ſiluis lignaria materia in ratibus concinnata ad Vrbis vſum vehitur, & commodum; & pręter hæc craſſiſſimi arborum abietum, & laricum trunci, quibus ſectis ad ædificiorum, & fabricarum operam tabulæ, & aſſeres leuigatæ fiunt, itaque appoſitè incardinati tranſuehuntur, vt ſuper eas rates etiam portentur omnis generis merces, quæ à Germanis, & Gallis in Italiam transferuntur. Hæc regio aquiloni expoſita acribus interdum frigoribus vexatur, & ſolſtitio æſtiuo ver magis, quàm æſtatem habet. C Ob altitudinem etiam montium valles quædam profundæ his clauſæ inſunt, quæ canicula maximè à ſolis ardore defenſæ glaciem, & niuem toto anno continent. Atheſis amnis, D qui per eas fluit, à Tridento ad mare Hadriaticum vſque nauigabilis eſt, & nauium magnarum capax, à Verona præſertim deinceps, quæ tam ſecundo, quàm aduerſo flumine facilè vehuntur, quum fluuius ipſe maiore anni parte aquis abundans ſit, hieme quidem ob pluuias, æſtate vero ob niues, quæ à ſole æſtiuo diſſolutæ in Atheſim, amnium more, dilabuntur. Mons Baldus alpium Tridentinarum pars in Benacum deſinit, vlterius Atheſim ad XVI. CIↃ. paſſuum altitudinem productus, qui frigidis fontibus, amœnis paſcuis herbiſque medicinalibus refertiſſimus eſt. In quo æſtate infinita penè pecorum armenta nutriuntur, ouibus tamen, magis quàm cætero pecori alendo commodus videtur. Multum quoque fructuoſus eſt, quemadmodum & alij cis Atheſim montes, lacte, caſeo, butyro, re E lignaria, & carbonibus, quę non ſolum Veronenſium vſui ſuperſunt, ſed & ad aduenas, finitimaſque gentes transferuntur. Lapidicinarum quoque magna in his montibus copia eſt, ex quibus ingentes lapides marmorei rubro, albo, nigro, & alijs coloribus decorati ad Vrbis ornatum excauantur, & exciduntur. Ex ijs enim columnę, baſes, periſtylia, lapides quadrati, & cętera, quę ad ędificiorum, vrbiumque ornamenta pertinent, formantur. Quę non ſolum Veronam, ſed & ad aliarum finitimarum Vrbium, vt Venetiarum, Mantuę, Ferrarię, Parmę, & multarum prętera vſum, & decus transferuntur. Ita vt montes hi, quamquam aſperi, Bacchoque, & Cerere priuati, vtiles tamen non minus, quam reliquus ager ſint, immo totidem ferè redditus ex his capiuntur, quot ex cętero agro.

A *DE LACV BENACO VERONENSI. Cap. XV.*



ALDI montis, qui in agro Veronensi ad Occidentem vergit, radices alluit lacus Benacus, nunc Gardę vocatus à villa, vel pago eiusdem ripæ imposito. Hic à Ripa Oppido agri Tridentini Pischeriam vsque in longitudinem producitur XXX. pass. CIↃ. latitudine XV. CIↃ. pass. non excedit, quà latissimus est. Super hoc lacu ex vtraque ripa frequentissima oppida, & pagi sunt, atque in his celebriora Pischeria, Sirmio, Reuoltella, Desentianum, Salodium, Maternum, Tusculanum, vbi antiquę vrbis Benaci, quæ lacui nomen dedit, vestigia adhuc cernuntur. Ripa, Malsesenum, Garda, Bardolinum, & Lacisium.
B Hæc amœnissimis villis, & hortis elegantissimis consita sunt, quibus magna citrorum, limonum, & malorum aureorum copia legitur, quum altissimis montibus ripa omnis à borea defendatur, hique arbores cœlo maxime clementiore fruantur, quo, vt conseruari possint, opus est. In lacus medio est parua insula è regione Salodij Brixiani oppidi à minoribus religiosis culta, cum basilica, & cęnobio beatissimæ Virgini dicata. Est & alia in ipso lacu peninsula, Sirmio vocata, C. Valerij Catulli Veronensis poetæ celeberrimi olim villa, in qua adhuc extant veterum monumentorum, vt arcuum, fornicum, & fabricarum ingentium elegantissima vestigia, multis antiquis epigrammatibus decorata, ex quibus conjicere possumus, locum antiquis Veronensibus ob amœnitatem gratissimum fuisse. De qua villa ita cecinit doctissimus Poeta, & eius dominus Catullus.

C Ad Sirmionem peninsulam.

Peninsularum Sirmio, Insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto, fert vterque Neptunus;
Quàm te libenter, quamque lætus inuiso,
Vix mi ipse credens, Thymam, atque Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solitis est beatiùs curis,
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi, venimus larem ad nostrum,
D *Desideratoque acquiescimus lecto!*
Hoc est, quod vnum est pro laboribus tantis.
Salue, ò venusta Sirmio, atque hero gaude,
Gaudete, vosque Lydiæ lacus vndæ,
Ridete, quicquid est domi cachinnorum.

Pisces multi, & varij generis, qui in eo capiuntur palato, & ganeæ gratissimi sunt, qui non tantum Veronam transportantur, in cuius ditione lacus vniuersus censetur, sed etiam, ad omnes finitimas vrbes, & regiones. Hic est pater Benacus, qui vnus carpionem gignit, nobilissimi, & celebratissimi piscis genus, nutritus, vt fertur, ex mineralibus à lacus fundo scatentibus, ideoque eum alibi neque inueniri, neque transportatum viuere constat. Hic
E est amœni Mincij pater à Virgilio celebrati, super quem à Thebana Manto Mantua condita fuit, eiusdem vatis patria. De quo idem Poeta II. georgicorum ita scribit;

Anne lacus tantos, te Lari, maxime, teque
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus?

Et Catullus.

Nouissimo hunc ad vsque limpidum lacum
Cum veniret à mare.

Et Plinius lib. II. cap. CIII. *Quædam verò, & dulces inter se supermeant alias, vt in Fucino lacu inuectus amnis, in Lario Abdua, in verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sebino Ollius,*

in

in Lemano Rhodanus. Et lib. III. cap. XIX. *In regionibus X. Venetia, & XI. Gallia transpadana decem lacus inclyti sunt, amnesque eorum partus, aut alumni, si modo acceptos reddunt, vt Abduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis, omnes incolas Padi.* De Benaci anguillis idem lib. IX. cap. XXI. ita scribit: *Lacus est Italiæ Benacus in Veronensi agro Mincium amnem transmittens, ad cuius emersus annuo tempore, Octobri ferè mense, autumnali sidere, vt palam est, hiemato lacu fluctibus glomeratæ voluuntur, in tantum mirabili multitudine, vt in excipulis eius fluminis ob hoc ipsum fabricatis, singulorum millium globi reperiantur.* Hoc idem mihi piscator, quum forte eodem tempore Pischeriæ diuertissem, enarrabat. Flauius Vopiscus in vita M. Aurelij Probi Imperatoris sic de Benaco scribit: *Posteri Probi Augusti eo cæso, vel odio inuidiæ, vel timore Romanam vim fugerunt, & in Italia circa Veronam, ac Benacum Lacum, in his regionibus larem locauerunt. Sanè quod prætérire non potui, quum imago Probi Imperatoris in Veronensi sita, ita fulmine icta esset, vt eius prætexta colores mutaret, haruspices responderunt, huius familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore, vt omnes summis honoribus fungerentur, sed adhuc neminem vidimus. Posteri autem videntur æternitatem habere.* Circa eundem lacum in silua Lugana ducenta millia Gothorum à Claudio Imperatore deleta fuisse memorantur, quod & infra repetam. Atque hactenus de Lacu Benaco. Cui propinquus ager ita vinetis, oliuiferisque satis refertus est, vt præter commodum, & vtilitatem, quę summa est, accolis quoque magnum sui specimen præbeat, & tantam olei copiam sæpe ferat, vt finitimis omnibus vrbibus, & in magna Germania remotis, nedum Veronæ sufficiat. Vina quoque alba, & rubra, dulcia, gustuque suauia, varij generis fructus, præsertim ficus optimæ eo nascuntur, vt nil præterea desiderari possit abundantius, & copiosius.

DE AGRO VERONENSI MERIDIEM VERSVS. Cap. XVI.



NTER Benacum, Athesim, & Vrbem multæ villæ, & rura interiecta sunt vineis, fructibusque excellentissimis refertissimæ. Hæc regio nomen à lacu accipit, diciturque vulgo Gardesana, cuius longitudo millia passuum VIII. latitudo vero XII. est Benacum, & eius laudes nostro æuo duo egregij vates versibus decantarunt. Petrus Bembus Cardinalis, & Georgius Iodocus monachus homo Germanus, verùm latinarum musarũ cultor maximus. Ore Gardensi contermina est agri Veronensis pars quædam, quæ à paruo flumine, Tilione appellato, nomen obtinens, quum per eius alueum producatur, Regio secundum Tilionem nominatur. Hęc à Villa Franca initium sumens, & secundum agri Mantuani fines perducta, propè vicum Veronensium Hostiliam super Padum situm terminatur, longitudine mill. pass. XXV. latitudine X. Hostilia autem oppidum in hac regione primarium est, superbi operis arce, mœnibus, & ductis in circuitu fossis, conclusisque paludibus munitissimum, quod à Veronensibus, cuius agri iuris fuit, anno CIↃL. conditum, Reguli Mantuani Senatus Veneti permissione possident; distat à Verona Hostilia mill. pass. XXX. Hic porrò ager Gardensi feracior, & vberior existimatur, vino præsertim, & frumento, sed hæc Gardensibus sunt tenuiora. Multos præterea adhuc pagos, villas & oppida habet cultoribus paganis referta, in quibus olim nobilissima castella, munitissimæque arces erant, quæ nunc solo æquatæ sunt ob sumptus, stipendiorumque magnitudinem. In hac regione ampla, & recta est via, quæ ab Hostilia Veronam ducit XXX. mill. passum longa, aliquot locis succisa, verum impositis pontibus coniuncta, pertinentque ad hos pontes paludis initia, quæ Melariæ, Brigantinique agrum vsque pertingit. Augent hanc paludem duo fluuij Tilione maiores, Tartarus, & Meniacus, quorum Tartarus in Veronensi agro ad Græcianum ex paludibus oriens ad sinistram Nogarolam villam habet, Comitum Nogarolorum Veronensium vetus patrimonium, Insulaque Porcaritia, & Gaium vicus eidem fluuio dextrà adiacent. Eius

A apud Tacitum lib. historiæ Augustæ XIX. & Plinium lib. XVI. cap. III. mentio est. Hic haud facile sine pontibus traijci potest, quum vadum limosum, ripasque palustres habeat, piscibus porrò est refertissimus, & magna ex parte nauigabilis. Hic ager à fortissimis rusticis colitur, qui incredibili studio, & industria eum vberrimum reddunt. Locus ipse totus planus est, & fructuosus. Post Tilionis oram, est alia Veronensis agri portio ima, meridiem etiam spectans, lingua Veronensi Zosana vocata à situs decliuitate ita dicta; Nam qui ex vrbe illuc proficiscuntur, paulatim descendere videntur. In hac longe maiores pagi sunt, & vici, quam in Tilionis ora, agerque ipse illo longè vberior est, & feracior. Nostra porrò ętate, postquam Insubres assiduis bellis vexari cœpti sunt, à Mediolanensibus bella continua fugientibus, hac agri Veronensis parte risorum satio, & cultus repertus est, ex quo tam
B ciuibus, quam rusticis magni prouentus, & commoda redduntur. Hac ora sunt plerique riuuli, qui in Athesin omnes defluunt, qui magno vsui huius regionis paganis est nam eo aduerso flumine redditus omnes ad Vrbem nauibus deuehuntur. Hac in regione est & Meniacus amnis (vt dixi) qui ortum ad Magnanum habens, Ceretam vicum, Prætelas, Bodolonumque præterfluit. Infra, ipsa palus augetur ab Athesis fluuij ramo ad castagnarium appellata. Athesim vero versus ad sinistram vicus est villa Bartholomęa appellatus, pauloque supra Athesim sinistrorsum hæret Liniacum oppidum, populo, opibusque plenum, mercaturæque commodissimum, quod nuper à Senatu Veneto muris ingentibus, fossis, & aggeribus munitum est. Inde Athesi Iebetum adiacet, brassicę, & multæ & suauissimæ feracissimum adeo, vt Plinium, crediderim, si suam nunc incoleret Veronam, nec
C Sabellum in admirationem, vt scribit, crispum, nec lacuturres Aricinos præpositurum. Ipsa regio agro Ferrariensi contigua est, in longitudinem patet millia pass. XXV. in latitudinem autem XV. frumenti in primis ferax vini, verum tenuis, & non nisi ęstate delectabilis. Quo tempore à ciuibus multum frequentatur. hieme enim ob itinerum difficultatem accessus difficilis est.

DE BALNEIS CALDERIANIS. Cap. XVII.

VLTERIVS Athesim ad orientem versus est alia Veronensis agri pars, Fluuius nouus vulgo vocata, ita dicta ab amne, qui agrum Coloniensem interfluit, dudum Veronensium ditioni subiectum. Huius regionis initium est
D à pago Calderiano qui olim non vulgare castellum fuit, à Balneis aquarum calidarum vocatum Calderium. Hęc Balnea quæ à Io. Antonio Pantheo Veronensi insigni commentario illustrata sunt, memoratu admodum digna variis morbis & ægritudinibus medentur, præsertim stomachi doloribus, & renum infrigidationi, quorum fama ita diffusa est, vt mense Maio ex propinquis & longinquis regionibus multi varijs doloribus & morbis vexati huc accedunt sanitatem recuperandi gratia. Sunt porrò aliquot fontes sub ipso monte, qui Gadius vocatur, ab antiquo quodam Gadio Magulla, qui balneorum restaurator fuit, cuiusque hoc antiquum epigramma diu ante ibidem inuentum est.

E

GADIVS MAGVLLA
HER. SECVM NON HABET
IVNONIS BALNEA
SED HABET OMNIA
BALNEA VINA VENVS CORRVMPVNT
CORPORA NOSTRA
SED VITAM FACIVNT B. V. V.

Horum fontium, qui colli Gadio proximior est, læua ad montis nouissimam planiciem ab extrema harena siphonibus bullas emittit, quæ salientes aheni calidas æmulantur, hæ vaporis temperamento insilientium corpora complectuntur. Fons ipse circinati orbis specie, viri-

viridanti labro, limpidißimas vndas continet. Ad hunc magnam languentium frequentiam conuenire solitam, indicio extant, quæ adhuc vix apparent viuo saxo circumsedilia incisa, quæ paganorum incuria vel temporis vetustate subrupta paßim disiectaque sunt, nam magno ęgrotantium vsui quondam fuisse credendum. Nam mihi eò forte proficiscenti, quum ad balneas diuertissem, narrabat senior quidam è paganis, se reminisci non multos ante annos, non modo villæ rusticos, & alios vicinos rurestres, verum vrbicos ciues, atque exteros languentes à longinquioribus locis ad præcipuum, pręsentißimumque balnearum perfugium confluere solitos. Ex his quidam scabie aspersi, alij vlceribus luridi, alij carbunculis inusti, enormem sordium eluuiem exuti, lucenti cutis mollicie in iuuenilem formam restituti abibant. Nunc verò eam fontium cessare celebritatem afferebat. Destituuntur enim aliquando balneæ à vulgari hominum imperitia, quum aduersum earum effectum frustrati expectatione experiuntur. Et quod mali semel euenit, id in futurum fore semper arbitrantur. Subterranei etiam aquarum meatus, certis annorum periodis, amissa ingenita viuacitate, non modo languentibus minime prosunt, verum lethiferum virus concipiunt, quo miserandis fatis mortales conficiunt; quod euenire creditum est, aut noxia aeris intemperie, aut aquis æqualis potentia vel contraria solitam virtutem exhaurit, aut supernorum ignium fluore, quo medicorum fontium vis, vel penita tellure reconditur, vel læthali tabo inficitur. Hoc & toto terrarum orbe celeberrimis Puteolanis, & Baianis fontibus in Campania accidisse comperi, quum ibi fui. Hinc rudes homines fontes illos noxio veneno commaculatos peruersa medicorum inuidia rati sunt, quo præsentaneam, & gratuitam naturæ opem hominibus auferrent, grandioremque quæstum pharmacis sibi compararent. His rationibus philosophi, poetæque astipulantur. Hi namque tabificam aeris malitiam esse tradunt,

Quæ fœdet lymphas, corrumpat pabula tabo,
Det genus omne neci pecudum, det & omne ferarum,

vt Virgilius decantauit. Alius est præterea fons à priore breui tractu separatus, largiore labro librata in planicie ebulliens. In eo eisdem tubeculis harenis, eisdem scaturientibus bullis, quasi per siphunculos pollucent argenteæ vndæ, ita vt mirum sit, quam propè vaporanti, ignitumque solum habenti, læti gramineo virore nitentes redeant fontis margines. Vtriusque porrò fontis eadem erat vis, atque potestas. Quanam verò ratione fiat, vt continuo sine lignorum adminiculo aggesto, sine ignis fomento, hæ indefessæ concoquantur vndæ, quaue de causa medicantes exiliant è terræ visceribus tepefactæ aquę, alterius est negocij disputare. Quibus verò pręcipue morbis auxiliares nunc sint, vel olim fuerint Calderianæ, supra breui sermone perstrinxi. Hæc balnea ad Kal. Maias, quo potissimum mense languentes ad ea conuenire solent, ære publico expurgari à vicinis agrestium incolarum operarijs solebant, vt ex municipalibus vrbis nostræ legibus constat. Nunc aliquot fabricis factis paulatim restituta sunt. atque hactenus de balneis Calderianis.

DE AGRI VERONENSIS PARTE AD ORIENTEM VERSA. Cap. XIIX.



EGIO ipsa, quę Fluuius nouus (vt supra dixi) appellatur, Coloniensibus, Vicentinis, & Patauinis coniuncta est, millium paß. xx. longitudine, latitudine verò IX. pagis, grandioribusque villis, & castellis plena. Ager hic omnium Veronensium regionum optimus est, qui vina acria, & dulcia multi vigoris, granum, canape, linum, & magnam leguminum copiam fert. In eo est castellum Portus è regione Liniaci super Athesim, quondam magni nominis, & virium oppidum, quod bello, quod cum Veneta Republica Cęsar Maximilianus patrum memoria gesit, funditus penè excisum est. Quod nunc Veneti instaurare aggreßi: antiquæ dignationis specimen præbet. Regrediendo deinde montes ver-

A verſus læua ſitus vrbis, occurrit longè latèque patens regio, vallibus collibuſque humilibus referta, à quibus colles imi vocatur. Huic ſeptentrionem verſus adjacent maiores montes Germaniæ finitimi, ſuper quos, vt ſupra dixi, Cimbrorum, & Teutonum reliquiæ adhuc ſuperſunt: quæ valles inter ſeſe montibus intermedijs ſeparantur. Quarum ab vrbe remotiſſima, agroque Vicentino finitima, vocatur vallis Montiſchiæ, à proximo pago ita appellato, olei, vini, & frumenti ferax, à collibus oliuiferis tota circundata, ita vt amœniſſima, viſuque iucunda loci facies ſit. In cuius plano Alpo amnis diſcurrit, molarum vſui, & irrigandis pratis, vt magis frugifera ſint, commodiſſimus. Poſt vallem Montiſchiæ, eſt alia vallis à villa Cattiani vocata, ſuperiore non minus fertilis, ſed longè maiore fluuio decorata, qui Trominia vocatur, piſcium varij generis productor, & longè vbertimus finiti-
B morum pratorum irrigator. Hic oppidum Suauium præterfluit à voluptate locique amœnitate ſic dictum, vinorum optimorum ferax. Suauij mercatus publicus totius regionis agitur; quo fit, vt multos cultores habeat. In hac ipſa Cattiani valle ſunt præterea multi alij vici; nam admodum producta eſt, quibus vina optima, & varij generis fructus feruntur. Poſt vallis tertia eſt à pago Triniaco vocata, latiſſimèque extenta, in qua olei, frumenti, & vini excellentis copia producitur. In ea ſunt pagus Illaſi, & oppidum vetus Coloniola, vetuſtis epigrammatibus ornatum, omnis generis frugum abundantiſſimum. Vrbi propinquior eſt quarta vallis Mecianenſis, à villa eius nominis nuncupata. quæ nuper aliquot nobilium exædificationibus mirum in modum decorata eſt. Vallis ipſa fertilis eſt, verum ſuperioribus longè anguſtior; oleo tamen, vino, herbidis pratis, & aquis abundans. In
C plano aliquanto dilatatur, nam vſque ad patentes Lauanij campos extenditur, atque in multa iugerum feracium millia includit, quæ alendis incolis ſufficiunt. Vltra alium collem Veronæ proximiorem, extat vallis Marcelliſia, cuius pagus Mecianis quidem maior; verum vallis ipſa ſitu anguſtior eſt Mecianienſi, agri vero eadem vbertas eſt. Proxima huic vallis Veronam verſus Montis aurei vocatur, ab oppido ita nominata, quod vix tribus paſſuum millibus ab vrbe diſtat. Hæc, quum penè ſuburbium ſit, à ſagaci rerum ac diuina opifice natura omnium longe elegantiſſima, & pulcherrima fabrefacta videtur. Cui ars, quod ſuum erat præſtitit, ſumptuoſiſſimis enim ciuium ædificijs, & villis plena eſt. Eam amnis Fibius interfluit ferè nauigabilis, ſupra quem multa ædificia fabricata ſunt, quibus æs, & ferrum obtunditur ad arma concinnanda, folles ad pannos, & capicia condenſanda,
D & expurganda ſuſtentantur, piſtrina, quibus chartę bambacinæ conficiuntur ſcribentium vſibus, reguntur. Hic fluuius varij generis piſces, abundanterque producit; in his præcipui piſciculi, Truttæ, & Cancri optimi, præter hos gignit Temalum piſcem guſtu ſuauem, ganeiſque, & popinis gratum. Agrum vberem, & vina valida habet. Hic quum Scaligeri Veronæ rerum potirentur, multa ædificia, & ſumptuoſiſſima erexerunt, quum oppidum Montiſaurei in delicijs haberent. Sunt præterea hac valle Vici alij multi, ſed parui, amœni omnes, & fertiles quos breuitatis cauſſa enumerare omittam. Atque hæc eſt vniuerſi agri Veronenſis per ſuas partes accurata deſcriptio.

E *DE VALLE AGRI VERONENSIS P. ATTII VOCATA.*
Cap. XIX.


VVM vniuerſum agrum Veronenſem, quà longe ab vrbe diſtat, fines ſuos verſus deſcripſerim, nunc reliquum eſt, quò negocium mihi propoſitum expleam, vt vrbis Veronę ſuburbia, agroſque pomerio vicinos, eadem ratione explanem; qui tribus potiſſimum partibus comprehenduntur, duabus vallibus P. Attij, & Policella, & patentibus inter vrbem, & Villam Francam campis. Atque à valle P. Attij, quæ nunc, corrupto vocabulo, Paltena dicitur, incipiam vrbi proximiore. Nam ab eius latere ſeptentrionem verſus ſita

eſt. Hæc ſatis ampla, & patens eſt decem pagis decorata, inter quos præcipuus eſt Vicus S. Mariæ ſtellarum dictus, ſuper omnes amœnus, in quo ob temperatam cœli clementiam, plagæque apricitatem, ſuperba palatia duo à Comitibus Iuſtis exædificata ſunt, viridarijs, hortis, fontibus, viuariis auium, piſciumque, & cœteris id genus ornamentis inſtructiſſima. Huius vallis vbertas magna eſt, præſertim optimi vini, cuius magnam copiam fert. Quum autem magnus ſit prouentus, quem hac ex valle ita vbere ciues extrahunt, longe maior commoditas eſt, quod vrbi propinqua exiſtens iter commodiſſimum, aditum, reditumque eodem die in vrbem ſine vlla corporis moleſtia habet. A

DE VALLE PVLICELLA. Cap. XX. B



NOVISSIMA omnium vallium agri Veronenſis, omniumque longè maxima eſt Pulicella. Quæ quamquam vallis appelletur, re ipſa magnæ ditionis regio eſt, ſeptem & viginti pagos, vel caſtella, pluresque alias valles complexa. Eius magnitudo in circuitu XXV. millia paſſuum excedit, villaſque, & vicos habet, quoſdam ſuper colles, quoſdam in marginibus, quoſdam vero medijs in vallibus ſitos, à paganis vafris fortiſſimiſque culta, qui ob res egregie in bello geſtas, multa obtinuerunt à Scaligeris priuilegia & immunitates, quas omnes ijſdem Senatus Venetus confirmauit vrbis Imperio potitus; quarum ea præcipua eſt, quod ipſorum iuris eſt, ciuem Veronenſem Vicarium pro Prætore creare, qui auctoritatem habeat ius dicendi de quacumque ſumma. Multę præterea vectigalibus, publiciſque functionibus immunes ſunt. In hac valle agri Veronenſis naſcuntur vina Rhetica, Falernis tantum poſthabita à Virgilio. De quibus, & eius uvis meminit Plinius lib. XIV. cap. I. & VI. Huius vini præſtantia, quum multis alijs oſtendi poſſit rationibus, tum maximè hoc uno extollitur argumento; nam eius fama captus Theodoricus Oſtrogothorum in Italia Rex, magnam eius copiam Rauennam per flumen Atheſim vehi iuſsit, qui Acinaticus vocabatur. De quo Caſſiodorus in epiſtolis ita ſcriptum reliquit. *Vinum etenim illud colore purpureo regium, ſapore præcipuum, dulcedo eius ineffabili ſuauitate ſentitur, quod tamen tactus eius denſitate pingueſcat, vt carneus liquor, aut potio edibilis videatur.* Et Tranquillus in Auguſto; *Auguſtus* (inquit) *Rhetico vino maximè delectatus eſt, neque temere interdiu bibit.* Huius vini varia genera ſunt, ut alba, & nigra, dulcia, recentia, acria, & matura. Ipſa vallis olei multum, lignorum, quod ſatis ſit, fructuum omnis generis ita magnam copiam fert, vt non ſolum Veronam, ſed ad omnes finitimas vrbes, Venetiaſque uſque tranſportentur. Adeo, ut rectè dici poſſit, vallem Pulicellam Veronenſium meras delicias eſſe, tum ob rerum, quas producit, bonitatem, & copiam, tum quod urbi propinquiſsima eſt. Huius regionis ruſtici, robuſtis vaſtiſque corporibus ſunt, laborum patientiſſimi, & militia optimi. In ea eſt caſtellum vetus, Marianum à C. Mario Coſ. ut fama eſt, conditum, in eius victoriæ memoriam, quam his locis contra Teutonas habuit. Id haud procul ab amne Atheſi ſitum eſt. Memoratu quoque digna eſt villa Comitum Turrianorum, vico Fumanis exædificata, quæ ob fabricæ artificium antiquis æquari, omnes certè noſtri temporis in agro Veronenſi ſitas ſuperare poteſt, hortis, fontibus per longas aquæductuum formas corriuatis, viuarijs & cęteris eius generis ornamentis decorata. C D E



DE

A DE RELIQVA AGRI VERONENSIS IN SVBVRBIIS PARTE. Cap. XXI.


Ouissima agri Veronensis pars restat explicanda, quæ circa vrbem planam sita
ad quinque passuum millia extenditur, amne Athesi diuisa, appellaturque vil-
læ, & mansiones campaneæ Veronensis. Nam eas duo campi quaqua versum
excipiunt amplissimi, æquissimi, patentissimique; quorum vnus latitudine in-
cipit ab Athesis alueo, & vsque Villam Francam extenditur, prope regionem Tilionis; hinc
ad alteram Athesis partem, quæ superior est, terminatur, XV. millium passuum latitudi-
nem comprehendens, sine vlla arbore, vel virgulto, sed herbida, & patens omnibus ar-
B mentorum gregibus ad pascendum. Longitudo eius longè minor est latitudine: nam à
pomerio vrbis inchoata, vix ad quintum lapidem extenditur; in cuius fine meridiem versus
castellum Attianum loco amœnissimo situ est, antiquum comitum Nogarolarum patrimo-
nium. Alius campus vlterius Athesim hoc admodum minor est, verum longè fertilior:
nam quo magis fluuio propinquat, agrum feraciorem habet, prataque ita herbosa, vt fe-
num bis in anno ibidem secetur. Quamquam autem hi campi steriles esse videantur, non
tamen omnino inutiles sunt, quum maximi prouentus ex eorumdem pascuis excipiantur:
oues enim in his pascentes ob soli ariditatem vellera pretiosissima ferunt. In extremis cam-
pis, sunt supradictæ villæ, & mansiones; in his Insula Scaligerorum præcipuus pagus, quæ
processu temporis communito ꝑsidio, ædiculisque additis ita aucta est, vt accedente po-
C puli multitudine, ingentis vrbis specimen præ se ferat, quum nunc vici grandiores iam factæ
sint, in quibus generosa vina producuntur. Paganorum porrò præcipuè opes sunt greges,
& armenta vtriusque pecoris ob pascuorum oportunitatem; campos hos patentissimos, ma-
nufacta, vt dixi, ab agricola, raro impedit fossa, ita vt natura eos committendis maximis in-
ter exercitus prælijs de industria fecisse, ac complanasse sit visa. Hi sunt campi à scriptori-
bus Veronensium & Venetiæ nominati, in quibus à C. Mario, & Q. Catulo Cos. vt mox
referam, Cimbri ad internecionem cæsi sunt, vt omnes auctores memoriæ prodiderunt, &
præsertim his verbis ex Liuio lib. LXIIX. L. Florus lib. III. c. III. sic. *C. Marius Cimbros per
hiemem alpibus deuolutos, in campis Venetis vsu iam vini & coctarum carnium mitigatos aggres-
sus est, & illis petentibus proximũ diem pugnæ statuit. In qua* LXCIↃ. *ceciderunt hinc tertio mi-
D nus Rex eorum Beleus pugnans interiit, vxores eorum acerrimo bello captæ, libertatem non impe-
trantes, suffocatis elisisque infantibus mutuis vulneribus & capistris capilleis se necarunt. Ligu-
rini, qui Noricos alpium tumulos insederant, fuga dispersi, in latrocinia euanuerunt.* Hos ex
duabus partibus Athesis præterlabitur. Hi iidem campi sunt, qui ab Antonio primo bello
Ciuili Vitelliano Vespasiani Imperatoris duce delecti sunt ad pugnam equestrem, quà ꝑe-
ualebant, cum Vitellianis ineundam, de qua sic scribit Cornelius Tacitus historiæ Augustæ
lib. XIX. *Quæsitum deinde à Primo Antonio* (is acerrimus belli concitator erat) *quæ sedes bello
legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua præualebant,
simul coloniam copijs validam auferre Vitellio in rem, famamque videbatur.* In his ipsis cam-
pis Theodericus Visegothorum Rex, Odoacrem Herulum Italiæ Tyrannum ingenti prælio
E superauit, factaque est maxima in vtroque exercitu, sed maior in Odoacris, strages. Iisdem
in campis Ariulphus Bauarorum dux ab Hugone Burgundo Italiæ Rege prælio victus, Ita-
lia exactus est. Hic porrò ager vniuersus Veronensis est, cuius descriptionem breui sermo-
ne perstrinxi, qui vario regionis positu, ciuibus, & rusticis incolis omnia necessaria abundè
subministrat. Atque quamquam non omnino fertilis sit, maiori tamen ex parte amœnus,
& cultu suauis, miram cæli clementiam, aerisque apricitatem habet, in quo sunt montes,
valles, colles, campi culti, incultique, pascua, lacus, & flumina, atque frumento, vino,
oleo, omni frugum genere, lanis, serico, atque omnibus ad humanæ vitę vsum necessarijs
fertilissimus est, ita vt verè dici possit Veronam nulli Italiæ vrbi secundam esse, eiusque
agrum fructus suos finitimis populis potius communicare, quàm aduentitijs opus habet.

Totius porrò agri Veronensis longitudo à septentrione, & finibus Turbularum agri Tridentini, ad Policinium Ferrariensem agrum meridiem versus extenta, passuum millia continet circiter XXC. Latitudo verò ab oriente, & agri Vicentini finibus ducta, per vrbem mediam in occidentem vsque ad Brixianorum agrum, vbi maior est distantia, continet passuum millia circa XL. Quum igitur in Veronensis agro per vniuersam regionem amœnissimę clementioris cæli pateant stationes, non immeritò poeta Claudianus senem Veronensem Aglao Sophocleo Arcadi non dissimilem celebrauit, qui nusquam in omni eius vita à natalitijs suę regiunculæ limitibus excesserat, sed potius spontanea relegatione intra auiti soli natiuas sepes felicissimus ad tertiam vsque ætatem validoque robore firmus victitauit. Hunc autem in modum ille cecinit. A

Felix, qui proprijs æuum transegit in aruis, B
Ipsa domus puerum, quem vidit ipsa senem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat sæcula longa casae.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non claßica miles,
Non vacui lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius vrbis,
Aspectus fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non consule computat annum, C
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager soles, idemque reducit,
Metiturque suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit patrio qui gramine quercum,
Æquæuumque videt consenuisse nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmisque lacertis
Ætas robustum tertia cernit auum.
Erret, & extremos alter scrutetur Iberos, D
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Quo testimonio inter beatissimas regiones vrbem nostram connumerari posse manifestum est.

DE VARIO MVRORVM VRBIS AMBITV. Cap. XXII.



Vum ex vetustis scriptorum monumentis manifestum sit, Veronam Romanorum rebus toto terrarum orbe florentibus, maximam, & amplissimam vrbem fuisse, coloniaq; copijs valida à Cornelio Tacito appelletur, non mirari non possum, quanam id ratione fieri potuerit, vt eo tempore murorum eius ambitus longe angustior fuerit, atque nostra ætate est. Hoc E autem ita fuisse ante demonstrare necesse esse existimo, deinde propositam quæstionem enodare. Accedit, quod hoc loco percommodè fieri potest, vt conditoribus vrbis, eiusque agro accuratè explicatis, nunc quis vetustissimus, recentior deinde fuerit murorum eius circuitus, examinem; nam id res ipsa penè postulare videtur. Antiquissimum igitur vrbis pomerium (pomerium autem locus erat tam intra, quam extra vrbis murum, quem antiqui in condendis vrbibus augurato consecrabant, neque in eo vllum fieri ædificium patiebantur) vt ego ex antiquis nostræ vrbis monumentis obseruaui, hoc fermè erat. Vltra Athesim à septentrione Theatro, & arce, quæ nunc S. Petri dicitur, eoque monte vrbs claudebatur, à cuius dextero latere occidentem versus, mœnium pars inchoata propè

A Basilicam S. Stephani, inde per ripas, vbi nunc Athesis fluit, vsque ad Basilicam S. Euphemiæ dein in orientem versa portæ Bursareæ, quæ tunc vrbis erant, conjungebantur. Ex qua porta ad Leonum arcus extensi muri, deincepsque, vbi nunc Athesis alueus est, retracti vsque ad Ædiculam D. Faustini, læuo Theatri lateri ad orientem pertinebant, ita vt Basilica S. Mariæ in organo, ab oriente, Basilica S. Firmi Amphitheatrum, & arcus Castrinueteris à meridie, & Basilica S. Stephani ab occidente vrbis pomerio exclusa antiquitus essent. A meridie porrò vrbis muros à Basilica S. Euphemiæ ad arcus Leonum productos; portamque Bursaream vrbis fuisse, ex antiquo hoc epigrammate in peristylijs eiusdem portę inciso facile intelligi potest.

COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLENIANA VALERIANO II. ET LVCILLO CONS.
B MVRI VERONENSIVM FABRICATI EX DIE III. NON. APRILIVM
DEDICATI PR. NON. DECEMBRIS IVBENTE SANCTISSIMO GALLIENO AVGVSTO
N. INSISTENTE AVR. MARCELLINO V. P. DVC. DVC. CVRANTE IVL. MARCELLINO

Cur autem, & qua ratione muri vrbis Veronę & quo anno à Gallieno Imp. restaurari iussi fuerint, post exponam. Ad cætera, quæ diximus, confirmanda pergamus. Basilicam porrò S. Firmi maioris extra vrbis mœnia fuisse intelligitur ex antiqua concessione eidem facta, cuius mentionem extare vidi in Archiuo Abbatiæ SS. Firmi, & Rustici Veronæ sic:

In nomine Dei æterni. Anno ab incarnat. D. N. Iesu Christi CIↃXCVI. *Ind.* IX. *Sanctæ Trinitatis benedictione incipiatur hæc nostra concessio, eiusque suffragio salua permaneat à modo, & vsque in perpetuum. Nulli dubium esse credimus, licentiam datam fore Episcopis patribus, C solamen ferre debere scilicet pauperibus, clericis, sacerdotibus, quos necessitatem sufferre viderint. Idcirco ego in Dei nomine Othbertus S. Veronensis Ecclesiæ Præsul, omnibus notum fieri volumus, quomodo presbyteri Dei Ecclesiæ SS. Martyrum Firmi, et Rustici, quæ est fundata foris mœnia prælibatę vrbis non longe ab alueo Athesisl, et vbi corpora Beatorum sanctorum . . . . sunt recondita, nostram scilicet adierint mercedem, imporantes, vt eorum in aliquo subleuaremus necessitatem. Quod nos iustum, & rectum considerantes, maximeque sanctorum patrum auctoritate promoti, vna cum consilio, & assensu sacerdotum, ac Diaconorum nostrorum S. Matris Ecclesię concedamus.* Amphitheatra porrò extra muros vrbium construi ab antiquis solita testimonia multa sunt, & in primis Cornelius Tacitus lib. XIIX. qui Amphitheatrum Placentinum extra eius vrbis muros fuisse refert. Deinde Amphitheatro Polæ, Puteolis, Eugubij, Hispelli, Al-D bæ longæ, Nemausi, Spoletij, & Romæ castrense, omnia extra vrbium mœnia erant. Illud adde, quod oratorium S. Zenonis longo etiam tempore post à S. Gregorio Papa in libris Dialogorum, extra vrbis Veronæ muros fuisse refertur: erat autem hac vrbis parte, vt nunc est etiam, situm. Basilicam porrò S. Mariæ ad portam organi extra vrbis pomerium aliquando fuisse intelligitur ex vetustissimo exædificationis eius diplomate, quod in eiusdem archiuis adhuc conseruatur, in quo ita scriptum est.

Pelagius vniuersalis Episcopus, Paulo dilecto in Domino filio S. Aquileiensis Ecclesię Patriarchæ perpetuam in Domino salutem. Quum magna nobis sollicitudine insistit cura pro vniuersis Ecclesiis Dei: & paulo post. 29. *Vnde quia postulastis à nobis, quatenus Patriarchatui S. Aquileiensis Ecclesiæ cœnobium, quod Ferox Abbas extra muros Ciuitatis Veronæ in loco, qui dicitur ad orga-*E *num, construxit, vestræque subiecit ditioni, cum omni suo honore, & pertinentijs confirmaremus.* Hic porrò Pelagius prædecessor fuit in Pontificatu S. Papæ Grægorij, vixitque anno Christi DXXC. sub Imperatore Tiberio Constantino. Idem intelligi potest ex alijs eius monasterij priuilegijs, vt eius, quod à Carolo Magno Imperatore concessum est, in quo sic scriptum inueni.

Imperante Carolo Magno Imperatore anno IV. mense Nouembris Indictionis III. Monasterium S. Mariæ, situm in suburbio Veronæ, loco, qui dicitur ad organum. Item Lotarij & Ludouici Imperatorum. *Imperantibus Klotario gloriosissimo Imperatore anno XXXV Kludouico eius filio anno V. Indictione II. mense Iunio, Monasterium S. Mariæ situm Veronæ foris portam organi.* Et Berengarij Italiæ Regis. *Datum Veronæ sub Rege Berengario anno regni eius in Italia X X. Indictione*

ditione X. mense Martio in Monasterio S. Mariæ sito foris portam Organi, vbi nunc est Abbas Austrebertus. Et in antiquissimo diplomate, quod in archiuis canonicorum est, mentio extat Ecclesiæ S. Ioannis Baptistæ, sitæ ad Portam Organi anno XII. Regni Caroli Magni. Hac igitur ex parte satis liquet vrbis muros haud productos fuisse longe ab ædicula S. Faustini, propè quam adhuc murorum veterum vestigia cernuntur, ex læuo theatri cornu deducta. Ab occidente vero Basilicam S. Stephani extra vrbis muros fuisse via Tridentina sitam, colligitur ex gestis S. Theodori Veronensis Episcopi. Monasterium quoque S. Gregorij in Brayda constructum extra vrbis mœnia olim fuit, vt ex eiusdem cœnobij priuilegijs, & erectione cognoui. Nam ea parte vrbis muros Scaligeros deduxisse paulo post ostendam. Ioannes insuper Diaconus Veronensis, de quo paulo post dicam, in historia, quam scriptam reliquit, Regem Gothorum Theodericum Amalum refert præcepisse Veronæ, altare S. Stephani ad fonticulos in suburbio Veronensi subuerti, & eius Diui Basilicam destrui, quæ tunc cathedralis erat. Hic porrò fuit murorum vrbis ambitus à Gallieno Imperatore, sub quo ingruentibus in Italiam barbaris vrbis nostræ muri restituti sunt, relictus anno salutis CCLX. quo anno Valerianus II. & Lucillus consules fuere. Hunc porrò vrbis gyrum exiguum admodum, angustumque fuisse, dubium non est. Porrò quis ante Gallienum circuitus eius fuerit, incertum. Verisimile est hunc ipsum à me relatum fuisse, atque à Gallieno muros vrbis nequaquam ampliatos, sed aut ex veteribus restauratos, aut antiquis fundamentis exædificatos. Nam angustissimi admodum fuissent, si Gallieni tempore ampliati essent. Quę verò caussa Gallienum Imperatorum mouerit, vt vrbis muros restitueret, suo loco haud longè post commodius exponam. Nunc porrò eam controuersiam tollere conabor, quanam ratione Verona *vrbs amplissima*, & *maxima* à scriptoribus ante Gallieni tempora etiam vocetur, atque eius muri ita angusti fuerint. Vbi illud primò scitu dignum, vrbes ea tempestate refertissimas gentibus fuisse quidem, verum & domos altissimas quinque, & sex familiarum capaces habuisse, ita, vt angusto admodum solo multa hominum millia continerentur. Illud adde, veterum vrbium magnitudinem, non murorum circuitu vel pomerio ipso veteres æstimasse, sed hominum multitudine, qui dum vrbem colerent, parum referebat intra pomerium habitarent, Romanorum præsertim toto terrarum orbe, & in Italia præcipue florentibus rebus; quo tempore Italiæ omnes populi bellis externis omnibus, & à barbaris tuti, altissima pace fruebantur, nec vis externa aliqua timebatur. Qua ratione fiebat, vt Italiæ vrbes de fabricandis muris, vel eis ampliandis parum curarent, cum omnes tutissimæ, beatæque, & altissima in pace ætatem agerent, antiquisque muris, vt vetere pomerio contentæ, suburbia longè, latèque producebant, ita vt longè maior ciuium pars suburbia, quam vrbis corpus habitaret. Muros vrbium, & pomeria vetere tantum religione ducti conseruabant: nam ijs in locis sacra quędam vrbium Genijs fiebant, non quod ijs, vt se defenderent, nulla existente externa vi, opus haberent. Eos etiam aliam ob caussam vrbium muros conseruasse credendum, vt omnium ciuium tanquam arx essent, & receptaculum, repentino aliquo impetu de foris ingruente, vel bellis ciuilibus inter Romanos duces orientibus, quibus aliæ aliorum rebus vrbes studebant, vt bellis ciuilibus inter Cæsarem, & Pompeium, Augustum, & Antonium, Vitellium, & Othonem, Vespasianum, & Vitellium, Seuerum, & Iulianum, & alios eiusmodi Imperatores factum fuisse videmus. His enim Verona pro Cæsare contra Pompeium, pro Augusto contra Antonium, pro Vitellio contra Vespasianum, & demum pro Maxentio contra Constantinum bellis ciuilibus stetit. Quum porrò hæc bella haud diuturna essent, sed cito transigerentur, multum in restaurandis muris, vel ampliandis studium non posuere. Verum Imperij Romani maiestate paulatim declinante, Barbarorumque transdanubianorum rebus inualescentibus, quod sub Philipporum Imperio primo factum est, ijsque continuis incursionibus non Dalmatiam modo, Noricum, Rhenas, Pannoniam, & Męsiam vicinas ijs prouincias vexantibus, sed Italię etiam minitantibus primum; deinde quum sub Gallieno eam inuasissent, & Rauennam vsque progressi essent, alpium jugis vicinas Ita-

liæ

A liæ vrbes noua quadam ratione muniri necesse fuit, & amplioribus latioribusque muris circundari, ne oppidani frequentib9 barbarorũ incursionibus expositi, ad internecionem cæderentur, vel incolis captiuis abductis, hæ vrbes à barbaris occuparentur. Quæ omnia quum Gallieni Imperatoris tempore iam fieri cœpissent, Imperator ipse nobilissimæ & opportunissimæ vrbis, quæ alpium faucibus exposita, barbarorum primos impetus sustineret, excidium veritus, eam nouis muris circundari, vel veteres restaurari iussit, vt ex ipsomet vetusto portæ Bursareæ epigrammate intelligi potest. Quod autem dixi, veteres Romanorum vrbes inter Augusti, & Philipporum tempora in Italia haud munitas fuisse, facile omnes historias, Taciti præsertim, percurrentibus manifestum erit; apud quem primo ferè impetu, bellis ciuilibus nobilissimas Italię vrbes pro partibus stantes capi, & aliquando exscindi legi-
B mus. Dionysius pręterea Halicarnasseus historiarũ lib. II. vrbem Romã, ad cuius exemplum reliquę Italiæ coloniæ conditæ erant, describens ita ait: *Post Ser. Tullium Regem vrbis pomerium non processit, numine (vt aiunt) prohibente, sed sunt omnia circa vrbem habitata loca, multa ea, & magna, exposita, facillimaque, vt aduenientibus hostibus prædæ essent obnoxia. Quod si quis hæc spectans voluerit vrbis magnitudinem exquirere, is errare cogetur, nec vllum signum certum, quo dignoscatur, habebit, quousque sit hæc vrbs progressa, aut vnde esse non amplius vrbs incipiat, ita vrbi contexta est regio, præbetque spectantibus opinionem extensæ in infinitum vrbis. Si verò muro vix perscrutabili, propter ædes complectentes eum vndique, vestigia autem quædam locis multis seruanti structuræ veteris, metiri idem eam velit, Athenarum vrbis circuitu non multo maior est.* Atque hac ratione, habita vrbis proportione, Veronam etiam
C fuisse crediderim ante mœnia eius vel restituta, vel ab Imperatoribus, & Veronensi populo ampliata.

DE HIS QVI POST GALLIENVM IMP. POMERIVM VRBIS protulerunt. Cap. XXIII.



RIMVS post Gallienum Imperatorem, vrbis nostrę muros restituit Rex Gothorum in Italia Theodericus Amalus (quem propterea Veronensem, vt existimo, adhuc Germani vocant, quod supra omnes terræ Italiæ vrbes Veronam amarit, exornarit, & ampliauerit) vt auctor est Ioannes Diaconus Ecclesiæ Vero-
D nensis accuratissimæ historiæ conditor, qui ducentis, & quinquaginta annis ante immensi laboris annales conscripsit. Quorum exemplum archetypum, & in membranis scriptum, ipse Parmæ apud optimum ciuem, & tam insigni doctrina, quam vitæ probitate præstantissimum, æternaque memoria dignum Hieronymum Taliaferrum vidi. Hoc Verona à comite virtutum & Mediolani Duce primo Ioanne Galeatio vicecomite, Veronęque Domino, Ticinum, quum ipse Dux instructissimam libris infinitis vndique magna pecunia conquisitis miri operis Bibliothecam conderet, transportatum ipse ex insigni illa Bibliotheca, Ticinensi populatione erutum, emerat. Hic itaque Ioannes Veronensis ciuis auctor est, Theodericum Regem vrbis nostrę pomerium ampliasse. Ita enim scripsit: *Muros vrbis Veronæ, qui modo sunt, construxit Theodericus Gothorum Rex, muris antiquis intra vrbem*
E *inclusis.* Quod qua ratione fieri potuerit, non intelligo; nam certissimis annalibus, muros, qui Ioannis huius ętate Veronę erant, hoc est anno CIↃCCC. posteriori tempore conditos inueni. Idcirco Theodericum potius instaurasse veteres vrbis muros crediderim vetustate dilabentes, quam nouos condidisse, quum id historicę veritatis certissimis, quę apud me sunt, monumentis, & Procopio Cęsariensi, qui post Theoderici mortem bellum Gothicum conscripsit, repugnet. Procopius enim lib. III. de bello, quod cum Gothis Iustinianus Imperator post Theodorici obitum gessit, ita scribit: *Bellisarius itaque ex vniuerso exercitu viris centum delectis, nocte iam intempesta quamproxime muros Veronæ accessit* (veniebat autem ex agro Mantuano, atque è campis Veronensibus) *et vbi custos ex conuento portam aperuit,* (hęc ad meridiem erat, & fortè Bursarea fuit) *nonnullis ibi in custodiam collocatis, exercitum ad se* eua-

euocauit; muro deinde milites Romani inscenso, quos forte deprehenderunt Gothos custodes de improuiso inuadentes obtruncant. Quod malum Gothi vbi primum vniuersi sensere, per portas alias ab hac longe diuersas fuga euadunt (Hę fuerunt portę Theatro ex vtraque parte propinquę, vna quidem versus Basilicam S. Stephani, altera verò S. Marię ad organum). *Non procul à muris Veronæ, rupes quædam eminentior extat, vbi quæ intra vrbem geruntur conspici omnia veluti è specula possunt, & hominum in ea numerus haud difficulter iniri prospectusque longior subjectos in campos patet.* (Hunc locum proculdubio esse existimo vbi nunc agellus & casa est Camilli Alcenaci paulo supra ędiculam S. Ioannis in Monte, ex quo tanquam eminentissima specula vrbs tota facillime adhuc deprehenditur). *Ergo eò se Gothi quum recepissent, nocte tota conquieuerunt. Romanorum vero exercitus, qui stadijs inde aberat* XI. (Villam francam versus) *haud dum vrbi progrediendo appropinquarat. Romanorum Ducibus ipsis de rebus vrbanis, bonisque Veronensium ciuium diripiendis inter sese altercantibus. Vbi itaque dies illuxit, & Gothi, è summo rupis, quam insederant, vertice diligentius cognouissent, quotinam hostium per vrbem diuagarentur, quantumue exercitus alius ab vrbe distaret, cursu citato per easdem portas, quibus prius euaserant, repetunt vrbem; non enim ingreßi antea Romani portas has occuparant. Romani cognito Gothorum in vrbem reditu, pari consensu in muri propugnacula fuga statim se recepere, & superuenientibus ingenti multitudine barbaris, cum hisque conferentibus bello manus, Romanorum ex agmine milites plerique, & Artabazes ipse Romanorum Dux, mira de se opera edendo, ac fortius decertando, hostes in se effuse ruentes impugnabant.* Ex hoc itaque Procopij testimonio, & his quę supra citaui, S. Marię in Organo, & S. Stephani monumentis, vrbis muros hac tempestate ita fuisse apparet, vt ego ante descripsi. Erat autem annus salutis circiter D L. quum hęc Veronę facta fuerunt, quę Procopius scripsit. Ex priuilegijs porrò Monasterij S. Marię in organo, & loco S. Gregorij in dialogis de Basilica S. Zenonis, vbi nunc oratorium eius dicitur, satis intelligi potest, vrbis muros haud ampliatos fuisse vsque ad tempora Caroli Magni Imperatoris, totoque Longobardorum Regum tempore, quo vrbs Verona in eorum ditione permansit, vetus à Gallieno Imp. locatum pomerium habuisse.

DE VRBIS AMBITV A CAROLO MAGNO FRANCORVM ET Longobardorum Rege, patricioque Romanorum ampliato. Cap. XXIV.



CIRCA annum Domini DCCC. paulo antequam Carolus Magnus Rex Francorum, & Longobardorum, ac patricius Romanorum, Imperator Occidentis, & Augustus à Leone Papa III. consecratus esset, muri vrbis Veronensis, eiusdem Regis, & filij eius Pipini iussu ampliati sunt. Quod quamobrem, & quo tempore factum, & quę murorum pars ea fuerit, atque vnde illud didicerim, nunc demonstrabo. Vrbem Veronam, vt latius paulo post ostendam, post Constantini Augusti Imperium, in occidentis Romanorum Imperatoris ditione cum reliqua Italia fuit. Imperatoribus occidentis exactis, Regibus Gothorum, mox ijs pulsis, Imperatori Romanorum orientis Iustiniano seruiuit. Post cuius mortem, quum Longobardi, gens Germanica à Narse vocati, Italiam inuasissent, vrbem Veronam cum reliquis ferè omnibus Italię vrbibus occuparunt, eaque per annos ducentos, & amplius potiti sunt. Postremo Rege eorum nouissimo Desiderio à Carolo Francorum Rege pręlio victo, & capto, cum toto Longobardorum imperio in Francorum potestatem deuenit, anno Domini DCCLXXVI. Prępositusque est toti Italię à Rege Carolo Magno filius eius Pipinus Rex, qui regni Italici sedem Veronę esse statuit. Quo in Italia, patre vero eius Carolo Magno in Gallijs, & Longobardię regnantibus, muri nostrę vrbis ampliati sunt, vt ex antiquo hoc monumento didici, quod in membranis mirę vetustatis scriptum inueni, in vetustissima, nobilissimaque Collegij Canonicorum Veronensis Ecclesię bibliotheca, quod quamquam barbare exaratum, subijcere tamen placuit, vt vnde ego hęc acceperim, omnes intelligant, fidemque historicę veritatis expleam. Eius autem exemplum est.

Anno

A ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS DCCCXVIII.
Notitia qualem pedaturam murorũ Veronensis ciuitatis pars domus Episcopij S. Zenonis præteritis
temporibus facere solita fuerit. Tempore Regis Pipini, quum adhuc ipse puer esset, Gens Hunnorũ,
aliàs Auares dicta, Italiam cum exercitu inuasit. Cuius rei hæc caussa fuit, quia exercitus Franco-
rum, & præsertim Dux Foroiuliensis, Hunnos, qui inter Italiam, & Danubium in Pannonijs ha-
bitabant, assiduis populationibus infestabant. Igitur quum de eorum aduentu Carolus Rex Fran-
corum certior factus esset, Veronam tunc maiori ex parte dirutam reparare studuit, murosq;, et tur-
res, fossasq; per vrbis gyrum fecit, adiectisq; palis fixis à solo vsq; muniuit, ibiq; Pipinum filium re-
liquit, & Berengarius eius legatus ad recipiendam ciuitatem missus. De faciendis autem muris,
& fossis orta est contentio inter ciues, & vrbis Iudices, ac partem S. Zenonis. Iudices enim ad
B tertiam partem domus Episcopij facere volebant, pars vero Ecclesiæ, quod ad comparationem tã-
ti populi exigua esset, volebat non tertiam, sed quartam, sicut antiquitus fuerat, dare. Et non so-
la pars Episcopij, sed cum ea monasterium S. Mariæ, quod situm est ad portam Organi, et tria alia
monasteriola regalia, idest S. Petri in Mauratica, S. Stephani in Ferrarijs, S. Thomę puellarum in
vrbe, sed & duo Regis Xenodochia, vnum quod est ad portam S. Firmi, & aliud, quod dicitur
Calaudustera. Quumque in hac contentione diu immorarentur, & neutra pars alteri cede-
ret, quia pars publica, quæ dicebat, probare non poterat, quod multum tempus transiisset, ex quo
hanc vrbem reparare opus non erat; quia Longobardorum tempore nihil indigebat, publico studio
munita. Si quid autem modicum ruebat, statim à Vicario ciuitatis restituebatur. Tandem habito
consilio pacti sunt, vt hæc Dei, & sancti spiritus reseruarentur iudicio, eligentes duos iuuenes cleri-
C cos sine ullo crimine existimatos, statuerunt in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ ad domum, & ad cru-
cem stare fecerunt, quorum unus Aregaus, post Archipresbyter Ecclesiæ maioris nomine, ex par-
te publica: Alter vero ex parte S. Zenonis Pacificus scilicet, qui post Archidiaconus Ecclesiæ
maioris fuit. Hi ambo ab introitu missæ usq; ad mediam passionem tantum, quæ est secundum Mat-
thæum pariter starent; ille qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit;
Pacificus vero vsq; ad finem passionis stetit. His gestis & omnibus gratias Deo agentibus, quartã
partem tam ciuitatis, quam castelli pars Episcopij, cum his, quæ supra memorauimus, accepit. Mo-
derno igitur tempore, eo scilicet anno, quando Imp. Lotharius cum exercitu in Franciã cum fra-
tribus ad patrem perrexit, nuntios suos, idest Marium Bergensem Comitem, Herimbertum Episco-
pum Laudensem Veronam misit, ut muros, qui ad portam, quæ dicitur noua, diruebant, siue in
D castello, alijsue necessarijs locis restituerent, & de his cum suis socijs pars Episcopij quartam partem
pedaturæ accepit, & opus illud perfecit. Hæc omnia ob auferendam contentionem nos scri-
psimus, qui in his actis ab initio huius narrationis vsque ad præsentem annum, idest Dominicæ in-
carnationis DCCCXXXVII. Indictione XV. interfuimus. Ex hoc antiquo, & archetypo mo-
numento illud in primis animaduersione dignum est, Longobardorum tempore nullam
murorum in uniuersum restaurationem factam esse, sed illos ipsos fuisse, quos Rex Gotho-
rum Theodoricus à Gallieno Imp. diu ante factos restituerat. Deinde Vrbis portam, quæ
ad Leonum regionem erat, S. Firmi à proxima eius Diui Basilicam vocatam. Tertio muros
vrbis sub Rege Carolo magno restitui, & ampliari iussos ob Hunnorum irruptionem, quæ
tunc timebatur, eorumq; restitutionis partem quartam Episcopatus, & ceterarum illarum
E quinq; Ecclesiarum, reliquum vero publicis expensis factum. Quæ autem murorum vrbis
pars tunc fuerit adiuncta, haud difficile cognitu est. Vlterius Athesim enim ab oriente læua
Theatri parte muri inchoati, atq; versus S. Felicis arcem, dehinc usq; ad agellum, & casam
Camilli Alcenaci supra ædiculas S. Zenonis in monte per montis dorsum producti, atque in
ipsa rupe terminati, cuius rei adhuc, veterumque murorum pars inchoata est, quę in hortis
Comitum Iustorum adhuc superest, deduciturq; vsque ad Athesis riuum, appellaturque no-
stra ætate murus nouus, duabus portis patentibus coniunctis, tertiaque fluuium versus orna-
tus. Athesis præterea minor pars, quæ vadum illud ducentis antea annis sibi quęsierat, vs-
que ad nauium pontem, deinde fluminis maior alueus pro vrbis muro erat usque ad arcum
Leonum è regione murorum vrbis propè Basilicam S. Firmi inchoatorum, qui ab eo loco

E pro-

producti, paululumq; versus Amphitheatrum, portasque maiores muri fori Boarij flectentes, vsque ad arcum castri veteris pertinebant, magnaque ex parte ex Amphitheatri, cæterorumque veterum publicorum monumentorum ruinis facti. Amphitheatro incluso, & reliqua vrbe, quæ nunc inter portam Bursaream, Amphitheatrum, atque Leonum arcus, & hos fori Boarij muros interiecta est. Horum murorum vestigia quædam adhuc propè Amphitheatrum visuntur. A parte vero Theatri dextera occidentem versus, productis vsque ad Athesim muris, Basilica S. Stephani pomerio inclusa est; S. Georgij in Brayda verò extra vrbem relicta, vt ex earumdem priuilegijs quingentis annis antea ipsis ab Imperatoribus concessis animaduerti. Athesis deinde pro muro vrbis erat à Basilica S. Stephani, vsq; ad arcem Castri veteris, vbi muri recens facti terminabant. Hunc autem eum murorum vrbis ambitum fuisse, qui vsque ad Scaligerum Principatum mansit, certum est; atque ego ostendam, quum de ijs vrbis mœnibus verba faciam, quæ illi construxere. Portas porrò muri noui ab oriente olim vrbis fuisse, testimonio sunt vetusta Imperatorum diplomata, Basilicæ, & monasterio SS. Nazarij, & Celsi Veronæ concessa, in quibus id cœnobium extra muros vrbis Veronæ tunc fuisse refertur. Vnius exemplum hoc est. *Anno Domini* CIↃCXI. *Indictione* IV. VIII. *Kal. Iunij regnante Henrico V. Regni anno V. Imperij I. Benedictus Abbas monasterij SS. Martyrũ Nazarij, & Celsi extra muros ciuitatis Veronæ non longè positi.* Fori verò Boarij muros vsq; ad duas portas olim vrbis mœnia fuisse, ita manifestum est, vt ad id confirmandum nullo præterea testimonio opus esse existimem. Basilicam S. Firmi extra vrbis męnia fuisse liquet ex supra citata vetere concessione Episcopi Othberti ann. CCIↃXCVI. Atque hi, quos descripsi, muri vsque ad Scaligerorum principatum immoti permansere.

DE MVRIS VERONENSIBVS SCALIGERORVM PRINCIPATV fabricatis. Cap. XXV.



MVROS vrbis à Carolo Magno conditos nequaquam vsque ad Scaligerorum tempora mutatos fuisse, vnquam inueni. Eos tamen vetustate collabentes sæpe restitutos fuisse obseruaui, præsertim Berengario maiore, & reliquis, qui post eum fuere, in Italia regnantibus; quum Hungari gens Scythica Lombardiam omnem igne, ferroq; acerrimè vexarent, circa annum Domini DCCCC. Quo tempore, quum ea murorum pars, quæ propè arcum Castri veteris erat, aquarum vi, & temporum incuria labefactata esset, ex amphitheatri potissimum lapideis gradibus restituta est. Primus Scaligerorum Albertus Iacobini filius Mastini primi Veronensium Domini frater, secundus Veronæ Princeps, vetus pomerium proferre ad orientem versus vlterius Athesim aggressus est. Is enim murum vrbis ab Athesi ad portam Episcopi fabricauit, eumque sub proximi montis excisi rupe propè eandem portam terminauit; fossas quoque extra vrbem ea parte profundas fecit, Anno sal. CIↃCCXXCVII. Cœnobio SS. Nazarij, & Celsi, & campo Martio inclusis. In quo antiquitus tyrones milites exerceri solebant ad militiæ labores ferendos; nostra vero ætate, quum locus percommodus sit, vellera purgata sole siccantur. Canis deinde grandis Scaliger Alberti ipsius filius, quintus Veronensium Princeps, reliquam murorum eius regionis partem, vel de nouo fecit, vel collapsam vetustate restituit; is enim anno salutis CIↃCCCXXIV. muros vrbis ab Episcopi porta inchoauit, eosque per montis dorsum perductos propè ædem S. Zenonis in monte vsque ad Athesim occidentem versus ponè Basilicam diui Georgij in Brayda produxit. Fossasque ea parte incredibili labore in monte ipso excisas, secundum vrbis muros à se conditos fecit, Germanorum Principum vim veritus, quum haud tuta Vrbs ea parte esse videretur; monte præsertim, qui incumbentia castello desideraret oppidoque immineret, extra vrbem hostibus relicto. Ipse etiam fabricandi auidissimus, vrbisque decoris studiosissimus, aliam murorum partem anno sequenti inchoauit, perfecitque, quæ cis Athesim suburbium S. Zenonis, cum eius maiore Basilica, ædem S. Trinitatis,

&

Back of
Foldout
Not Imaged

D. O. M.

Index Alphabeticus locorum publicorum, ac rerum præcipuarum Vrbis Veronæ; quæ hîc spectandæ exhibentur.

ABBATIÆ Commendatæ III.

1 S. Firmi Minoris in Brayda.
2 SS. Trinitatis.
3 S. Zenonis Maioris, ubi eiusdem Sancti Corpus requiescit. Habet Ecclesia portam maiorem æneam insignem constructam à Pipino Rege Caroli Magni Filio.
4 Academia Philarmonica.
5 Academia Philotima.
6 Ambitus Vrbis antiquissimus à Gallieno Cæsare instauratus: linea continuata signatus.
7 Ambitus Vrbis secundus à Carolo Magno constitutus, lineolis rectis distinctis repræsentatus.
8 Ambitus tertius à Mastino primo Scaligero ab Athesi ad portas magnas Brayda ductus: quem mœnia demonstrant.
9 Ambitus Vrbis quartus ab Alberto primo Scaligero erectus, lineolis transuersis notatus.
10 Ambitus Vrbis quintus à Cane Magno primo Scaligero extructus, punctis designatus.
11 Amphitheatrum, vulgò dictum Arena.

Arces. IV.

12 Arx à Ioanne Galeatio Vicecomite intra quintum ambitum ædificata, à Rep. Veneta destructa: in cuius muro intersectis lineolis descripto, ubi numerus 12. cernitur, erat Porta Cittadella nuncupata.
13 Arx S. Felicis ab eodem Vicecomite cœpta, à Rep. Veneta perfecta.
14 Arx S. Martini in Aquario à Cane Magno secundo Scaligero ædificata: dicta Castrum vetus.
15 Arx, seu Castrum S. Petri à Berengario Seniore Rege constructum, vbi Lucius III. Pont. Max. solenniter celebrauit: ponè quod locus dictus Nazareth, vbi Viridarium Episcopatus.

ARCVS. V.

16 Gallieni Cæsaris, dictus Porta Bursarea.
17 Gauiorum, ad Castrum Vetus.
18 T. Flauij Norici, in via Leonum marmoreus.
19 Lateritius in eadem via.
20 Iouis Ammonis, in via curriculari.
21 Athesis fluuius à Tridentinis Alpibus usque ad mare Hadriaticum cursu ducentorum ferè millium passuum nauigabilis.
22 Athesis Alueus primus, nunc prima eiusdem fluminis deriuatio, varijs fabricis inseruiens.
23 Campus Martius, olim schola militia, ludis militaribus dicatus.
24 Canonica, in qua est Collegiata S. Helena, siue S. Georgij à Domo.
25 Cathedralis Eccl Assumptioni B. Mariæ dicata, & ab Vrbano III. Pont. Max. consecrata. Habet portam maiorem insignem à tempore Caroli Magni.
26 Collegium Medicorum in Eccl. SS. Cosma, & Damiani.
27 Columna S. Marci in foro Magno, anno sal. 1523. sub Andrea Griti Duce Venet. erecta.
28 Commenda Militum S. Ioannis Hierosolymitan. in Eccl. S. Vitalis.
122 Curia.
29 Curricularis Via, siue Hippodromus.
30 Domus Mercatorum, ubi Mercatoribus ius dicitur à Prætore Vrbano.

ECCLESIAE Parochiales intra Pomœrium XLVIII. ex Cong. XLII. extra Cong. VI.

31 S. Aegidij Prioratus.
32 S. Andrea.
33 SS. Apostolorum Archipresbyteratus.
34 S. Bartholomæi, in Monte Iesuatorum.
35 S. Benedicti.
36 S. Cæcilia.
37 SS. Clementis & Blasij Eccl. iuncta.
38 S. Crucis in Eccl. dicta la Madonnina, extra Cong.
39 S. Donati ad Columbam.
40 S. Euphemia Eremit. S. Augustini, extra Congr.
41 S. Faustini.
42 S. Felicitatis.
43 S. Firmi de Curte alta.
1 S. Firmi minoris in Brayda.
44 S. Georgij in Brayda, Can. S. Georgij in Alga.
45 S. Iacobi ad Pineam, unita Cong. extra C ng.
25 S. Ioannis ad Fontem ponê Eccl. Cathedralem.
46 S. Ioannis ad Forum.
47 S. Ioannis in Valle. Archipresbyteratus.
48 S. Laurentij.
49 S. Marci ad Carceres.
50 S. Maria Antiqua. ubi Ara Maxima fuit ab Alex. III. Pont. Max. consecrata: vbi & Principum Scaligerorum Mausolea.
51 S. Maria Arcis maioris.
52 S. Maria ad Clausam.
53 S. Maria Consolatricis.
54 S. Maria ad Frattam.
55 S. Maria Insularis.
56 S. Mariæ ad organum, siue in organis, Monachorum Oliuet.
57 S. Matthæi cum Cortinis Prioratus.
58 S. Michaelis ad Portas.
59 SS Nazarij & Celsi Monach. Cassin.
60 SS. Omnium Prioratus.
61 S. Pauli de Campo Martio. Archipresbyteratus.
62 S. Petri in carnario.
63 S. Petri ad Monasterium Prioratus.
64 S. Proculi. Archipresbyteratus.
65 S. Quirici.
66 S. Rustici ad Pontem Nauium.
67 S. Saluatoris de Curte Regia, Monialium Ord. S. Benedicti.
68 S. Saluatoris ad Frignanum, & S. Mama Ecclesia unita.
69 S. Siluestri, Monialium S. Benedicti.
70 S. Stephani. Archipresbyteratus.
71 SS. Syri, & Lib.ræ, prima Ecclesia Ciuitatis, vnita Monasterio S. Maria in organis, est tamen de cong.
72 S. Thomæ Apostoli.
73 S. Thomæ Cantuarien. Carmelit. extra cong.
2 SS. Trinitatis Abbatia commendata. extra cong.
28 S. Vitalis Melit. Hierosolym. ext. cong.
74 S. Zenonis in Oratorio. In quam, dum esset aperta Athesis excrescens usque ad fastigium non penetrauit.

ECCLESIAE Parochiales in suburbijs III. numeris non notata.

S. Ioannis de Quintiano Archipresbyterat. de Cong.
S. Martini de Auesa Monial. S. Augustini de Cong.
S. Michaelis in Campanea Monialium Ord. S. Bened. extra Cong.

ECCLESIAE Conuentuales virorum intra Pomœrium XX.

75 S. Anastasia, siue S. Petri Martyris Ciuitatis compatroni Ordinis Prædicatorum.
76 S. Angeli in Monte. Canon. S. Georgij in Alga.
34 S. Bartholomæi in Monte Iesuatorum.
77 S. Bernardini Ord. minorum de obseruantia.
78 S. Crucis, Capuccinorum.
40 S. Euphemia ord. Eremit. S. Augustini.
79 S. Firmi Maioris ord. Minorum conuentualium.
80 S. Francisci de Paula ord. Minimorum.
44 S. Georgij in Brayda, Canon. S. Georgij in Alga.
81 S. Lucæ, ord. Cruciferorum.
82 S. Maria ad Glaream, Cler. Regul. Thea.
56 S. Maria ad Organum siue in Organis ord. Monach. Montis Oliueti.
83 S. Maria à Paradiso, ordin. Seruorum B. M.
84 S. Maria ad Scalas, eiusdem Ordinis.
85 S. Maria à Victoria, Cong. B. Petri de Pisis.
59 SS. Nazarij, & Celsi Monach. Cassinen.
86 S. Nicolai, Cleric. Regul. Theatinorum.
87 S. Sebastiani, olim Iesuitarum.
73 S. Thomæ Cantuar. Carmelitarum.
3 S. Zenonis Maioris, ord. S. Benedicti.
88 S. Zenonis in Monte Cong. Fesulana.

ECCLESIAE Conuentuales Virorum in suburbijs III. numeris non signata.

S. Leonardi in Monte Dominico siue Oliueti, Can. Regul. Lateran.
S. Maria ad Arcam Ruptam, ord. min. de obser.
S. Maria in Campanea, ord. Monach. Camal.

ECCLESIAE Monialium intra Mœnia XVI.

89 S. Antonij ad cursum, Ord. S. Benedicti.
90 S. Bartholomæi ad leuatam, eiusdem ord.
91 S. Catharinæ Martyris, eiusdem ordin.
92 S. Catharinæ Senen. ord. S. Dominici.
93 S. Christophori, ord. S. Benedicti.
94 S. Clara, ord. min. de obseruantia.
95 S. Danielis, ord. S. Benedicti.
96 S. Dominici de Aquatrauersa, ord. S. Dominici.
97 S. Ioannis Euang. ad Beuerariam, ord. S. Augustini.
98 S. Ioseph, eiusdem ordinis.
99 S. Luciæ, ordinis S. Benedicti.
100 S. Mariæ Angelorum, eiusdem ord.
101 S. Maria Magdalena, ord. min. Conuen.
69 S. Maria Matris Domini in S. Siluestro, ord. S. Benedicti.
68 S. Saluatoris de Curte Regia, ord. S. Bened.
102 S. Spiritus, eiusdem ordinis.

ECCLESIAE Monialium in suburbijs II. sine numeris.

S. Martini de Auesa, ordin. S. Augustini.
S. Michaelis in Campanea, ord. S. Bened.

ECCLESIAE simplices intra Muros XIX.

103 S. Agnetis olim Parochialis, cuius loco S. Donati ad Columbam.
104 S. Antonij ad Glaream: vbi Seminarium Clericorum, olim Monasterium S. Antonij de Vienna.
105 S. Apollonia, membrum S. Maria in Organis.
106 Crucifixi in Brayda dicata SS. Firmo, & Rustico, prope quam locus est, in quo merces inuectæ sub dio expurgantur.
13 S. Felicis in eiusdem nominis Castro.
25 S. Georgij à Domo, siue S. Helena propè Cathed.
107 S. Georgij apud Eccl. S. Anastasia.
108 S. Georgij à Victoria à Cane Magno secundo Scaligero ædificata, dicta Victoria Vetus.
109 S. Iusti unita Monasterio S. Leonardi.
110 S. Margarita, membrum S. Maria in Organis.
111 S. Maria Nouella ad S. Petri ad Monast.





14 S. Martini in Aquario, in Castro Veteri.
112 S. Pauli Vetuli, est de Cong.
113 S. Petri in Archiuolto, est de Cong.
13 S. Petri in Castro, olim Archipresbyteralis, nunc unita Monasterio S. Angeli in Monte, est tamen de cong.
46 SS. Simonis, & Iuda post Eccl. S. Ioannis ad forum, est tamen de Cong.
114 SS. Teuteria, & Tusca.
115 S. Tuscana, alias S. Sepulchri, membrum commenda S. Vitalis.

ECCLESIAE simplices extra muros XII. sine numeris.

S. Alexandri, alias S. Rocchi, de iure patronatus Ciuitatis.
S. Antonij in Campanea titulo Prioratus.
S. Eligy, corporis Aurificum.
S. Iuliana, membrum Monasterij S. Anastasia.
S. Iuliani, membrum Monast. S. Euphemia.
S. Lucia, membrum Monast. eiusdem Sācta.
S. Lucia, conditrix parochialis omniū Sanctorum.
S. Maria Angelorum) Vnita Seminario
S. Matthia.) Clericorum.
S. Pancratij membrum Monast. Sancti Michaelis in Campanea.
S. Rocchi minoris, alias S. Sepulchri in Monte Caluario
S. Valentini intra parochiam S. Ioannis de Quintiano.
116 Episcopium.
117 Flumicellus Riuus ex Monte aureo, olim una cum Fonte Auesa Naumachia deseruiens.
118 Fons fori magni ex Auesa, ubi Verona simulacrum cum Regia Corona.
119 Forum Boarium, ubi modo Nundine.
120 Forum iudiciarium, ubi Collegium Iurisconsultorum.
121 Forum mercati Noui.
122 Forum Nobilium ubi Curia, Pratorium, Prafecti militū domus, & Questorum.
123 Forum rerum venalium, vocatum magnum; prope quod olim Capitolium.

HOSPITALIA intra mœnia XIX.

124 S. Alexij.
125 S. Bobonis, aliàs à Stella.
60 S. Catharina apud Eccl. omnium Sanct.
26 SS. Cosma, & Damiani.
126 Derelictorum utriusque sexus Puerorum territorij.
127 Disciplinae Iustitiae.
128 S. Gregorij.
129 S. Iacobi à Gallacia.
130 S. Iacobi ad Leuatam.
131 S. Ioannis in Sacco, Nobilium sorte miserorum.
132 S Lucae.
133 S Mariae à Domo, alias Nouella.
134 Mendicantium utriusque sexus.
135 Militum.
136 Misericordiae incurabilium, & pupillorum Ciuitatis.
137 Pietatis febricitantium, vulneratorum, & expositorum.
138 S. Proculi.
70 S. Stephani.
139 S. Tuscanae, membrum commenda S. Vitalis.

HOSPITALIA in suburbijs III. sine numeris.

S. Iacobi ad Tumbam, lepra infectorum.
SS. Petri, & Pauli in Parochia S. Michaelis in Campanea.
S. Rocchi peste infectorum, vulgò il Lazarette.

LOCA PIA Mulierum X.

140 Demissarum.
141 S. Francisci Puellarum, & Pœnitentium.
41 S. Mariae à Regio Virginum, apud Eccl. S. Faustini.
2 SS. Trinitatis Pupillarum Ciuium, & ad educationem Puellarum nobilium.
142 S. Vrsula, vulgò Vrsulinae.
143 Virginum, quae dictae le Zitelle.

PIZZOCARE.

113 S. Dominici propè Eccl. S. Petri in Archiuolto.
80 S. Francisci de Paula apud Eccl. eiusdem Sancti.
144 Minorum de obseruantia.
26 Seruitarum ponè Eccl. SS. Cosma, & Damiani.
145 Macellum maius publicum.
146 Mons pietatis.
147 Naumachia.

ORATORIA siue Congregationes Virorum intra Pomœrium. XXXI.

103 S. Agnetis cæcorum.
124 S. Alexij desciplinatorum.
105 S. Apolonia.
35 S. Benedicti Congregationis Oratorij.
148 S. Blasij, Peregrinorum de Vrbe.
125 S. Bobonis.
36 S. Caecilia Cong. Oratorij.
149 S. Caroli
60 S. Catharina apud Eccl. Omnium SS. Doctrinae Christianae.
150 Christi S. Marcelli de Vrbe.
151 Collegium Iustitiae, Misericordia de Vrbe.
152 Columbinorum minorum de obseruantia.
26 SS. Cosma, & Damiani S. Spiritus in Saxia de Vrbe.
106 Crucifixi in Braida, Doctr. Christiana.
153 Disciplina ad S. Zenonis.
108 S. Georgij a Victoria.
128 S. Gregorij suffragij mortuorum de Vrbe.
129 S. Iacobi à Gallacia.
71 S. Libera, Oratorium secretum.
110 S. Margarita mortis, & orationis de Vrbe.
111 S. Mariae Nouella ad S Petri ad Monast. Adolescentium doctrinae Christianae.
154 S. Mariae Vallis Viridis.
46 S. Nicolai de Tolentino, in Eccl. SS. Simonis, & Iudae.
86 S. Nicolai Theatinorum.
113 S. Petri in Archiuolto.
63 S. Petri in Carnario.
64 S. Proculi Doctrinae Christianae.
70 S. Stephani Doctrinae Christianae.
155 Sacrorum Stigmatum S. Francisci.
115 S. Tuscanae Doctrinae Christianae.
64 SS. Etti, & Modesti ad S. Proculi.

ORATORIA in suburbijs II sine numeris.

S. Crucis in loco Talliaferri.
S. Michaelis in Campanea.

PONTES publici integri XVII. Destructus I

Super Athesi IV. Integri.

156 Castri veteris insignis: ubi porta subsidiaria eiusdem Castri.
157 Nauales, ubi statio nautum.
158 Nouus.
159 Petra.
160 Vetus, iam destructus, cuius apparent vestigia in medio fluminis post Eccl. S. Faustini.

Super Deriuationibus Athesis VIII.

Super Prima ad Castrum Vetus IV,

161 Castri veteris.
162 Portarum magnarum Brayda.
173 A Palea.
164 Reorum Filiorum.

Super secunda Deriuatione. II.

165 Ad Telonium superius.
166 Ad S. Maria in Organis.

Super tertia deriuatione. I.

Ad confluentem secunde, & tertia deriuationis. I.

168 S. Vitalis.

Super Riuo dicto Flumicello V.

169 Ad Sancta Tuscana.
170 Ad S. Nazarij.
171 Ad S. Catharina Senensis.
172 Ad S. Christophori.
173 In Campo Martio.

PORTAE qua modo patent. V.

171 Brauy.
175 Episcopi recens.
176 S. Georgij.
177 Noua.
178 S. Zenonis.

PORTAE primi Ambitus V.

179 Theatri, postea S. Stephani: nunc muro clausa.
180 Ad Organum.
18 In via Leonum.
181 Ad Curtim Farina, alias S. Zenonis.
16 Arcus Gallieni Casaris, dictus Porta Bursarea.

PORTAE secundi ambitus, inclusis tribus Portis, Ad Organum, S. Zenonis & Bursarea.

PORTAE aperta. V.

182 Porta Muri noui duplex, alias Porta Episcopi vetustissima.
183 Porta muri noui tertia ad secundam Deriuationem fluminis.
184 Porta Magna Breyda, olim Porta noua.
185 Porta Victoria.
17 Porta Arcus Gauiorum, ad Aquarium.

PORTAE tertij Ambitus sublata porta S. Firmi, aperta II.

163 A Palea.
164 Reorum Filiorum.

PORTAE quarti ambitus, inclusis portis muri noui, aperta II.

186 Campi Martij cum alia porta parua, ubi nunc catena fluminis inferior.
187 Episcopi vetusta.

PORTAE Quinti ambitus inclusis quinque portis, ab Athesi usque ad Arcum Gauiorum aperta VI.

188 S. Crucis.
189 Calzarij, siue S. Spiritus.
190 S. Xysti, nunc eius loco Porta Brauij.
191 S. Maximi.
192 Noua, ubi catena fluminis superior.
193 Aurelia, ponè amœnissimum Comitum Iustorum Viridarium.
82 Prepositura S. Maria ad Glaream commendata.
122 Prafecti militum ades, quas Principes Scaligeri inhabitabant.
122 Pratorium.
122 Quaestorium.
194 Riuus secundæ deriuationis Athesis, secandorum lignorum fabrica destinatus.
195 Riuus tertia deriuationis simili fabrica inseruiens.
196 Sedes marmorea, in qua Principes acclamati olim sedebant, modo Pratores sceptrum magistratus accipiunt.
197 Spoliarium, in quod gladiatores in Amphitheatro cadētes unco trahebantur, modò capite damnatorum sepultura.
198 Theatrum.
199 Turris Campanae publice Lambertorum.
200 Turris Gardelli, dicta Horologij.
201 Turris Pentagona.
202 Vallis Dominica inter Ciuitatem, & Montem Dominicum:
203 Vas ex marmore porphyretico, cuius diameter octo, Stylobates duobus in altitudine, octo in circuitu constat pedibus.

VERONA Minor Hierusalem appellata in Proœmio Statutorum Verona qua XIV. Kal. Sept. MCCCCL vulgata.

In icone urbis, linea recta significant secundum murum, transuersa quartum; puncta quintum.

Back of
Foldout
Not Imaged

A & pleraque alia includit, atque ab vna Athesis parte versus campum Martium inchoata, ad alteram vsque propè Basilicam maiorẽ S. Zenonis pertingit. Nam Basilica S. Zenonis maior extra muros vrbis fuisse anno Domini CIↃ CCXX. etiam refertur in diplomate Friderici II. Imperatoris. Hoc autem murorum ambitu nunc sunt celeberrimæ vrbis portæ, Noua Curricularis, & S. Zenonis. Atque is postremus fuit, sub quo vrbs ampliorem circuitum adepta fuerit. Ab eo enim tempore vrbis gyrus vltra non processit, sed in ea, quam nunc conspicimus, magnitudine mansit; quamquã mœnia ipsa sæpe vel restituta sint, vel latiora, & validiora facta, vt nostra ætate factum vidimus à Veneta Republica, quæ quum vrbem Veronam obtinuerit, eam miri, elegantissimique operis portis Noua, & Curriculari, immensisque, & tutissimis propugnaculis hinc inde muniuit. Murorum porrò circuitus, nostra B ætate ad VII. CIↃ. passuum ampliatus est, additis his quæ Veneti fabricarunt nouis muris, latissimisque, & lateritijs propugnaculis.

DE HIS, QVI VERONÆ ARCES CONDIDERVNT. Cap. XXVI.

ARCEM S. Petri in ruinis antiquissimi, corruentisque Theatri, super montis crepidine primus omnium Berengarius Senior Rex Italiæ fabricauit, circa annum Domini CCIↃ. vt ex Luitprando Ticinensi illorum temporum scri- C ptore intelligi potest, in qua S. Petri Basilicam arce ipsa antiquiorem inclusit. Ipseque quum Regni Italici sedem Veronæ locasset, diu habitauit, & postremo per Flamberti cuiusdam insidias interemptus est, regni Anno. XXXVI. Cuius cadauer marmoreo pilo, in eiusdem Basilicæ porticũ sepultus ad nostra vsque sæcula manet. Arcem ipsam vetustate ferè collapsam restaurauit, magnisque turribus, & laxiore murorum ambitu fabricatam ampliauit Io. Galeatius Vicecomes Mediolanensiũ Dux primus, quum Scaligeris pulsis, vrbis imperio potitus esset. Ipse quoque præter arcem hanc, Cittadellam quoque, vt vulgo dicitur, inter Athesim, muros vrbis, & fori Boarij, viamque, qua ab amphitheatro itur ad portam nouam extruxit, quæ paulo ante à Venetis diruta est. Arcem etiam S. Felicis in imminente vrbi colle inchoauit, quæ nunc immensi operis muris, & validissimis propugnaculis, saxoque fossa excauata à Venetis munitissima D facta est. Arcẽ Castriueteris super Athesim cum elegantissimo ponte anno salutis CIↃ CCCLV. condidit Canis grandis secundus Scaliger, Octauus Veronensium Princeps, Mastini iunioris filius, propinquorum seditionibus, & continuis coniurationibus fatigatus. Quam loco opportuno extruxit, vt ex Germania, quum opus esset, auxilia accita præsto adesse possent. Eam muro, turribus, aggeribus, fossa, ponteque munitissimis triennio perfecit. Intus vero sibi, militibus corporis custodibus habitacula, domusque plures construi jussit. Hic porrò vniuersus est murorum vrbis Veronæ ambitus, qui post hominum memoriam ad nostra vsque sæcula fuisse memoratur, quanta fieri potuit diligentia, à me descriptus cuius Topographiam hic subijcere placuit.

E VERONÆ IMAGO. Figura A.

DE AMPLITVDINE CIVITATIS, AGRIQVE VERONENSIS laudibus. Cap. XXVII.

VRBS igitur nostra, nostra hac ætate populi frequentia, ædificiorum amplitudine, artium solertia, & ingeniorum celebritate, in eam est elegantiam, pulchritudinemque redacta, vt paucas admodum sui similes in omni terra Italia habeat, ita vt non immerito, septuaginta annis antea Ioannes Antonius Pantheus, quem honoris caussa nominaui, de ea sic suis in commentarijs scriptum reliquerit:

Vrbem Veronam in vniuersum illa rerum omniũ opifex natura ita locupletauit, vt in ea non solum A
miremur ingeniorum fæcunditatem, sed omnium frugum bonitatem, & exuberantiam. Memini
me iuuenilibus annis Eugenio Pontifice Maximo, vniuersam pene Italiam peragrasse, deinde
Pio. II Rom. Pontifice Perusinam, & Gallicam legationes obijsse. In quibus multorum hominum
vrbes, & mores, quum viderim, nulla me (vt sine aßentatione loquar) æquè oblectauit, ac Ve-
rona nostra, vrbium omnium ornatißima. Nec iniuria quidem, nam si eam omni ex parte diligen-
ter inspicimus, si situs iucunditatem, si regionis apricitatem, si cæli clementiam contemplemur, quid
eo amœnius? quid delectabilius? quid suauius? Insurgunt visu pulcherrimæ geminæ in colli-
bus arces; in vrbis medio tertia subsidet, ciuium munitißima defensacula. Intersecat illam non
modo fluuiorum omnium amœnißimus Athesis, sed multarum mercium subuectura commodißi-
mus, cuius impetuosas vndas lapideis, testudineisque fornicibus, pontes quatuor coniungunt vr- B
bis vicos. Stant ad vetustatis testimonium triumphales arcus, Theatrum & Amphitheatrum,
& plura ædificiorum monumenta multis sæculis nunc labefactata, Romanisque ornata inscriptio-
nibus. Prætereo recentiores, vrbicasque priuatorum ædes, ac plurimorum Diuorum magnifica tem-
pla. Quid preterea in agro Veronensi vtensile non modo non nascatur, sed etiam non egregium sit?
Si collinam eius plagam spectes, in ea oliui, vini, pomorumq; & bonitatem, & fertilitatem faci-
le inuenies, quod alibi rarum est. Si planiciem perquiras, triticia, fabaliaque, & alia id genus
legumina, pastoritiam rei pecuariæ vtilitatem, bubulam lactis, & ouillam, mollißimorum velle-
rum præstantiam, copiamque non desideres. Si montana scrutabere, sunt in montium supercilijs
adiunctæ diuersorum colorum lapidicinæ, fodinæ ferrariæ, lignorum cæduæ siluæ, tum ad rem
lignariam, tum ad omnem ædificiorum materiam. Quid referam cadentes vndique riuulos? C
Quid torrentes, & flumina? Quid inter omnes lacus celebratißimum Benacum? Qui præter cir-
cumstantia, media quoque hyeme florentia vireta, ac munitißima castella, delicatiorum ad om-
nem ganeam piscium est conceptaculum. In quo singularis toto iam orbe notißimus vndique ad pa-
latum expetitus carpio est. Est denique Veronensis ager non modò ad omnem frugum annonam
vberrimus, sed ad omnia aucupij, expiscationis, & venatus oblectamenta voluptuosißimus. At-
que hactenus Pantheus. Verùm ne quis Veronæ laudes suspectas haberet tamquam à ci-
ue suo concinnatas, quæ Blondus de ea, eiusque agro scripsit, breuiter afferam. *Nec ta-*
men (inquit) *minus cingit, quam diuidit Veronam Athesis, & custodiæ simul, ornamentoque,*
& subuehendis, deuehendisque mercibus, & frugibus magno sit vsui Veronensibus; quandoqui-
dem supra, infraque, & circum, ager est præcipuæ bonitatis, multa gignens in vrbem conuehenda, D
olei vim maximam, frumenta incolis in mercaturam superabundantia, vinorum varietatem,
atque præstantiam, pomorum omnis generis copiam, & lanam cæteras Italiæ subtilitate superantẽ,
vt nulla sit Italiæ regio, quæ partem inde non accipiat indumentorum. Oleum quoque, quum cæteræ
agri partes, tum maximè Benaci lacus dextera præstat ora, olearum consitis in siluæ speciem am-
plißime contecta, frumentaque seminarius ager amplißimus vndique patens mittit. Vinorum
præstantia multis patet argumentis. Pomorum copiam etsi nonnullæ aliæ habent Italiæ vrbes
Veronensi parem, nullo tamen in loco tam odorantia, tamque varia specie inueniuntur, quæ perpe-
tuitatem habent plurimi faciendam, quum senescentia ita seruentur solida, & illæsa, vt floren-
tibus, & nouellis immixta manducentur; lanæ præstantiam greges, & armenta à pastus proprie-
tate accipiunt, quam prata, campique prospectu quoque amœnißimi naturaliter præstant. Bal- E
dus quoque mons altißimus eandem herbis suis ingenitam, & multo maiorem virtutem præstet,
quò herbilegi vndique confluentes, multa herbarum, radicumque genera animantium saluti opitu-
lantia inde legunt. Diuersæ etiam per agrum Veronensem, perque oppida scaturiunt aquæ, non
minus ornamento à natura, quàm vsui attributæ, seu irrigationis, seu innumerabilia artificiorũ ge-
nera, seu haustum ipse consideres. Ita Blondus in Italia illustrata. Non solum autem nostra
ætate, verum etiam antiquis Romanorum temporibus Veronam maximam, nobilißimam-
que vrbem fuisse, testes sunt vetustißimi quique scriptores, qui de ea loquuti sunt. Quorũ
nobilißimus est Geographus Strabo, qui lib. v. ita de Verona scriptum reliquit: *Insubres hac*
etiam ætate sunt, qui Mediolanum metropolim habuere. Ea quidem prius vicus erat: omnes enim
vica-

A *vicatim habitabant. Hac vero tempestate eximia trans Padum vrbs est, quod admodum alpibus finitima. Ei propinqua Verona est, amplissima & hæc ciuitas. Huic inferiores Brixia, Mantua, Regium & Comum sunt.* Et Martialis Epigrammatum libro.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parua suo Mantua Virgilio.

Et Tacitus lib. XIX. *Veronam Coloniam copijs validam* appellauit. Quibus verbis amplissimam, & maximam vrbem antiquis etiam Romanorum temporibus eam fuisse liquet, non quidem murorum ambitu, sed magna populi frequentia.

DE VRBIS EXCIDIIS. Cap. XXIIX.

B

ER Veronam euersam, vel combustam fuisse, inani rumore, nulloque certo scriptore fertur. Addunt alij sine vllo vetere testimonio, & imperitè, à Barbaris. Ego autem, vt ter eam incensam fuisse, non inficias eam, sic id à Barbaris factum, haud me vnquam legisse memini; sed ne suspicari quidem unquam potui, quo tempore, vel à quibus Barbaris id factum fuerit. Id ego legi, eam fortuitis incendijs, ciuiumque intestinis discordijs aliquando ustam fuisse. De cuius vetustissimo incendio, quo nullum antiquius memoratur, paulo post ingentem illam aquarum vim exortò, meminit Paulus Diaconus in historia Longobardica, quum ait: *Post duos diluuij menses, eadem vrbs Veronensis magna ex*
C *parte incendio concremata est.* De altero verò vrbis incendio frequens mentio est in antiquis Veronæ monumentis, quod Anno Domini CIↃCLXXII. intestina ciuium in factiones diuisorum discordia factum est. Huius mentio est aliquot publicis Veronæ locis, vt in publicis chronicis sic: *Anno* CIↃCLXXII. *combusta est ciuitas Veronæ per ciues Veronenses.* Item in antiqua tabula marmorea fixa in muro Basilicæ SS. XII. Apostolorum versus ædiculam S. Teuteriæ sic.

ANNO DOMINI M.CLX.
COMBVSTA EST
PORTA SANCTI ZE
NONIS XV. DIE MAII.

ANNO DOMINI MCLXXII. IND. V.
DIE VENERIS QVAE FVIT VII. INTR.
IVLIO COMBVSTA EST CIVITAS
VERONENSIS.

D

Et in parietibus domus Episcopalis

A. D. M. C. LXXII.
OMNEBONVM. VERONENSIS
EPISCOPVS. HOC. FECIT. FIERI
OPVS. AD. HONOREM. DEI
ET. SANCTI. ZENONIS.
ET. EODEM. ANNO. VII. DIE
INTRANTE. IVLIO. COMBVSTA
E EST. CIVITAS. VERONENSIS

Nam quod Torellus eam à militibus Vespasiani primo dirutam bello ciuili Vitelliano, & ab Antonino Pio restitutam, iterumque à Barbaris Gothis incensam, & à Gallieno Imperatore reparatam, tertio porrò ab Attila Hunnorum Rege euersam, & à ciuibus repositam scribat, præterquam quod veterum auctorum testimonijs indiget, historię etiam ipsi repugnat. Nam ex Tacito satis liquet à Vespasiani ducibus conseruatam. Item sub Gallieno nequaquam à Barbaris captam, aut ab Attila dirutam paulo post ostendam. Hæc autem tetigisse tantum satis esse volui: nam ea latius in commentarijs describendis persequar.

QVÆ

QVÆ CIVITATIS CONDITIO FVERIT ANTE FOEDVS cum Romanis à Venetis initum. Cap. XXIX.

A



VETVSTISSIMIS temporibus, antequam cum Romanis vllum esset Cispadanorum fœdus, Venetorum, Cœnomanorum, & Insubrum gentes vicatim habitasse auctor est lib. v. Strabo. Post, eorum vicis ciuitatibus conditis, liberè suis legibus, & magistratibus viuebant, communibus singularum gentium inter sese concilijs deuinctæ. Inter quas, Veronam Venetorum potius, quàm Cœnomanorum conuentibus attributam esse, ex eo liquet, quod etiam Cœnomani ipsi quandoque Venetorum vocabulo appellantur, eorumque jurisdictio Benacum, & Mincium transgressa non sit. Porrò autem non ita facile, B atque in promptu est dicere, quæ singillatim per ea tempora vrbium singularum iura, leges, consuetudines, & magistratus fuerint: nam tenebris antiquitatis omnia oppressa abditissimè latent. Venetorum autem celebriores tum vrbes erant Verona, Patauium, Altinum, Ateste, Aquileia, Opitergium, & Hadria, quę mari Hadriatico nomen dedit. Multæ præterea aliæ nobiles fuerunt Venetorum veteres vrbes, quarum hac nostra ætate nec nomina quidem supersunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

C

ONV-



ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FR. EREMITÆ AVGVSTINIANI ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER II.

QVO TEMPORE VENETI, ET CVR PRIMVM CVM Romanis fœdus inierint. Cap. I.



C VLTAS Gallorum transalpinorum manus, vt Insubres, Cenomanos, Boios, Gessatas, & nouissimè Senonas dulcedine frugum, maximèque vini, noua tum voluptate captas, alpes transiisse, agrosque ab Etruscis, & Vmbris ante cultos possedisse, & eam Italię partem tenuisse, quæ postea Gallia cisalpina appellata est, accuratè libro priore exposui. Ex quibus Insubres, & Cœnomani cis Padum, Boij, Gessatæ, & Senones trans Padum loca obtinuerunt. In his Senones aduenarum recentissimi eam partem Italię Tuscis, & Vmbris antiquis cultoribus eripuere, quę inter amnes Vitem, & Æsin, vrbesque Ariminum, & Anconam sita est, quorum præcipua Ciuitas Sena fuit. Hi & vrbem Romam captam incenderunt, & multa postea adiuncti Tuscis, Vmbris Latinis, & Samnitibus bella vario Marte, & periculosa gesserunt. De his sæpe victis post Camillum Di-
D ctatorem, qui vrbem ab eis captam seruauerat, T. Quinctius, C. Sulpicius, C. Poetilius, M. Popillius, Q. Fabius Consules, & plerique alij Romanorum duces, celeberrimos triumphos egere, vt ex fastis consularibus, triumphalibusque intelligi potest. Postremo anno vrbis CDLXXI. *omnes eorum reliquias in Etruria ad Lacum Vadimonis P. Cornelius Dolabella Cos. deleuit*, (quem ob eam potissimum caussam Maximi cognomen inuenisse opinor) *ne quis demum extaret in ea gente, qui incensam à se vrbem Romam gloriaretur, ita vt hodie nulla Senonum vestigia supersint.* ita Florus. Senonibus cæsis eorum prouincia, quę inter amnes Vitem, & Æsin, Tusciam, & Vmbriam, & mare Hadriaticum erat, in ditionem populi Romani venit, aliquotque in ea Romanæ coloniæ deductæ, vt Castrum, Sena, & Hadria. Quo tempore etiam Italia, quę Æsin fluuium non excedebat, ad Rubiconem vsque extensa est.
E Senonumque regio, vt auctor est Strabo lib. v. antiquis incolis Vmbris est attributa, quos olim patrijs sedibus irruentes Senones cum Gæssatis eiecerant, quo tempore vrbem incendere. Senonum porrò ager publicus populi Romani diù fuit, sub Vmbrię partis nomine vocatus. Quem cum C. Flaminius Tribunus plebis M. Lepido, & M. Poblilio Cos. anno Vrbis DXX. vt ait Polybius, vel vt Cicero Q. Fabio Maximo II. & Sp. Caruilio Cos. lege lata, viritim diuidendum esse censuisset, bellum Gallicum cisalpinum excitatū est anno vrbis DXXIX. C. Atilio, L. Æmilio Cos. Nam quum reliqui Galli, ac maximè finitimi Boij, Senonum casu perculsi, rebus suis timerent, inita cum Insubribus societate Gallos eos, qui trans alpes ad Rhodanum accolunt, atque à mercede, qua ducti militabant, Gęsatę appellabantur, aduocarunt. Itaque quum Reges eorum Congolitanus, & Aneroestus magnis inducti pe-

cunijs cum ingentibus copijs alpes in Italiam traiecissent, ac se cum Boijs, & Insubribus conjunxissent, peditum ad L. millia, equitum ad XX. adducentes bellum Romanis intulerunt, octauo, vt scribit Polybius, post Gallici & Piceni agri, vnde Senones à Dolabella pulsi fuerant, diuisionem, anno, L. Æmilio, & C. Atilio Cos. In quem etiam annum bellum Gallicum cisalpinum à M. Veurio Flacco in tabulis capitolinis collatum est. Romani autem Gallorum tumultu nuntiato, maximas si quandovnquam aliàs, copias compararunt, tota etiam tum Italia enixè pro imperio laborauit. Summa peditum Romanorum, ac sociorum fuit supra quingenta millia; equitum verò supra sexaginta, vt auctor est Polybius. Vnde Plinius lib. III. cap. XX. inquit: *Hæc est Italia, quæ L. Æmilio Paulo, & C. Atilio Regulo Cos. nuntiato Gallico tumultu, sola sine externis vllis auxilijs, atque etiam tunc sine Transpandanis, equitum LXXX. millia, peditum verò CC. armauit.* Cœnomanos autem, & Venetos transpadanos intelligit, qui ex Gallis soli pro Romanis stabant. Nam, vt lib. V. Strabo refert, hoc bello Veneti, ac Cœnomani à Romanis per legatos sollicitati, non solum quieuerunt, sed tum primum icto inter se fœdere Romanis contra reliquos Gallos socia arma junxerunt. Ita porrò tradit Strabo. *Transpadanam regionem incolunt Veneti, & Histri vsque Polam. Super Venetos Carni, & Cœnomani, & Abduaci, & Insubres, è quibus nomini Romano hostes extiterunt aliqui. Verum Cœnomani, Venetique socia iunxerunt arma, & ante Hannibalis expeditionem, quo tempore Boios, & Insubres bello persequebantur.* Hoc autem bellum, quum annos quatuor perdurasset, eo confecto, victorijsque insignibus à Romanis partis, in quibus tres hostium Reges cæsi sunt, Sena & Hadria in agro Senonum, Arimino & Placentia vlterius Padum, & Cremona cis Padum Romanis colonijs deductis, Gallia cisalpina in prouinciæ formam tum primum à M. Marcello, qui postea quinquies Consul fuit, redacta est, quando is Virdumarum Gallorum Regem singulari certamine ad Clastedium interfecit, Tertiusque post Romulum spolia opima retulit. Bellum verò cum finitimis Boijs, & Insubribus susceptum eò postremo processit, vt Gæsatibus cum Senonibus funditus deletis, Boios ex agris eijcerent, Insubres verò cum Liguribus sæpe rebellantes omnino subiecerint. Vnde Strabo lib V. *Priscis igitur, vt dixi, temporibus plurimæ Gallorum gentes fluuium Padum incolebant, è quibus amplissimi fuerant Boij, Insubres, & qui olim cum Gæsatis Senones Romana per impetum potiti sunt Vrbe. Hos Romani posterioribus annis funditus deletos perdiderunt. Boios verò è finibus eiecerunt. Inde migrantes circumiacentes Istro locos cum Tauriscis habitarunt, bellum assidue contra Dacos gerentes, donec ea gens funditus extincta esset.* Hinc Germanos quidam Boios, & Boianos vocant. *Insubres hac ætate etiam sunt qui Mediolanum metropolim habuere. Ea quidem prius vicus erat, omnes enim vicatim habitabant, hac verò tempestate eximiæ dignitatis trans Padum Ciuitas est, quodammodo alpibus finitima.* Atque hic quidem fuit Gallorum Cisalpinorum, qui Romanis hostes fuerunt, exitus.

DE VENETIS, ET COENOMANIS, POST INITVM CVM Romanis primum fœdus. Cap. II.



ENETORVM porrò, & Cœnomanorum, qui primo belli Gallici impetu fœdere Romanis se coniunxerunt, ita se res habuere. Post bellum Punicũ secundum confectum, Hannibale victo, & Italia exacto, Insubres, & Boij, qui eius belli participes fuerant, quum à Romanis bello, tanquam hostium pars, peterentur, excitis Cœnomanis, qui ad id tempus quieuerãt, Salyis, Iluatibus, & cęteris Ligusticis populis, Hamilcare Pœno duce, qui in his locis de Hasdrubalis exercitu substiterat, in Romanam prouinciam irruperunt. Placentiaque colonia capta, & direpta, Cremonam alteram coloniam obsedere. Aduersus eos missus Prætor L. Furius Purpureo, cæsis ex his V. & XXX. millibus hostium. LXX. signis militaribus captis, Hamilcare fugato, & tribus Gallorum Imperatoribus cæsis, egregiam referens victoriam Romam reuersus triumphauit. Post eam victoriam, quum Galli cisalpini

A pini biennio quieuissent rursum bellum renouarunt. Itaque C. Cornelio Cethego, & Q. Minucio Rufo Coss. binæ legiones, vt bellum cum his gererent, decretæ. *Cornelius recta ad Insubres via, qui tum in armis erant Cænomanis assumptis. Minucius in læua Italiæ ad inferum mare flexit iter, Genuamque exercitu adducto ab Liguribus orsus est bellum. Liguribus in deditionem acceptis, in agrum Boiorum legiones duxit, & eos bello vicit.* Et paulo: post *Insubres, et Cænomani super amnis Mincij ripas consederunt. Infra eum locum quinq; millia passuũ, & Cos. Cornelius eidem flumini castra applicuit. Inde mittendo in vicos Cænomanorum, Brixiamq;, quæ caput gentis erat, vt satis comperit, non ex auctoritate seniorum, iuuentutem in armis esse; nec publico consilio Insubrum defectioni Cænomanos se adiunxisse, excitis ad se principibus, id agere, ac moliri cepit, vt desciscerent ab Insubribus Cænomani, & signis sublatis aut domos redirent,*
B *aut ad Romanos transirent, & id quidem impetrari nequit. In id data fides Consuli est, vt in acie, aut quiescerent, aut si qua occasio fuisset, adiuuarent Romanos. Hæc ita conuenisse Insubres ignorabant. Suberat tamen quædam suspicio animis, labare fidem sociorum. Itaque quum in aciem eduxissent, neutrum ijs cornu committere ausi, ne si dolo cessissent, rem totam inclinarent, post signa in subsidijs eos locauerunt. Impetu à Romanis in hostes facto, non tulerunt Insubres primum concursum. Quidam & à Cænomanis terga repente in ipso certamine aggressis, tumultum ancipitem iniectum auctores sunt, cæsaque in medio* V. *&* XXX. CIↃ. *hostium.* V CIↃ. *&* DCC. *viuos captos, in his Hamilcarem Pænorum Imperatorem, qui belli caussa fuisset, signa militaria* CXXX. *capta & carpenta supra ducenta millia. Oppida, quæ defectionem sequuta erant, dedidissent se Romanis;* ita Liuius lib. XXXII. Hac victoria Cœnomani
C omnes in potestatem populi Romani venerunt, neque enim post id tempus eos amplius rebellasse inueni. *Ambo Consules triumpharunt in magistratu, Cn. quidem Cornelius de Insubribus, & Cænomanis; Q. vero Minucius de Liguribus, Boiisque Gallis in monte Albano triumphum egit. Cornelius multa signa militaria tulit, multa Gallica spolia captiuis carpentis transuexit, multi nobiles Galli ante currum traducti, inter quos quidam Hamilcarem Pænorum Imperatorem fuisse auctores sunt. Tulit in triumpho* CCXXXVII. CIↃ. *et* D. *argenti bigati* LXXIX. CIↃ. *septuagenos æris militibus diuisit, duplex equiti, triplex centurioni. Anno deinde sequẽti quum Insubres cum Comensibus rebellassent, eos insigni pugna superatos, postremo domuit M. Claudius Marcellus. Boios vero nouissimo prælio victos, et Italia omni exactos debellauit quinquennio post P. Cornelius Scipio Nasica,* vt auctor est Liuius. Venetos post fœdus primum bello Gallico Cisalpi-
D no cum Romanis ictum, neque vnquam rebellasse, neque vnquam prælio victos fuisse à Romanis, sed semper libere egisse inueni. Hinc nullas Venetis antiquas colonias deductas, nullis eos vectigalibus, nullis indictionibus, aut stipendijs à Romanis unquam attritos inuenire licet, quum reliqua omnis Italia agris mulctata colonijs Romanis repleta fuerit.

VNIVERSI ROMANI IMPERII BREVIS DESCRIPTIO. Cap. III.

QVVM æquissimo fœdere Romanos, & Venetos coniunctos fuisse scripserim (nam varia fœderum genera fuisse apud veteres inueni) non alienum
E ab hoc instituto erit, quò omnia accuratius intelligantur, de triplici fœderum genere disputare, atque rem ipsam scitu dignissimam ab altioribus principijs ordiri: ita enim quod mihi in primis proposui consequar, vt & antiquitates Veronenses describam, & antiqua Romanorum iura, vbi occasio sese obtulerit, non omittam, præsertim quum ijs mihi opus futurum sit in antiquitatibus Veronensibus deinde tradendis. Ante omnia igitur illud animaduersione dignissimum est: Orbis terrarum Imperium prisco Romanorum tempore ante bellũ Marsicum, & legem Iuliam, qua vniuersę Italiæ ciuitas data fuit, commodissimè in duas diuidi potuisse partes. Aut Romanum enim erat, aut externum. Hoc verò per se manifestum est.

Imperium vero Romanum, vel in ciues, vel in socios partiebatur. Ciues vero Romani, A
aut ciues optimo iure erant, aut non; quibus optimum ius erat, hi homines liberi erant ciuitate Romana donati, atque comitijs tributis in Tribu, centuriatis in Centuria omnes, curiatis vero in Curia quidam tantum suffragium ferebant. Horum tria genera erant, eorum, qui Romæ habitabant, Municipum cum suffragio, & Coloniarum, quæ ciuium Romanorum dicebantur. Ciues Romani ex parte, vel non optimo iure erant ij, qui sine suffragio ciuitatem consequuti fuerant, & municipes sine suffragij latione. Rursus sociorum, qui sub Imperio Romano censebantur, tria genera erant. Aut Latini, qui ius Latij, aut Itali, qui ius Italicum, aut prouinciales, qui ius prouinciæ obtinuissent. Externum porrò Imperium in eos populos diuidebatur, qui vel suis legibus, vel alienis viuebant. Qui suis legibus liberi populi, qui alienis viuebant, Regna dicebantur. Horum vtrorumque quidam po- B
pulo Romano socij, quidam non socij fuere. Socij vero, aut sponsione, aut pactione, aut fœdere in amicitiam sunt recepti. Ex his, qui federe, alij æquissimo, alij æquo, alij iniquo fœdere Romanis coniuncti fuerunt. Fœderum enim tria tantum hęc genera inueniri, auctor est Liuius.

DE TRIPLICI SOCIORVM POPVLI ROMANI GENERE, & primo de Sponsione. Cap. IV.



CÆTERVM quum hæc, quæ ad Romanum Imperium attinent, paulo post commodius, & ex instituto sim explicaturus, nunc ea tantum de Imperio C
externo persequar, de quibus disputationem facere proposui, atque de populi Romani socijs tam regibus, quàm liberis populis, triplicique fœderum genere verba faciam. Imperium porrò externum optima partitione in eos, qui suis legibus viuunt, idest liberos populos, & qui alienis, vt regna diuisum: rursum vtrosque populos, aut populi Romani socios, aut non socios fuisse, ita clarum, & manifestum est, vt nullo ad id demonstrandum veterum testimonio opus esse existimem. Socios porrò populi Romani aut sponsione, aut pactione, aut fœdere in amicitiam recipi solitos, nunc ex Liuio ostendam. Ac primum de sponsione, & quid sponsio sit verba faciã. Liuius libro IX. *Consules* (inquit) *profecti ad Pontium in colloquium, quum de fœdere victor agitaret, negarunt iniussu populi fœdus fieri posse, nec sine fecialibus, cærimoniaque alia solemni.* D
Itaque non vt vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit, fœdere pax caudina, sed per sponsionem facta est; quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur, per quem populum fiat, quò minus legibus dictis stetur, vt eum ita Iuppiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur. Spoponderunt Consules, Legati, Quæstores, Tribuni militum, nominaq́ omnium, qui spoponderunt, extant; vbi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium non extarent, & propter necessariam fœderis dilationem, DC. equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. Tempus deinde statutum tradendis obsidibus, exercituque inermittendo. Et paulo post Consules: *quo creati sunt die, sic enim placuerat patribus, magistratum inierunt, solemnibusque S. C. perfectis, de pace caudina retulerunt, & Publileus, penes quem fasces erant.* Et post. *Vos dij immortales precor, quæsoque, vobis non fuit cordi, Sp.* E
Postumium, & Vi. Veturium Consules cum Samnitibus prospere bellum gerere; at vos satis habeatis, vidisse nos sub iugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, vidisse nudos, hostibus deditos. Et post. *Populum Romanum appello, quem si sponsionis factæ ad furculas caudinas pœnitet, restituat legiones intra saltum, quo septæ fuerunt.* Et post. *Nec moror, quo minus in ciuitatem obligatam sponsione commissa, iratis omnibus Dijs redeant.* Et alibi eodem libro. *Sequentibus diebus & cæteri Vmbrorum populi deduntur. Ocriculani sponsione in amicitiam recepti.* Socij igitur sponsione erant, quum amicitia sponsoribus interuenientibus ab alterutra partium iungebatur.

A *DE PACTIONE Cap. V.*

DE pactione vero Liuius Lib. IX. sic scribit: *Tum Pontius. Nec ego istam deditionem accipiam*, inquit. *nec Samnites ratam habebunt. Quin tu Sp. Postumi, si Deos esse censes aut omnia irrita facis, aut pacto stas. Samniti populo omnes, quos in potestate habuit, aut pro ijs pax debetur. Nemo quemquam deceperit, omnia pro infecto sint, recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt, redeant in castra sua.* Et lib. X. *Cui de triumpho agenti negatus honos, & ob amissa tot millia militum, & quod captiuos sine pactione sub iugum misisset.* Et lib. VIII. *His cladibus subacti Samnites, pacem à Dictatore petiere, cum quo pacti, vt singula vestimenta militibus, & annuum stipendium darent. Quum ire ad Senatum iussi essent, sequuturos se Dictatorem, responderunt, vnius eius fidei, virtutique caussam suam commendantes.* Et lib. IX. *Nunquam ne caussa deficiet, cur victi pacto non stetis? Obsides Porsennæ dedistis, furto eos subduxistis, auro ciuitatem à Gallis redemistis, inter accipiendum aurum cæsi sunt; pacem nobiscum pepigistis, vt legiones vobis captas restitueremus, eam pacem irritam facitis, et semper aliquam fraudi speciem iuris imponitis. Non probat populus Romanus ignominiosa pace legiones seruatas; pacem sibi habeat, legiones captas victori restituat, ut tu quidem, quæ petijsti, per pactionem habeas tot ciues incolumes. Ego pacem, quam hosti tibi remittendam pactus sum, non habeam?* Amicitiam igitur pactione fieri tum constat, quum aliquo singulari pacto interueniente fit.

C *DE TRIPLICI FOEDERE. Cap. VI.*

DE fœdere Liuius lib. VII. *Res bello bene gestæ, ut Samnites quoque amicitiam peterent, effecerunt. Legatis eorum comiter ab Senatu responsum, fœdere in societatem accepti.* Fœdus autem triplex esse æquissimum, æquum, iniquumque apud eundem Liuium lib. XXXIV. differit regius Antiochi Legatus Menippus, quum ait: *Esse autem tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias Ciuitates, Regesque. Vnum, quum bello victis dicerentur leges; vbi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex ijs habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius ius atque arbitrium esse. Alterum, quum pares bello æquo fœdere in pacem, atque amicitiam venirent; tunc enim repeti, reddique per conuentionem res, & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque commodo componi. Tertium esse genus, quum qui hostes numquam fuerit, ad amicitiam sociali fœdere inter se iungendam coeant. Eosque neque dicere, neque accipere leges, id enim victoris, et victi esse.* De æquo fœdere ipse Liuius lib. IX. ita scribit. Consules *necessitate victi legatos mittunt, qui primum pacem æquam peterent, si pacem non impetrarent, uti prouocarent ad pugnam. Tum Pontius debellatum esse respondit, & quoniam ne victi quidem, ac capti fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub iugum missurum, alias conditiones pacis æquas victis, ac victoribus fore, si agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, suis deinde legibus Romanum, ac Samnitem æquo fœdere victurũ.* Et lib. XXIII. *Adiicite ad hæc* (inquit) *quod fœdus æquum dedimus, quod leges nostras, quod ad extremum, id quod ante Cannensem certe cladem, maximum fuit, ciuitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus, communicauimus vobiscum.*



DE ROMANORVM VICTORIA C. MARIO ET Q. CATVLO Coss. in agro Veronensi contra Cimbros parta. Cap. VII. A



Cæcilio Metello, Cn. Papirio Carbone Coss. anno vrbis conditæ DCXLI. Cimbros primum arma mouisse, scriptum reliquit Tacitus in libro de moribus Germanorum; quo anno cum Teutonibus alpes transgressi, Consuleque Cn. Carbone, cui ea prouincia euenerat, ad Noreiam oppidum in Illyrico acie fuso, ac victo fœdam Romanorum stragem, sociorumque fecerunt, vt auctor est Strabo. Cur autem mouerint, caussam affert Florus. *Quod ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto terrarum orbe quærerent. Hi verò, quod finibus suis nunquam exiissent, & quod longinquis è regionibus proficiscerentur, vnde venirent, aut quinam essent, ignorabatur.* B *Romani autem eos Germanos esse, ex his, qui ad septentrionalem Oceanum incolunt, arbitrabantur, quod Germanorum lingua prædones Cimbri appellantur.* Ita in Mario Plutarchus. Carbone vero Consule superato, & exercitu exuto, Cimbri toto triennio quieuisse, vsque ad Q. Metelli, & M. Silani consulatum videntur. Nam post Cn. Carbonem Consulem nullum inuenio, vsque ad eum annum, qui Galliam prouinciam, & bellum contra Cimbros sortitus fuerit. Omnes autem annales post Carbonem Consulem Silanum cum Cimbris decertasse produnt. Si autem quærimus, quid Cimbri victo Carbone gesserint, profecto eos arma aduersus Gallos eos, qui imperio populi Romani subiecti non erant, atque inde aduersus Hispanos transtulisse reperimus. De Gallis auctor est Cæsar lib. VII. De Gallis, & C Hispanis testis est Florus, quum ait: *Cimbri exclusi ex Gallia, & Hispania, quum in Italiam remigrassent, miserunt Legatos in castra Silani, inde ad senatum petentes, vt populus Romanus, aliquid sibi terræ daret in qua considerent, quasi stipendium; cæterum vt vellet, manibus, atque armis suis vteretur; repulsi, quod precibus nequierant, armis petere constituerunt.* Primum barbarorum impetum Cos. Silanus ferre non potuit; nam aduersus eos infeliciter pugnauit. M. Aurelius Scaurus anno sequenti in Galliam in locum Silani missus, tertiam cladẽ à Cimbris accepit, vt Tacitus, & Velleius tradunt. Scauro in Galliã successit L. Cassius Longinus Cos. qui quidẽ non solũ malè pugnauit, sed etiã in prælio occisus est. Hoc Florus in epitoma lib. LXV. Orosius, & Cæsar lib. I. belli Gallici ita tradũt. *L. Cassius Cos. à Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, quos à Ciuitate digressos usque ad Oceanum persequutus fuerat, insidiis circumuentus, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. L. quoque Piso vir consularis Legatus Cassii consulis interfectus.* D *Q. Publilius alter legatus, ne residua exercitus pars deleretur, obsidibus & dimidia parte rerum omnium, vt incolumes dimitterentur, turpissimo fœdere datis, cum Tigurinis pactus est.* Ex his locis apparet, Cimbros hoc anno ex Gallia recessisse, atque cum Gallis tantum Tigurinis à Romanis pugnatum esse. Anno sequenti Q. Seruilio Cæpio Cos. Galliam prouinciam sortitus, bellum cum Gallis Tectosagibus, vt L. Cassius ante cum Tigurinis fecit, oppidum Tolosanum diripuit, & cum multum auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit. Historiam refert Gellius. Nam hoc anno Cimbri adhuc non reuerterant. Ita Iustinus, Strabo, & Orosius. C. Manilio sequentis anni Consuli Gallia prouincia obuenit. Q. Cæpioni ob Cimbrorum motum E in ea Imperium prorogatum, quorum aduentus vehementius in dies celebrabatur. Siquidem scribit Iustinus, Romanos belli Cimbrici tumultum, quasi sacræ Tolosatium pecuniæ à Cæpione Consule direptæ vltorem insequutum esse. Hoc certè anno, qui vrbis conditæ DCXLIX. ab ambobus his Imperatoribus cum Cimbris in Gallia dimicatum, atque clades Aliensi ferè par accepta est. Quod sic Orosius tradit: *C. Manilius Cos & Q. Cæpio procos. aduersus Cimbros, Teutones, Tigurinos, & Ambrones Gallorum gentes, quæ ad Romanum Imperium extinguendum conspirauerant, missi, prouincias sibi Rhodano flumine medio diuiserunt; ibi quum inter se grauissima inuidia, & contentione disceptarent, cum magna ignominia, & periculo Romani nominis victi sunt, siquidem eo bello M. Aurelius Scaurus consularis vir, tumque cõ-*

sulis

A *sulis Legatus fuso exercitu captus est. Et quum in concilium ab ijs euocatus, deterreret eos, ne alpes transirent, Italiam petituri, quod diceret Romanos vinci non posse, à Bolo Rege feroci iuvene occisus est. Ab ijsdem hostibus C. Manilius Cos. & Q. Seruilius Procos. victi prælio, castrisq; binis exuti sunt, duo filij Consulis cæsi, LXXX. millia militum Romanorum, sociorumque occisa, Calonum, & Lixarum LX. millia interfecta, vt Valerius Antias tradit, decem ex omni penitus exercitu hostes superfuerunt.* Contigit clades hæc auctore Plutarcho in Lucullo pridie nonas Octobris anno vrbis DCXLIX. Hostes binis castris, atque ingenti præda potiti, omnia pessum dederunt; maximus Romę non solum luctus, sed metus etiam fuit, ne confestim Cimbri alpes transgressi Italiam delerent. Secundum populi Romani iussionem, Cœpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post Regem B Tarquinium, imperiumque ei abrogatum. Hoc bellum breuissimè Tacitus in libro de moribus Germanorum ita exponit. *Cimbri Carbone, & Cassio, Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, C. quoque Manilio fusis, quinque simul consulares exercitus populo Romano abstulerunt.* Cimbri porrò fusis victisque summo prelio imperatoribus Romanis quieuerunt, neque tum de transitu in Italiam cogitarunt, sed vastatis omnibus, quæ inter Rhodanum, & Pireneũ sunt, per saltum in Hispaniam C. Mario II. & L. Fimbria Cos. transgressi, ibique multa loca populati à Celtiberis fugati sunt; reuersique in Galliam bellicosis se Teutonis coniunxerunt. C. Mario III. & L. Oreste Cos. Ita Florus, & Obsequens. Mario autem iterum Consuli Gallia prouincia, ac bellum cum Cimbris, quorum ex Hispania in Galliam reditus tum timebatur, decretum est, auctore Plutarcho. Quo anno Marius cum Tectosagibus res gesC sit. Nam Sullam Legatus Marij iterum Consulis Copilium Regem Tectosagum cepisse traditur à Plutarcho. Marius III. Consul absens factus est, metu Cimbrici belli, quod differebatur; cui tum bellum imminens Cimbrorum iterum mandatum. Metus enim erat, ne ineunte vere, ex Hispanijs in Gallias, deinde Italiam irrumperent; verùm ne hoc quidem anno mouerunt. Anno, qui sequutus est, vrbis vero DCLIII. C. Marius IIII. & Q. Catulus Consules facti sunt. Ambobus Consulibus Gallia cum imminenti Cimbrorum, & Teutonum bello mandata. Cimbri enim anno superiore à Celtiberis ex Hispania pulsi, in Galliã adiunctis sibi Teutonis, Ambronibus, & Tigurinis iterum irruperunt, eo animo, vt superatis alpibus in Italiam traijcerent. Quo nuntio accepto Marius iam IIII. Consul, quum protinus in prouinciam contendisset, ipse Ambronibus, & Teutonibus in Gallia se oppoD suit, Catulum collegam Cimbris, qui per Noricum impetum facturi videbantur, occurrere iussit. Barbari vbi Marium (is se castris ad Rhodanum munitis continebat) exciri ad pugnam non posse senserunt, Castra alpes versus præter vallum eius mouerunt. Marius eos ad aquas Sestias insequutus, Ambrones primo, atque haud ita multò post etiam Teutones secundo prælio cæcidit. Hęc Plutarchus latissimè in Mario. Orosius autem breuius ita. *Marius IIII. Consul, quum iuxta Isaram, Rhodanumque castra posuisset, Teutones, Tigurini, & Ambrones, postquam continuo triduo circa Romana castra pugnarunt, si quo pacto eos excirent vallo, atque in æquum extraherent, tribus agminibus Italiam petere destinarunt. Marius post digressum hostium castra mouit, & collem occupauit, qui campo, & fluuio, vbi hostes sese diffuderant, imminebat. Primis Calonibus cum clamore in pugnam ruentibus subsequutus exercitus, mox iusto* E *certamine compositis ordinibus bellatum est, & vicere Romani. Quarto die rursus productæ in campum acies vsque ad meridiem penè pari pugnauere discrimine. Post vbi incalescente sole flexa Gallorum corpora in modum niuium distabuerunt, vsque in noctem cædes potius quam pugna protracta est. CC. millia armatorum eo bello cæsa sunt. XC. millia capta, vix tria millia effugiße referuntur. Dux eorum Teutobocus occisus est.* Eadem Velleius & Florus referunt. Marius absens V. Consul creatus est, Triumphum oblatum, donec Cimbros etiam vinceret, distulit, atque aduersus eos, à quibus Consul Catulus premebatur, exijt. Qui an hoc anno, an insequenti ab alpibus à Cimbris pulsus fuerit, in obscuro est. Ipse enim cum Cimbris per Noricum, & Rhętiam, alpesque Tridentinas irrumpentibus se obtulisset, atque eorum multitudini in alpium iugis se resistere posse diffideret, in ęquum in Italiam in campis Veronensibus

ſibus cis Atheſim Mantuam verſus, quà latiſſime patent, ſe receperat, fluuiumque Atheſim A hoſtibus, pręſidijs in vtraque ripa impoſitis, ne illis tranſitus eſset, oppoſuerat, ponte in flumine facto, vt eos, qui vlteriorem ripam cuſtodirent, ſi quam per anguſtias à Barbaris vim paterentur, protinus iuuare auxilio poſſet. Barbari quum ad flumen acceſsiſſent, iniectis in amnem arboribus, pontem diſturbarunt; quo terrore compulſus Catulus, caſtellum, quod ibi vlterius Atheſim cōſtruxerat, reliquit; Romani aliquot à Barbaris capti, dimiſsi ſunt. Valerius lib. v. Romanos equites apud Atheſim fluuium impetu Cimbrorum pulſos, deſerto Conſule Catulo, pauidos vrbem repetijſſe ſcribit. Ob hęc Romam accerſitus Marius, Triũpho, qui offerebatur, repudiato, protinus ad Catulum collegam ſe contulit, ac reuocatis ſuis ex Gallia copijs, Pado trajecto, hoſtes omnino ex Italia pellere decreuit. Cimbros fratres ſuos Teutones expectantes de clade illata certiores fecit. Quum de die pugnę inter Ro- B manos Imperatores, & barbaros hoſtes conueniſset, in agro Veronenſi VII. millibus paſsuũ à Verona collatis ſignis à Mario Coſ. & Q. Catulo Procoſ. Cimbris funditus deletis feliciter pugnatum eſt. Hęc pluribus verbis Plutarchus, in epitome autem Florus exilius ita: *Cimbri repulſo ab alpibus, fugatoque Q. Catulo Proconſule, qui fauces alpium obſederat, & ad flumen Atheſim Caſtellum editum inſederat, reliqueratque, quum virtute ſua explicita fugientem Proconſulem, exercitumque perſequuti, in Italiam traieciſſent, iunctis eiuſdem Catuli & C. Marij exercitibus, prælio ab eis victi ſunt, in quo cæſa traduntur hoſtium* CXL. *millia, capta* LX. Et apud Oroſium ſic: *Cimbri integris copijs alpium niues emenſi, Italiæ plana peruaſerant. Marius V. Conſul, & Catulus aduerſus eos miſsi, die ad pugnam, & campo dato, in nebula diſpoſuere pugnam, in ſole pugnarunt. Prima perturbatio Gallorum fuit; quod Romanam aciem prius inuene- C re diſpoſitam, quam adeſſe ſenſerunt. Quumque illico, vulnerati equites, retro in ſuos cogerentur, & ſol cum vento ortus, ex aduerſo emicuiſſet, viſus eorum puluis oppleuit, & ſplendor hebetauit; ita factum eſt, vt Barbari minima Romanorum clade cæderentur.* CXL. *millia occiſa*, LXCIↃ. *capta traduntur. Reguli eorum duo capti ſunt.* Adjicit Florus; Tertiam Tigurinorum manũ, quę quaſi in ſubſidio Noricos inſederat, alpium tumulos in diuerſa lapſos fuga ignobili, & latrocinijs euanuiſse. Horum prolem eſse ſuſpicantur eas gentes, quę montana Veronenſium incolentes, linguam adhuc retinent Germanicam. Porrò autem de loco huius pugnę non conuenire videtur inter Florum, & Plutarchum. Florus enim in Venetia pugnatum ad Atheſim Veronę fluuium in campo Caudio (qui nunc Cauri dicitur,) Plutarchus verò ad Athiſonem in campo ad Vercellas ſcribit. Ego autem apud Plutarchum mendum D eſse ex ſimilitudine litterarum ortum puto Veronę, & Vercellarum. Veronam autem intelligendam eſse Norici mentio docet; Eſt enim Verona, auctore Stephano, Noricorum oppidum. Accedit Valerij, Frontinique auctoritas, quorum ille M. Scauri filium, Cimbros cecidiſse ad Atheſim, hic in ſaltu Tridentino ſcribit. Victorię nuntio Romam allato, populus Romanus Marium duos triumphos ſolum agere volebat. Verum is recuſauit, ne ſi Catulus excluſus fuiſset honore, ipſe quoque ſuo ſpoliaretur, verùm vnà cum Catulo vno triumpho contentus triumphauit. De quo triumpho præter Plutarchum, Valerium lib. IX. Ciceronem Tuſculana I. Iuuenalis quoque IIX. Satyra ſic meminit.

Hic tamen & Cimbros, & ſumma pericula rerum
Excipit, & ſolus trepidantem protegit vrbem. E
Atque ideo poſtquam ad Cimbros, ſtragemque volabant,
Qui numquam attigerant maiora cadauera corui,
Nobilis ornatur lauro collega ſecunda.

Et Florus in Epitoma: *Marius totius conſenſu ciuitatis exceptus pro duobus triumphis, qui offerebantur, vno contentus fuit. Primores Ciuitatis qui aliquandiu, vt nouo homini ad tantos honores euecto, inuiderant, conſeruatam ab eo Rempublicam fatebantur.* Hæc autem longiori fortè quam par erat, ſermone expoſui, tum quod res ipſa cognitu non indigna eſſet, tum quod tanti belli ſumma in agro Veronenſi haud procul ab ipſa vrbe confecta fuerit.

DE

A
DE VARIO ROMANORVM CIVIVM, MVNICIPIORVM, Coloniarum, Oppidorum, & Præfecturarum iure. Cap. IIX.


IS expositis, rei ipsius ordo nunc postulare videtur, vt reliqua, quæ de vrbis antiquitate dicenda proposui, persequar. Quorum illud præcipue mihi nunc occurrit explicandum, quanam ratione, & quo tempore, aut à quibus Verona colonia latina primum, deinde ciuium Romanorum deducta fuerit, cum reliquis Cispadanis vrbibus. Ad quæ intelligenda, necessarium esse existimaui, de vniuerso veterum Romanorum iure prius disputare; quod quamquam à me alibi etiam factum sit, eo loco non omnia satis accuratè collegisse mihi videor. Quemadmodum igitur externæ gentes vel victæ, vel sponte in Romani
B populi amicitiam, aut fœdera, & ditionem admissæ varij generis, ac conditionis, pro earundem erga Remp. meritis, vel demeritis erant, vt aliæ omnino liberæ, aliæ fœderatæ, aliæ stipendiariæ, aliæ fundi populi, aliæ Latinæ, aliæ Ciuitatem Romanam adeptæ fuisse reperiuntur; ita varij generis fuisse ciues Romanos obseruaui, ita vt alij essent ciues Romani optimo iure, idest cum iure suffragij, alij sine suffragio, alij municipes, alij coloni, alij Latini, alij ex præfecturis, vel ex oppidis, alij verò sine ciuitatis iure nonnulla habuerint ciuitatis Romanæ priuilegia.

C
DE IVRE CIVIVM ROMANORVM AGRVM ROMANVM incolentium, Reip. tempore. Cap. IX.


E omni veterum Italicorum iure verba facturus, hacque disputatione eam, quam Imperij ciuiumque Romanorum diuisionem supra attuli explicaturus, illud ante omnia scitu dignum, Imperium Romanum in Ciues Romanos, & socios suprema diuisione partitum fuisse. Omnes enim Romanum orbem colentes, aut Ciues Romani, aut Socij erant populi Romani. Quod ex omnibus vetustis scriptoribus manifestum est. Ciuium verò Romanorum varia genera fuerunt, & varia iura. Quare à primo ciuis Romani, optimoque iure exordium sumam. Nam qui ex nullo municipio, nulla colonia, oppidoue, aut præfectu-
D ra, vel ex alia fœderata ciuitate erant, sed vel in vrbe, aut vrbis agro nati, vel ex seruis Romanorum libertate, aut ex alijs gentibus externis speciali priuilegio, in vrbem vocati, & Ciuitate donati essent, primum genus Ciuis Romani constituebant. Ex his fuerunt primi vrbis cultores, eorum filij, & nepotes; post eos Sabini, qui sub T. Tatio, Tusci, & Latini, qui sub Romulo, Albani, & reliqui Latini, qui sub cęteris Regibus, gentes Claudia, & Mamilia, & plerique alij populi, qui quum sub Consulibus Romam commigrassent, & postremo omnium serui, qui quum manumissi essent, ciuitatem Romanam cum suffragij ferendi iure adepti sunt. Hic autem ciuis Romanus, qui optimo, idest perfecto iure ciuis Romanus dicebatur, agrumque Romanum, vel vrbem incolebat, erat homo liber; serui enim ciues esse non poterant; qui comitijs curiatis in Curia, centuriatis in Centuria, & tributis in
E vna xxxv. Tribuum, suffragium ferre posset. Inter multa enim horum ciuium Rom. priuilegia, illud supremum erat, vt essent in Curia, Tribu, & Centuria à Censoribus relati, in quibus & suffragium ferrent, & ijsdem suffragijs ad magistratus, publicasque cæteras administrationes, ac dignitates peruenirent, quod in Verrinas docet Pedianus. Cæterum, quum ius Ciuitatis non vna quadam in re consisteret, sed multis, ac diuersis velut prærogatiuis cōstaret, non omnibus omnia iura concedebantur, vnde efficiebantur, vt dixi, varię conditionis Ciues Romani. Ex his, qui suffragiorum ius habebant, atque in Tribum, & Centuriam relati à Censoribus erant, omnia etiam cętera ciuitatis priuilegia, quæ eiusmodi erant, habebant. Ac primum quidem ciuibus Romanis optimo iure post suffragij lationem, ius erat per legem Porciam, & Semproniam, vt nec virgis cędi, nec vinculis coerceri, nec omnino

omnino capite plecti nisi populi ipsius iudicio possent. Idcirco Cicero in Verrem. Qui P. A Gauium municipem Consanum virgis cæciderat, exclamat, quum ait; *Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus. O lex Porcia, legesque Semproniæ, &c.* Hinc apud Appianum legimus, quum Cęsar, qui postea dictator fuit, Nouocomensibus lege Vatinia ius ciuitatis dedisset, Marcellum Consulem Cæsaris hostem, eiusque acta non probantem, Decurionem Nouocomensem publicè flagris cæcidisse, cum hac exprobratione, vt meminisset, se ciuem Romanum non esse. Ad hoc etiam facit quod in actis apostolorum cap. 22. legimus de S. Paulo Apostolo, vbi ita scriptum est. *Accedens porrò Tribunus dixit Paulo. Dic mihi num Romanus es? At ille dixit, etiam. Responditque Tribunus. Ego multa summa ciuitatem hanc consequutus sum. Et Paulus dixit. At ego etiam natus sum. Protinus ergo discesserunt ab eo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam resciuit, quod Ro- B manus esset, & quia vinxisset eum.* De ijs enim, qui ciues non essent, nil horum cautum erat, p[illegible] à magistratibus non solum peregrini, sed etiam Latini ipsi socij, quorum priuile[illegible]ne ad ciuitatem Romanam accedebant, non consulto populo, seruili supplicio affici. Nam Salustius in Iugurthino, quendam T. Turpilium Sillanum commemorat, qui quum sociis Latini nominis pręfectus esset, Tribunosque, & Centuriones sub se haberet, condemnatus tamen, verberatusque, capite pœnas soluit; *nam is* (inquit) *ciuis ex Latio erat.* Plutarchus etiam in Gracchis refert, M. Drusum Tribunum plebis C. Graccho aduersantem legem tulisse, ne liceret quemquam Latini nominis in exercitu flagellis cædi. Cæterum hoc priuilegium ciuibus omnibus Romanis, tam his, qui cum suffragio ciuitatem habebant, quàm his, qui sine eo erant, commune fuisse, ex eo mihi persuadeo, quòd C & municipes sine suffragio, in legione, vt tradit Festus, merebant, qui verò in legione militabant, virgis cædi non poterant. Huic prærogatiuæ illud adde, quod aliquot legibus, præsertim tribus Valerijs, de capite ciuis Romani, nemo præter populum iudicabat, cuius priuilegij frequentissima in omnibus historijs mentio est. Et Liuius lib. XXVI. *Per senatum agi de Campanis, qui ciues Romani sunt, iniussu populi non video posse. Idque apud maiores nostros in Sutrinis factum est, quum defecissent, vt M. Antistius Tribunus plebis prius rogationem ferret, sciretque plebs, uti Senatui de Sutrinis sententiæ dicendæ ius esset.* Tertia ciuium Romanorum prærogatiua erat, quod ijs libertatem perpetuò seruare licebat, neque inuiti ciuitatem amittere poterant. Vnde Cicero pro domo sua. *Nemo* (inquit) *ciuis Romanus, aut ciuitatem, aut libertatem potest amittere, nisi ipse auctor sit factus.* Quartum ciuium Ro- D manorum priuilegium erat, quod solis ciuibus Romanis in legione Romana militare ius erat, ideoque soli ciues ad ærarium in beneficijs deferri ab Imperatoribus, & beneficiarij milites fieri poterant, soli etiam ciues Romani, tribuni, & centuriones in legionibus erant. Nam hæc ipsa fuisse ciuiū Romanorū propria iura, Cicero pro Archia ostendit. Horum beneficiorum meminit etiam in epistola XX. lib. VI. Epist. famil. Liberos porrò in potestate habere proprium erat ius ciuis Romani, vt ait Iustinianus, I. instit. tt. de patria potestate. Alioqui enim à præsidibus ad militiam cogi poterant, & seruitium, vt nostra ætate à Turcis vsurpatur. Hinc Antonium statuisse fertur ad deterrendas gentes barbaras, vt qui ciues Romani non essent, è potestate patrum exirent, & militare cogerentur. Iustiniani Glossator quoque, loco citato, Francigenarum filios non esse in patrum potestate E scribit, quum Franci se à Romano fœdere iure, & societate exemissent, & Gothis contra Romanos auxilium præstitissent, atque idcirco eos ius ciuitatis amisisse. Hæc etiam præcipua caussa fuit, cur in præscriptionibus Iustinianus Imp. se Francicum appellauerit. Nam Imperatores ius ciuitatis gentibus integris adimere consueuerant, si forte contra Rempublicam conspirassent, aut aduersus Romanos arma sumpsissent. Hinc Spartianus in Seuero: *Neapolitanis* (inquit) *& Palæstinensibus ius ciutatis ademit, quod contra se arma sumpsissent.* Erat postremo ius adoptionum, gentilitatis, & togæ ferendæ, quæ propriæ ciuium Romanorum erant. Atque omnes hæ prærogatiuę non nisi ciuibus Romanis communes erant, tam ijs tamen, qui vrbem incolerent, quam municipibus, & colonijs ciuium Romanorū.

Mu-

A Municipia verò, quibus sine suffragio data ciuitas fuisset, illo vno suffragii iure priuabantur, in reliquis vero communicabant. Nouissimum autem priuilegium, quod omnibus Romanis ciuibus commune fuit, erat, vt soli testamento ciuis Romani hæreditatem capere possent, neque enim vllus peregrinus poterat hæreditatem ciuis Romani adire, & testamenta fiebant Romanis ciuibus præsentibus. Quod Cicero ostendit pro Archia poeta, vbi probat, Archiam se pro ciue gessisse hoc argumento, quod adiisset hereditates ciuium Romanorum. Et pro Cęcina: Æbutius Cęcinę aduersarius, negat, posse heredem Cęsenniæ esse Cęcinam volaterranum, quod ciuitas volaterranis adempta esset à L. Sulla dictatore, ideoque ciuis Romanus non esset Cęcina. Quum pro argumento accipiat, Archiam se pro ciue gessisse, quia testamenta legibus Romanis fecisset. Huius iuris partem ciues Ro-
B manicum Latinis communicabant nam quamquam latini omnino heredes esse non possent, legati tamen institui ex hereditate poterant, vt paulò post ostendam. Ius etiam alienandi per nexum proprium fuisse ciuium Romanorum, ex eo intelligi potest, quod omnes, inter quos iuris huius solemnitas transigebatur, ciues esse oportebat, vt ait in commentarijs Topicorum Boetius. Hęc prærogatiua etiam Latinis cum ciuibus Romanis communis erat. Vtranque rem Cicero pro Cęcina refert. Nam quum Æbutius Cæcinæ aduersarius negaret, Cæcinnam Volaterranum, ciuitate ijs adempta à L. Sulla, ciuem Romanum esse, & propterea hereditatem Cæsenniæ capere non potuisse, ei ita respondit Cicero. *Sulla ipse ita tulit de ciuitate, vt non sustulerit horum nexa, atque hereditates. Iubet enim eodem iure esse, quo fuerint Ariminenses, quos quis ignorat* XII. *Coloniarum fuisse, atque* (non à Populo Romano,
C vt in vulgatis codicibus, sed à C. R. vt in antiquis manuscriptis, idest) *Ciuibus Romanis hæreditates capere potuisse?* Quum autem ex XXX. colonijs quædam Latinæ, quædam ciuium Romanorum vocentur, Liuius lib. XXIX. XII. Colonias inobedientes Latinas appellat, quamquam Ariminum inter eas non enumeret. Ex quibus verbis illud intelligi potest, Latinos aliqua ratione ciuium Romanorum heredes esse potuisse, & commercia cum ciuibus Romanis per nexum habuisse. Quod idem referre videtur Vlpianus tt. XIX. instit. quum ait. *Mancipatio locum habet inter ciues Romanos, & Latinos Colonianos, Latinosque Iunianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est.* Commercium autem est emendi, vendendique inuicem ius. Sub hoc priuilegio continentur omnia commerciorum genera, vt nexa, stipulationes, mancipationes, sacramenti contentiones, in iure cessiones, & alia, quibus
D perfecto iure possessio rei acquirebatur, vel quibus iure ciuium Romanorum dominus fiebat. Ius igitur commercij, quod olim inter ciues Romanos tantum erat, Latinis quoque communicatum fuit. Vnde Liuius lib. IIX. *Cæteris Latinis populis connubia, commerciaque, & concilia inter se adempta.* Erat postremo ius connubiorum, olim ciuibus Romanis propriũ, quia tantum ciues cum ciuibus matrimonium contrahere poterant, ita vt si pater, aut mater peregrini essent, non legitimæ essent nuptiæ. Lex enim erat, vt nuptiæ tantum essent inter ciues Romanos, inter quos solos conubij ius erat. Filij ex eo matrimonio nati soli iusti erant, & in potestate parentum, & hi succedebant parentibus. Hoc ius Latinis, & Campanis communicatum olim fuisse refert Liuius. De Latinis, manifestum est; De campanis lib. XXXIIX. *Campani, quum eos ex S. C. quod priore anno factum erat, Censores Romæ censeri*
E *coegissent (nam antea incertum fuerat, vbi censerentur) petierunt, vt sibi ciues Romanas ducere vxores, & si qui prius duxissent, vt haberent eas, & ante eum diem nati, vti iusti sibi liberi, hæredesque essent, vtraque res impetrata.* Hæc porrò erant omnia ciuium Romanorum, qui vrbem, agrumue Romanum colebant priuilegia, quorum quædam ijs tantum erant propria, quædam municipijs, colonijs, & Latinis communia, vt abundè demonstraui, & nunc etiam latissimè persequar.

DE IVRE MVNICIPVM CVM SVFFRAGIO. Cap. X. A


ARVM, vel ferè nihil ab ijs ciuibus Romanis, qui vrbem, agrumque Romanum incolerent, differebat ciuium Romanorum alterum genus, qui in municipiis, quibus cum suffragii latione ciuitas data erat, commorabantur. Hi enim omnibus ciuium Romanorum prærogatiuis potiebantur, præter vnam, vt existimo. Nam in Romanas Curias non erant relati, atque ob eam caussam curiatis comitijs, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. Curiæ enim tantum eorum, qui vrbem incolerent, erant. Nam, qui in municipiis, vel coloniis ciues Romani habitabant, sua quædam in suis vrbibus sacra habebant, quæ municipalia dicebantur, erantque iis perinde, ac Romanis Curiæ. B Quod vel modo apparet, quod Milo legitur ad prodendum flaminem Lanuuium profectus fuisse, pridie quam Clodium occidit, nec erat necesse, sua sacra eos relinquere, qui ciuitate donabantur, nisi in vrbem, agrumue Romanum migrarent. Nam quos sub Regibus transiisse Romam reperimus, vt Sabinos, Tuscos, Latinos, & Albanos, eos simul per Curias Romanas descriptos fuisse, ex Dionysio apertè intelligitur. Qui verò ad vrbem non migrabant, suis sacris vacare opus erat, quæ, vt dixi, municipalia vocantur. De quibus sic scribit Festus: *Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt, ante ciuitatem Romanam acceptam, quæ obseruare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quod fecissent antiquitùs.* Ceterùm quæ ciuium Romanorum, qui extra vrbem habitarent, duo genera fuerint, idest municipes, & coloni, quid vtrumque fuerit ex Gellio demonstrare, non alienũ ab hoc instituto erit. C Is enim lib. 16. c. 13. sic ait: *Municipes sunt ciues Romani, ex municipijs suo iure, & legibus suis vtentes, muneris tantum cum populo Romano honorarij participes, à quo munere capessendo appellati videntur, nullis alijs necessitatibus, neque vlla populi Romani lege adstricti, quum nunquam populus eorum fundus factus esset. Sed coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecùs in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, vt municipia, sed ex ciuitate quasi propagatæ sunt, & iura institutaque omnia populi Romani non sui arbitrij habent.* Hæc Gellius. Ita vt municipia cum ciuitatis quidem Romanæ priuilegijs, & iure suas leges, suos magistratus, & sua tam publica, quam priuata instituta retinerent, vt cuique municipio antiquitùs mos erat, coloniæ verò alia ratione, vt post ostendam, Remp. gerebant. D

DE MVNICIPIIS SINE SVFFRAGIO. Cap. XI.


VNICIPIORVM autem duo genera erant; quædam, quæ omnia ciuitatis Romanæ priuilegia habebant, præter suffragij lationem, quædam quę ciuitatem ipsam cum suffragij iure obtinuerant. Primi omnium, qui municipes sine suffragij latione, fuerunt Cærites. *Hoc illis* (inquit Gellius) *concessum, vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent: Sed negocijs tamen, atq́ oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc tabulæ cerites appellatæ, versa vice, in quas censores referri iubebant, quos notæ caussa suffragio priuabant.* E Idem tradit Asconius in Verrinas. De his municipijs loquens Sex. Pompeius ita scribit. *Municipes erant, qui quum ex alijs ciuitatibus Romam venissent* (hoc est, vt ego interpretor, ciuitate donati essent) *eis non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem. At Seruius filius aiebat initio fuisse, qui ea conditione ciues Romani fuissent, vt semper Remp. separatam à populo Romano haberent, qui æquè ciues Romani erant, & in legione merebant, sed dignitates non capiebant.* Et infra. *Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent, neque ciues Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum, vna cum Romanis ciuibus, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo.* quę autem eiusmodi municipia fuerint, alibi exposui. Hi omnia ciuitatis Romanæ pri-

A priuilegia præter suffragii lationem, & magistratus capessendi potestatem habebant. De eiusmodi municipiis loquitur Liuius lib. VIII. & IX. quum ait. *Cæteris Latinis populis connubia, commerciaque, & concilia inter se ademerunt. Campanis equitibus honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanis, & Formianis, quod per fines eorum tuta, parataque semper fuisset via, ciuitas sine suffragio data. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, ciuitas sine suffragij latione data, concilia connubiaque adempta; Cumanos, Suessulanosque eiusdem iuris, conditionisque cuius Capuam esse placuit. Item Romani facti Accerrani lege à L. Papirio Pr. lata, qua iis ciuitas sine suffragio data.* Idem lib. XXXIIX. *De fundanis, Formianisque municipibus, & Arpinatibus Valerius Tappus Trib. Pleb. promulgauit, ut iis suffragii latio (nam antea sine suffragio habuerant ciuitatem) esset. Huic rogationi IIII. Tribuni Pl. quia non ex aucto-*
B *ritate senatus ferretur, quum intercederent, edocti populi esse non senatus ius, suffragium quibus velit impartiri, destiterunt incepto. Rogatio prolata est, vt in Æmilia Tribu Fundani, et Formiani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his Tribubus tum primum ex Valerio Plebiscito à censoribus, qui eo anno erant, T. Quinctio Flaminio, & M. Claudio Marcello censi sunt.* Municipes verò cum suffragij iure omnia ciuium Romanorum priuilegia vrbem incolentium habebant præter curias, in quas, quemadmodum hi, qui Romę habitabant, distributi non erant, ac per hoc curiatis comitijs exclusi. De municipibus sic scribit Vlpianus libro. I. tt. I. *Municipes aut natiuitas facit, aut manumissio, aut adoptio, & proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem, ut munera nobiscum facerent.* Omnium porrò municipiorum cum iure suffragii primum fuit Tusculum, deinde Lanuuium, Aricia, No-
C mentum, Pedum, Fundi, Formiæ, Cumæ, Acerræ, Priuernii, Anagnia, Atilla, Suessula, Trebula, & quædam alia. Quorum quibusdam ciuitas cum suffragio statim data, quibusdam vero sine suffragio primum, deinde cum latione suffragii concessa. Cæterum magistratus municipales ante legem Iuliam, bellum Marsicum, & ciuitatem toti Italiæ datam, varii fuerunt, prout varia etiam erant municipiorum, & Italiæ ciuitatum iura. Omnia tamen in hoc vnum ferè conueniebant, ut more Romano in senatum, populumque diuiderentur. Legitur enim in antiquis inscriptionibus municipalibus.

L. BAEBIO. L. GAL. COMINIO
S. P. Q. NEAPOLITANVS

IMP. CAESARI DIVI F.
AVGVSTO PONT. MAX.
S. P. Q. CAERES

D C. POPILLIO C. F. QVIR. CARO. PEDONI
COS. VII. VIRO EPVLON
S. P. Q. TIBVRS

Qui porrò ius municipibus diceret, & Prætor & Consul vocabatur. Mentio enim est apud Liuium Prætorum Prænestini, & Lanuini. Et apud Plinium Consulis Tusculani lib. VII. cap. XLIII. *Est & L. Fuluius inter insignia exempla Tusculanorum rebellantium Consul, eodem quoque honore quum transisset exornatus, confestim à Populo Romano, qui solus eodem anno, quo fuerat hostis Romæ triumphauit, ex his quorum Cos fuerat.* Verum post legem Iuliam, quum municipiorum, & coloniarum iura confundi cœpissent, quumque suis legibus viuerent, omnes tamen magistratus tum sacros, tum profanos coloniarum more creare cœperunt, vt
E ordinem Decurionum, pro Senatu II. Viros, vel IIII. Viros iuri dicundo, II. Viros quinquennales, Ædiles, Quæstores, VI Viros Augustales iuniores, & seniores; Flamines, Augures, Pontifices, & alia euiusmodi sacerdotia, quæ quum ab Vrbe Roma colonię mutuatæ essent, ea non longè post, ciuitate Italiæ omni data, & municipia susceperunt. Nam & in antiquis municipalibus inscriptionibus hæc obseruaui, & Tranquillus in Augusto ita scribit. *Corpus Decuriones municipiorum, & coloniarum à Nola Bouillas vsque deportarunt.* Plinius Ep. ad Traianum IX. *Petij à patre tuo, ut statuas Principum permitteret in municipium transferre, adiecta sua, quod ille, quum indulsisset, decurionibus scripsi, vt assignarent solum, in quo templum pecunia mea exstrueretur.* Plinius quoque senior lib. II. Hist. nat. cap. LI. Decurionum municipij Pompeiani meminit. Horum vero magistratuum, & sacerdotiorum

inscriptiones, quum de colonijs loquar afferam. A

DE COLONIIS, ET EARVM DEDVCENDARVM RATIONE, Magistratibusque, & Sacerdotijs. Cap. XII.



QVAE autem Coloniæ fuerint, ex Gellio vidimus, quarum, vt idem inquit, conditio, quum magis, quàm municipiorum obnoxia, & minus libera esset, potior tamen, & præstabilior existimabatur, propter amplitudinem, maiestatemque populi Romani, cuius coloniæ, quasi effigies paruæ erant, & simul, quia obscura, oblitterataque erant municipiorum iura, quibus vti per ignorantiam nequibant. Deducendarum verò Coloniarum mos à B Romulo institutus, frequentissimus apud Romanos fuit. Constanti enim omnium sententia inter reliqua præclara Romuli instituta, quibus, Rep. Romana fundata, ei ad certissimum exterarum omnium gentium, ac populorum bello, paceue principatum peruenire, non difficile fuit, omnium præstantissimum & optimum esse existimatum, quod nec bello captas vrbes funditus exciderit, vel eis in seruitutem redactis earum agrum pecori compascuum reliquerit, sed deductis ex vrbe colonis, eas colonias Romanas fecerit, atque quasdam etiam ciuitate donatas Resp participes admiserit. Quibus institutis breui tempore magnam vrbem ex parua reddidit. Cuius exemplum cęteri Reges primum, deinde Consules sequuti, Romanum Imperium omnium maximum, fortissimum, ac potentissimum effecerunt. Deducendarum verò coloniarum antiquitùs hæc fermè ratio erat: antequam C militares coloniæ deducerentur, & integris prouincijs ius Latij, & ciuitatis Romanæ daretur, hostibus populi Romani eius virtutem lacessentibus victis, agrique & regionis parte mulctatis, in agris de eis captis, quo Romanum Imperium eis in regionibus stabilirent, Romani Imperatores ex S. C. populique iussu, vel nouas vrbes condebant, vel in antiquitùs conditas, veteribus incolis omnino aut eorum parte pulsis, aliquando etiam omnibus remanentibus, verùm agri parte mulctatis, vt gentium iniuriæ, quæ populo Romano ab ijs factæ fuerant, requirebant, nouos ex vrbe ciues, qui edicto nouæ coloniæ deducendę proposito, sponte in coloniam nouam nomina dedissent, per III. viros, vel V. aut VII. aut XV. aut XX. Viros ad id creatos, eò in iusti exercitus formam vexillis, signisque Romanis pręeuntibus, deducebant, quotquot agro de hostibus capto colendo sufficere possent, quem no- D uis colonis viritim diuidebant. Hi antequam per coloniam vicatim distribuerentur, vrbem ipsam nouis quibusdam, ritualibusque sacrificijs, solemnibusque expiationibus lustrabant, & eius muros more Romano aratro circumductos cum boue, & vacca, addito pomerio, sacros constituebant. Quod ita lib. IV. de lingua latina tradit Varro: *Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multa, idest iunctis bubus, tauro, & vacca interiore aratro circum agebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa die auspicato, vt fossa, & muro essent munitæ, terram, vnde excalpserant, fossam vocabant, & introrsum factum, murum, postea, quod fiebat orbis, vrbs. Principium, quod erat post murum, pomerium dictum, eiusque ambitu auspicia vrbana finiuntur. Cippi pomerij stant circum Romam; quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro ab orbe, & vrbe aratri curuatura vrbes; & ideo coloniæ nostræ omnes in litteris an-* E *tiquis scribuntur vrbes, quod item conditæ, vt Roma, & ideo coloniæ, vt vrbes conduntur, quod intra pomerium ponuntur.* Cicero Philippica II. in Antonium. *Deduxisti coloniam Casilinum, quod Cæsar ante deduxerat, omni auspiciorum ordine turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quò erat paucis annis ante deducta, vt vexillum videres, & aratrum circumduceres, cuius quidem nomine portam Capuæ penè perstrinxisti, vt florentis coloniæ territorium minueretur.* Et lib. XXVII. Liuius. *Consules colonis militiam detestantibus ita loquuntur. Redirent itaque properè in colonias, & tanquam integra re loquuti, magisque ausi tantum nefas cum suis consulerent, admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Romanos, inde oriundos, inde in colonias, atq́ in agrum bello captum, stirpis augendæ caussa missos. Quæ liberi parentibus deberent, & illos Ro-*

manis

A *manis debere, si vlla pietas, si memoria antiquæ patriæ esset.* In coloniam verò deducti statim nouam administrandæ Reipublicæ rationem Romano more constituebant. Nam vt Romæ erat populus, & Senatus, sic hi nouos colonos in decuriones, & plebem diuidebant. Decurionum ordo Senatus, Plebs, Populi Romani imaginem referebat; ex Decurionibus singulis annis duo, vel quattuor viri, omnium colonorum suffragijs creabantur iuxta coloniæ magnitudinem, vel paruitatem, qui II. VIRI. vel IIII. VIRI. I. D. idest iuri dicundo vocabantur. Hi Consulum, & Prætorum speciem representabant. Creabantur insuper Censores, qui censum in colonia agerent; Ædilis, qui viarum, ædificiorumque publicorũ, annonæ, & locandorũ redditũ publicorũ; itẽ Quæstor, & Curatores ęrarij, qui ærarij publici curam habebant. Demum II. viri quinquennales, qui & ipsi de minoribus summis ius di-
B cebant. Atque hi erant præcipui coloniæ magistratus, quorum in antiquis epigrammatibus mentio est, cæteris omnibus more, legibus, & institutis Romanis viuebant. Erat & alius magistratus profanus in colonia, qui II. viri quinquennales vocabantur. Erant & sacerdotia, vt Augures, Pontifices, Flamines, VI. viri Augustales iuniores, senioresque in Augusti honorem constituti. Item sodales, salij, & omnia postremo sacerdotia; Itemque collegia, vt Fabrûm, Dendrophororum, Centonariorum, Nauiculariorum, Nautarum, Frumentariorum, & Figulorum, quæ Romæ erant, de quibus passim in vetustis epigrammatibus mentio est. Quæ, quò à studiosis aliquam gratiam ineam, paulò post singillatim subjiciam. De II. viris coloniarum Cicero in Rullum ita meminit. *Quum venißem Capuã coloniam deductam L. Considio, & Sex Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, prætoribus; nam*
C *quum cæteris in colonijs II. viri appellentur, hi se prætores appellari volebant.* Et paulò post de reliquis coloniæ magistratibus. *Huc* (inquit) *isti X. Viri, quum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerunt, centum Decuriones, X. Augures, sex Pontifices constituerunt; quos illorum animos? quos impetus? quam ferociam esse putatis?* Plinius Epist. ad Traianum CXIV. *Honorarium decurionatus omnes, qui, in quaque ciuitate Bithyniæ decuriones fiunt, inferre debeant, necne in vniuersum à me non potest statui.* Et de quodam Coloniarum iure idem Cicero Philippica II. in Antonium ita scribit: *Consuluisti me per litteras de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem, possesne, vbi colonia esset, eò coloniam nouam inde ducere? negaui in eam coloniam, quæ esset auspicatò deducta, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci, colonos nouos adscribi posse rescripsi.* De censoribus, qui in colonijs suos ciues censerent, Plinius in epi-
D stolis ad Traianum epist. LXXXIII. *Quæritur ergo, an qui minor* XXX. *annorum gessit magistratus* (in Bithynia) *possit à censoribus in Senatum legi.* Et paulò post. *Ego à destinatis censoribus, quid sentirem, interrogatus, eos quidem; qui minores* XXX. *annis gessissent magistratum, putabam posse in Senatum, & secundum edictum diui Augusti, & secundum legem Pompeiam legi.* Et epistola CXIII. *Lex Pompeia domine, qua Bithyni, & Pontici vtuntur, eos, qui in bulen à censoribus leguntur, dare pecuniam non iubet. Anicius deinde Maximus Procos. eos etiam, qui à censoribus legerentur, duntaxat in paucissimis ciuitatibus aliud aliis iussit inferre.* His expositis omnium tam municipalium quam colonicorum magistratuum, & sacerdotiorum nomina, veteresque lapidum inscriptiones, vnde ea hauserim, afferam.

E



MA-

MAGISTRATVS MVNICIPALES, ET COLONICI.

Curator Reipublicæ
Curator ciuium Romanorum Col.
Censitor ciuium Rom. Coloniæ
Patronus Municipi
Patronus Coloniæ
Senatus Populus Que
Omnibus honoribus municipalibus functus
Decurio in Col. vel Municipio
Decuriones Col. vel Municipi
Ordo Decurionum
Ornamentis Decurionalibus ornatus
Decuriones & plebs Col. vel Municipi
Ordo regalium
II. Vir
II. Vir. I. dicundo
II. Vir Quinquennalis
III. Vir
IIII. Vir
IIII. Vir Iuri dicundo
IIII. Vir Quinquennalis
VI. Vir
VI. Vir Senior
VI. Vir Iunior
VI. Vir Vrbanus
Honor Seuiratus
Procurator Augusti
Præf. Fabrum
Iudex Selectus
Præf. Quinquennalis
Quæstor
Quæstor Ærari
Quæstor Alimentorum
Ædilis
Ædilis Curulis
Honores Ædilitij
Quæstores II.
Ædiles II.
Præfectus ædilicia potest.
Curator Ærari
Curator Viarum
Curator locorum publicorum
Proc. Augusti
Proc. Aug. XX. Hered.
Proc. Aug. ab Alim
Tabular. XX. Hered.
Tabular publicus H. C.
A com. XX. Her,

SACERDOTES MVNICIPALES, ET COLONICI A

Augustalis
VI. Vir Augustorum
VI. Vir Augustalis
VI. Vir & Augustalis & Flaminalis
VI. Vir Iunior & Augustalis
VI. Vir Senior & Augustalis
Flamen
Flamen sacrorum municipalium
Flamen publicus
Flamen perpetuus duumuirali potestate B
Flamen diuorum omnium
Flamen Romæ & Augusti
Flamines Imperatorum, vt Diui Iuli, Diui Augusti, Diui Claudii, Diui Titi Augusti Vespasiani, Diui Traiani &c.
Sodalis Hadrianalis, Traianalis
Mag. Larum Aug.
Pontifex
Pontifex Maximus
Augur C
Haruspex
Saliorum magister
Salius
Pater patratus
Sacerdos Collegij Iuuenum
Sacerdos Iuuenum
Flaminica
Sacerdos femina diuarum Augustæ, Domitillæ, Plotinæ &c.
Sacerdos perpetua D

COLLEGIA VETERA	COLLEGIA NOVA
VIII. Plut. in Numa.	Ex lapidibus.
1 Tibicinum	Centonariorum
2 Aurificum	Dendrophororum
3 Fabrum	Nauiculariorum
4 Architectorum	Vicimagistrorum
5 Tinctorum	Kalendariorum
6 Cerdonum	Iduaria
7 Figulorum	Nautarum
8 Coriariorum	Fenariorum E
	Dolabrariorum
	Scalariorum

MINISTRI

Scriba publicus Pontificum
Serui publici. Plinius epist. ad Traianum

Omnium vero inscriptiones subijcere placuit

Magistratuum Municipalium & Colonicorum, quæ reperire potui, vetusta epigrammata accuratè disposita.

Brixiæ ad S. Faustinum.

P. CLODIO. P. F
FAB. SVRAE
Q. FLAMINI. DIVI
TRAIANI. PONTIF
II. VIR. QVINQ. TRIB. LEG
II. ADIVTRIC. PIAE. FID
CVRAT. REIP. BERGOM. DAT
AB. IMP. TRAIANO
CVRAT. REIP. COMENS. DAT
AB. IMP. HADRIANO
COLLEGIA. FABR. ET. CENTON

Brixiæ ad S. Faustinum

C. SILENVS. C. F. ANI
SERENIANVS
OMNIBVS. HONORIBVS
MVNICIPALIBVS. PERFVNCT
ET. CARBONACAE. C. F. VERAE
CONIVGI. INCOMPARABILI
QVAE. MECVM. VIXIT
ANNIS. XXVII. MENS. XI
DIEB. XXVII. V. F

Tibure ad S. Paulum

C. POPILIO. C. F. QVIR. CARO. PEDONI
COS. VII. VIRO. EPVLON. SODALI. HADRIANALI
TRIB. LATICLAVIO. LEG. III. CIRENAICAE
X. VIRO. STLITIBVS. IVDICANDIS. PATRONO
MVNICIPI. CVRATORI. MAXIMI. EXEMPLI
SENATVS. P. Q. TIBVRS
OPTIME. DE. REPVBLICA. MERITO

Mediolani ad S. Victorem, extra Portam Vercellinam.

C. SERTORIVS. L. F. OVF
TERTVLLIANVS
VETERANVS. LEG. XVI
CVRATOR. CIVIVM
ROMANORVM
MOGVNTIACI

Comi

FORTVNAE
OBSEQVENTI
ORD. COMENS
VOTO. PRO
SALVTE. CIVIVM
SVSCEPTO

CN. MVNATIVS. M. F
PAL. AVRELIVS. BASSVS
PROC AVG
PRAEF. FABR. PRAEF. COH. III
SAGITTARIOR. PRAEF. COH. II
ASTYRVM. CENSITOR. CIVIVM
ROMANORVM. COLONIAE. VICTRI
CENSIS. QVAE. EST. IN. BRITANNIA
CAMALODVNI. CVRATOR
VIAE. NVMENTANAE. PATRONVS
EIVSDEM. MVNICIPI. FLAMEN
PERPETVVS. DVVMVIRALI
POTESTATE. AEDILIS. DEDICATOR

L. VARRONIO. L. F
PAL. CAPITONI
SCRIBAE. AEDILIC
ACCENSO. VELATO
II. VIRO. QVINQVENN
CVRATORI. VIARVM
PATRONO. COLONIAE
ORDO. REGALIVM
QVORVM. HONORE
CONTENTVS. SVA. PECVN
POSVIT. L. D. D. D

Brixiæ extra S. Nazarium.

P. RVFRIVS. P. F. BALBIN
DECVRIO. IN. COLONIA
ET. C. RVFRIO. P. F. PEDONI
FRATRI. ET. RVFRIAE. P. L
AMOENAE. ET. SVIS. T. F. I
ET. ROMANAE. M. F. TERTIAE
ET. P. ROMANO. M. F. FRATRI

Brixiæ ad S. Euphemiam

P. PLACIDIO
C. F. PAL
CLODIANO
EQVO. PVBLICO
DECVR. BRIXIAE
C. PLACIDIVS. HEMADION
ET. LVCRETIA. PERSIS
FILIO. PIISSIMO. L. D. D. D

Tarraconæ

C. MARIO. C. F. PAL. VERO
GERVNDENSI
OMNIBVS. HONOR. IN. REP
SVA. FVNCTO. FLAMINI
PROV. HISP. CITER

Bri-

Brixiæ

COLL . FABR . ET . CENT
SEX . SEXTIO . ONESIGENI
ORNAMENTIS . DECVRIONALIB
BRIXIAE . VI . VIR . AVGVSTALI
PATRONO . COLLEGIORVM
FABROR . ET . CENTONARIOR
ET . DENDROPHORORVM

Brixiæ

L . ACVTIO . L . F
FAB . PRIMO
EQVO . PVB
II . VIR . I . D
AEDIL . Q . ALIM
FLAM . DIVI . IVLI

Mediolani in Turri P. Ticinensis

TREBIA . C . F . PHILVMENA
SIBI . ET . L . TIVCIO . MERVLAE
II . VIR . III . VIR . IIII . VIR
TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT

Nouocomi

L . CALPVRNIVS . L . F . OVF
FABATVS
VI . VIR . IIII . VIR . I . D . PRAEF . M
PRAEF . PRAET . TRIB . MIL . LEG . XXI
RAPAC . PRAEF . COH . VII . LVSITAN . ET
NATION . GETVLICARVM . SEN
QVAE . SVNT . IN . NVMIDIA
FLAMINI . DIVI . AVGVSTI
EX PATRIMONIO . T . F . I

Mediolani in Cathedrali

D . M
M . MESTRI . M . D
CENSORINI
PATRONI . OPTIMI
ET . M . FLAVIO . PHILLIO
VI . VIR . SEN . AMICO

Nouocomi in æde S. Fidelis

P . ATILI
P . F . OVF
SEPTICIANI
GRAMMATICI . LATINI
CVI . ORDO . COMENS
ORNAMENTA
DECVR . DECREVIT
QVI . VNIVERSAM
SVBSTANTIAM
SVAM . AD . REMPVB
PERTINERE . VOLVIT

Tarraconæ in Hispania

GENIO . COL . I . V
TARRAC
L . MINTIVS . APRONIANVS
II . VIR . QQ . TESTAMENTO
EX . ARG . LIBRIS . XV
PONI . IVSSIT

Sagunti

TVTELAE . AVG . SACRVM
C . TERENTIVS . ONESIMVS
IN . HONOREM . SEVIRATVS . SVI
ET . IN . HONOREM . C . TERENTI
VRSI . FILI

Mediolani ad S. Barth.
Porta Noua

Q . CAMPILIVS . Q . F
VIRILIO
VI . VIR . IVNIOR . SIBI . ET
TATINIAE . M . F
VERAE . VXORI
Q . CAMPILIO . PATRI
CASTRICIAE . CONEXVAE
MATRI

Romæ in domo Cæsia

C . SALLIO . ARISTENETO . C . V
SEPTEM . VIRO . EPVLONVM
SODALI . AVGVSTALI . X . VIRO
STLITIB . IVDICAND . ORATORI
MAXIMO . DECVRIONES . ET
PLEBS . COLONIAE
ASCVLANORVM . ANCONITANORVM
PROPTER . HVMANITATEM

In agro Comensi

C . PETRONIO
C . F . OVF
CRESCENTI
IIII . VIR . A . P . IIII . VIR . I . D
DESIGNATO . ET
PVPAE . GERMANI . F
PETRONII
EXORATVS . ET
AQVILA
PARENTIB . OPTIM

Nouocomi in æde S. Mariæ
Climianæ

T . TADIVS
T . F . OVF
CATIANVS
VI . VIR . VRB
Q . COLLEGI
CENTONARIORVM
ANNI . QVO . CVRIA
DEDICATA . EST
SIBI . ET . TADIIS
CATIANO . ET
SECVNDO . FIL
VI . VIR . VRB . ET
TERENTIAE
VALERIANAE
VXORI . L . D . D . C
ET . IN . TVTEL
DED . HS . X

Me-

Mediolani ad S. Petrum Cęlestinum P. Vercellinæ in vase aquæ sanctæ

D · M
Q · VITELLI · SATVRNINI
VITELLI · VERANIVS
ET · CONSTANS
VI · VIRI · IVNIORES
PATRI · OPTIMO

Brixiæ

L · ARRIO
PRIMO
L · ARRIVS
SECVNDVS
PROC · AVG
FRATRI · PIISSIMI

Comi in sacello pagi Tabernarij

L · COELIO · VALERIO
VI · VIR · MEDIOLAN
ET · CALPVRNIAE · L · F
OPTATILLAE
VXORI · EIVS · ET
M · AEMILIO · COELIO
COELIANO · DECVR
MEDIOL · ET · NOVAR
ET · LVCILIAE · L · F
SABINIANAE · ET
M · AEMILIO · COELIO
CATIANO · FILIIS
COLLEGIVM
CENTONARIOR
HONORE · ACCEPTO
IMPEND · REMISER
ET · IN · TVTELAM
DEDER · HS · II

Brixiæ

P · PAPIRIVS · P · F · PASTOR
AVGVR · II · VIR · PRAEF · FABR
PRAEF · NERONIS · CAESARIS
IIII · VIR · QVINQ · SIBI · ET
CN · PAPIRIO · FVSCO · FRATRI · II · VIR
CN · PAPIRIO · CVRATORI · FILIO
CN · PAPIRIO · FVSCO · FILIO · PONTIF

In Nemorensi

DIANAE
NEMORESI · VESTAE
SACRVM · DIC
IMP · NERVA · TRAIANO · AVG
GERMANICO · IIII · COS · PRAEF
EIVS · T · VOLTEDIO · MAMILIANO
QVAESTORIB
L · CAECILIO · VRSO · II · M · LVCRETIO
SABINO · II · AEDILIBVS
Q · VIBENNA · QVIETO
TI · CLAVDIO · L · MAGNO
P · CORNELIVS · TROPHIMVS · PISTOR
ROMANIENSIS · EX · REGION · XIIII
IDEM · CVR · VICI · QVADRATI
ET · LANIA · C · F · THYRONE · CONIVX
EIVS · VOTVM · LIBENS · SOLVERVNT

Mediolani in æde S. Valeriæ

L · GEMINVS · L · F
MESSIVS
VI · VIR
CVRATOR · AERARI
MEDIOL
HERCVLI
V · S · L · M

L · APPVLEIVS
C · F · ANI · NIGER
II · VIR
CVRATOR · VIARVM
STERNENDARVM
PEDVM · DECEM
MILLIA · VIAM
SVA · PECVNIA
FECIT

Brixiæ

CLODIAE · ACCHILLEAE · SIVE · CYRILLAE
QVAE · VIXIT · ANN · XXIIII · M · XI · D · VIII
VETTIVS · VRSINIANVS · MARITVS · VXORI
INCOMPARABILI · QVI · DEDIT · COLL · VI · VIR
SOCIOR · HS · VT · EX VSVRIS EORVM
PROFVSE · PARENT · ANNVOS · QVOTANNIS
CELEBRENT

Dianij in Hispania

D · M
AEMILIO · VALERIO · CORINTHO
HOMINI · BONO · QVI · VIX · AN · XL
DEFVNCTO · HONORIBVS · AEDILITIIS
ANTONIA · TORTONIA · MARITO
OBSEQVENTISSIMO · B · M · F

Brixiæ

D · M
C · PONTIO · C · FIL
PALIGNO · TRIB · MIL
LEG · XIIII · GEM · Q
CVR · LOCORVM · PVBLIC
ITERVM · AED · CVR
LEGATO · PRO · PR · ITERV
EX · S · C · ET · EX · AVCTORIT
TI · CAESARIS · D

Tarraconæ

L · CAECILIO · L · F · GAL · FRONTONI
QVAEST · II · VIR · PROCVRAT · AVG
CN · CORNELIVS · EVPELASTVS · ET
CN · CORNELIVS · EVPHORVMVS
OB · MERITA · OPTIMO · AMICO

	Taraconę	Dianii in Hispania	Taraconę
COLLEG . FABR P . SEXTILIO . P . F PRIMIANO OB . QVAESTVRAM FIDELITER . AC LIBERALITER GESTAM . ET LVSIAE . L . F QVINCTVLAE . EIVS ET . P . SEXTILIO CARPIANO . FILIO	M . PORCIO . M . F ANIENS . APRO II . VIRO . PRAEF . FABR TRIB . MIL . LEG . VI FERRAT PROC . AVGVST . AB ALIMENT . FLAMINI P . H . C	FELICI . AVG . LIB A . COMMENT XX . HER . H . C HILARVS . COLLIB TABVL . XX . HER PROV . LVSITANIAE	SILVANO . AVG . SACRVM PRO . SALVTE IMP . CAES . HADRIANI ANTONINI . AVG . PII . N̄ ET . LIBERORVM EIVS ATIMETVS . LIB . TABVL P . H . C

Sacerdotiorum municipalium & colonicorum
Sacerdotia ex vetustis inscriptionibus seriatim concinnata

Comi ad S. Xystum
D . M
ROMATIAE . L . F
SEVERIANAE
FILIAE . OPTIMAE
QVAE . VIXIT . AN . XII
L . ROMATIVS
TROPHIMVS
VI . VIR . ET . AVG . COM
VI . VIR . MEDIOL . ET
PVBLICIA . L . F
ATILIA
PARENTES

Mediol. in aede S. Nazarii ad P. Rom.
FAVSTVS . VI . VIR
ET . AVGVSTALIS
QVI . INTER . PRIMOS
AVGVSTALES
A . DECVRIONIBVS
AVGVSTALIS . FACTVS
EST
VIRIAE . MAXIMAE
VXORI . CARISSIMAE

Dianii
D . M
L . LVCRETIO
NICEPHORO
VI . VIRO
AVGVSTORVM

Placentię
L . PLOTIO . ATIMETO
IIIIII . VIRO . AVGVSTALI
GRATVITO . D . D
CELATAE . CONI
VXORI . EIVS
VITALI . FILIAE . EORVM

Brixiae
QVINCTIA
RESTITVTA
C . PETRONIO . FAB
FRONTONI
VI . VIR . AVG . BRIX

Bergomi
L . BLANDIVS . C . F
VOT
IIIIII . VIR . ET
AVGVSTALIS . ET
FLAMINALIS
SIBI . ET
VALERIAE . L . F . RVSTICAE
VXORI

Mediolani ad S. Steph. in Prolio
P . VALERIO . P . L . PALAT
TACITO . VI . VIR . SENIORI
ET . AVGVSTALI
PLAVTIAE . HERMIONI
ATILIA . HERMIONE
ET . ATILIVS . CAL . . .
MATRI DVLCISSIMAE

Sagunti
P . BAEBIO . L . F
GAL . MAXIMO
IVLIANO . AED
FLAM
POPILLIA . AVITA
EX TESTAMENTO
C . POPILLI . CVPITI
PATRIS

Cordubae in Hispania
C . EGNATVLEIO
C . F . GAL
SENECAE . TARQ
AED . Q̄ . II̅ . VIR
FLAM . DIVI . TITI
EQVO . PVBLICO
DONATO
PRAEF . COH . IIII
THRACVM
FLAMINI . P . H . C
EGNATVLEIA . SIGE
PATRONO . INDVLGENTISSIMO

Firmi in Piceno
L . VOLCATIO . Q . F
VEL . PRIMO
II . VIR . II . QVINQ
FLAM . DIVOR . OMN
P . C . EX . TESTAMENTO
EIVS . POSITA
Q . LICINIO . CRISPINO
C . HERENNIO . MAXIMO
II . VIR

Tarraconae
P . LICINIO . L . F
GAL . LAVINO
AED . Q . FLAMINI
ROMAE . ET AVG
II . VIR . PRAEF
COH . IX . TIRONVM
ORAE . MARITIMAE
IVLIA . Q . F . INGENVA
MATER

Tarraconae
L . ANNIO . L . F . GAL . CANTABRO
FLAM . ROMAE . ET . DIVORVM . AVGVST . P . H . C
OMNIBVS . HONORIBVS . GESTIS SEGORBICAE
DECRETO . ORDINIS . PECVNIA . PVBLICA
SEGORBICENSES

Ta-

Taraconæ

C. VALERIO. ARABINO. FLAVIANI. F. BERGODO
OMNIB. HON. IN. REP. SVA. FVNCT. SACERDOTI
ROMAE. ET. AVG. P. H. C. OB. CVRAM. TABVLARI
CENSVALIS. FIDELITER. ADMINISTRATAM
STATVA. INTER. FLAMINALES. VIROS. POSITA
EXORNANDVM. VNIVERSI. CENSVERE

Mentesæ in Bætica

LIBERO. PATRI. SACRVM
IN HONOREM. PONTIFICATVS
L. CALPVRNIVS. L. F
GAL. SILVINVS
VI. VIR. BIS. FLAMEN
SACRORVM. MVNICIPALIVM
PONTIFEX. MAXIMVS
AVGVR. D. S. P. D. D

Tridenti

C. VALERIO. C. F. PAP
MARIANO
HONORES. OMNES. ADEPTO
TRIDENT. FLAMINI. ROM. ET
AVG. PRAEF. QVINQ. AVGVR
ADLECTO. AN. NON. LEG. III
ITALIC. SODALI. SACRORVM
TVSCVLANORVM. IVDICI
SELECTO. DECVR. TRID
DECVRIONI. BRIXIAE
CVRATORI. REIP. MANT
EQVO. PVBLIC. PRAEF. FABR.
PATRONO. COL
PVBLICAE

Brixiȩ

M. PVBLICIO
M. F. FAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
EQVO. PVBLICO
FLAM. DIVI. IVLI
PRAEF. AEDIL. POT
QVAESTOR. AERARI
SACERDOS. IVVEN. BRIX
COLLEGIA
CENTON. ET. FABROR

Dianij in Hispania

M. FABIO. ASIATICO
VI. VIRO. MAG
LARVM. AVG
L. POMPEIVS. SEVERINVS
AMICO. OPTIMO

Bergomi ad S. Petrum

C. CORNELIO
C. F. VOT
MINICIANO. PRAEF
COH. I. DAMASC
TRIB. MIL. LEG. III
AVGVST
PRAEF. FABR. CVRATORI
REIP. OTESINORVM
IIII. VIRO. I. D. PONTIFICI
FLAMINI. DIVI. CLAVDI
BERGOMI. PATRONO
FLAMINI. DIVI. TRAIANI
MEDIOLANI
PLEBS. VRBANA

In Comensi agro

T. ANNIO. T. F. QVIR. MAXIMO
POMPONIANO
FLAMINI. DIVI. AVG. AVGVRI
PRAEF. ALAE. MILITARIS

In agro Comensi in Vico Rhætonico

L. MINICIVS. L. F. OVF. EXORATVS
FLAMEN. DIVI. TITI. AVG. VESPASIANI
CONSENSV DECVRION. TR. MIL
IIII. VIR. A. P. II. IIII. VIR. I. D. PRAEF. FABR
A. PR. BIS. ET COS. PONTIF. SIBI. ET
GEMINIAE. C. F. PRISCAE VXORI
ET. MINICIAE. L. F. BISIAE
V. F

SEX. TITIO. SEX. F
PVP. MONTANO
CAESIO. SABINO. EQVO
PVBLICO. AEDILI. PONT
FLAMINI. TRAIANAL
PATRONO. MVNIC
PLEBS. VRBANA
H. R. I. R. I

IOVI. CONSERVATORI. ET. IVNONI SANCTAE
SACRVM
C. PLAETORIVS. C. F. STEL. PHOEBVS. VI. VIR. AVG
SODALIS. TRAIANALIS. ET HADRIANALIS
IIII. VIR. QVINQVENN. PATRON. IVVEN
TREBVL. MVTVST. VOT. SOL. LIB. MER

M. RVBRIO. L. F
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT. SALIO
MVNIC. ET. IN. COL

Mediolani ad P. Romanam

M. DOMITIVS. M. F
PRISCVS
Q. A. IIII. VIR. A. P
AVGVR. D. D
GRATVITO. PODIVM
CVM. LORICA. ET ADITVS
VIVOS. FECIT

Aquini

SOFRONIA
Ↄ. L. TERTIA
SIBI. ET. P. SEXTILIO
PRIMO. HARVSPICI
SEVIRO. AQVINI
ET. SVIS. IN. FR
P. XII. IN. AGR. P. XII

Segunti

C. VOCONIO
C. F. GAL
PLACIDO. AED
II. VIRO. II. FLAMINI
II. QVAESTORI
SALIORVM. MAGISTRO

Mediolani ad S. Amb. P. Vercel.

D . S . I . M
S . ACILIVS . PISONIANVS
PATER . PATRATVS
QVI . HOC . SPELEVM . VI . IGNIS
CBSVMPTVM . AOMPARATA
AREA . A . REPVBL . MEDIOLAN
PECVNIA . SVA . RESTITVIT

Tarraconæ in Hispania

SEMPRONIAE . L . F . PLACIDAE
POMPAELONENSI
FLAMINICAE
GONSENSV . CONCILI . P . H . C
CORNELIVS . VALENS . MARITVS
S . F . P

Mediolani ad S. Steph. P. Tonsa

Q. INGENVVS . MAXIMIANVS
SCRIB . PVBLICVS
PONTIF
ET . CVRATOR . AERARI

Brixiæ

COLLEGIA . FABR . ET . CENT
L . GORNELIO . PROSODICO
VI . VIR . AVG . BRIXIAE . ET
VERON . SACERD . COLLEG
IVVENVM . BRIXIAN
PRIMVM . INSTITVTVS
OB . MERITA . EIVS
HONORE . CONTENTVS
IMPENDIVM . REMISIT
IS . IN . TVT . HS . N̄ . D

Brixiæ

AEMILIAE . G . F
AEQVAE
SACERD . DIVAE
PLOTINAE
COLLEG . CENT
TITVLO . VSA

Mediolani ad S. Dionys. P. Noua

D M
C . VALERI . PETRONIANI
DECVR . PONTIF . SACERD
IVVEN . MEDIOL . CAVSIDIC
QVINQ. GRAT . VII . LEGATION
VRBIC

Apud Continiam Hispaniæ

IVNIA . D . F . RVSTICA
SACERDOS . PERPETVA
ET . PRIMA . IN
MVNICIPIO
CARTIMITANORVM
PORTICVS . PVBLICAS
VETVSTATE . CORRVPTAS
RESTITVIT

DE PLVRIBVS COLONIARVM POPVLI ROMANI Generibus. Cap. XIII.



OLONIARVM populi Romani plura genera erant, pluresque de eis diuisiones tradi possunt, si earundem varias conditiones consideremus, quarum tamen alia ad aliam nihil pertinet. Erant enim coloniæ & intra Italiam, & extra. Porrò autem de eis coloniis loquar, quæ intra Italiam deductæ sunt, ad quarum rationem, hæ quoque quæ extra Italiam fuere, erant. Coloniarum autem intra Italiam existentium duo pręcipue genera erant vt tradit Asconius in Pisonianam; quædam enim erant ciuium Romanorum, & quædam Latinæ. Vnde Liuius lib. XXXIIX. *Illud agitabant ut colonia Aquileia deduceretur, nec satis constabat utrum Latinæ, an ciuium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam deducendam potius patres censuerunt. Item Bononia, Latina, Mutina, & Parma, coloniæ Romanæ sunt deductæ.* Coloniæ ciuium Romanorum fuerunt auctore Liuio Antium, Satricū, Puteoli, Salernum, Buxentum, Vulturnum, Linternum, Sipontum, Tempsa, Croto, Mutina, Parma, Saturnia, Luca & Arisia. Latinæ vero Ostia, Fidenæ, Signia, Circei, Veletræ, Norba, Vitellia, Ardea, Lauici, Sutrium, Setia, Nepeta, Cales, Terracinæ, Fregilla, Luceria, Suessa, Aurunca, Sabicula, Pontia, Interamna, Cassinum, Sora, Abda, Carseoli, Nequinum, Sinuessa, Minturnæ, Venusia, Sena, Castrum, Hadria, Consa, Pæstus, Ariminum, Beneuentum, Firmum, Castrum nouum, Æsernia, Alsium, Æsulum, Fregenæ, Brundusium, Spoletium, Vibo, Placentia, Cremona, Pirgi, Bononia, Pisaurum, Pollentia, Aquileia, Grauiscæ, Pisæ, Auximum, Fabrateriæ, Scylacium, Mineruium, Tarentum, Rudiæ, Neptunia, Iulia, Dertona, Nola, Lauinium, Abellinum, Ferentinum, Tarquinii, Eporedia. Coloniæ ciuium Romanorum pręter sacra omnia, iura, & priuilegia, quę ciues Romani agrum Romanorum vrbemque incolentes habebant, quemadmodum & municipes, cum suffragii iure, illud intererat, quod hi suis legibus, il-

A li Romanis viuebant. Coloniæ vero Latinæ erant, quæ ius Latii haberent. Quid autem
ius Latii fuerit altero capite exponam. Rursum ex vtroque harum coloniarum genere, tria
pręterea genera erant. Quædam enim fuere, in quas Romani tantum essent ciues coloni
deducti, coloniis de nouo in agris de hostibus captis conditis, vel veteribus incolis omni-
no pulsis; eiusmodi fuerunt Ostia, Signa, Circeii, Norba, Sena, Castrum, Ariminum,
Paestus, Placentia, Cremona, Bononia, Pisaurum, Mutina, Parma. Hæ enim vel de
nouo conditæ sunt, vel in agris Boiorum, & Senonum his pulsis coloniæ Romanæ factæ.
Quædam preterea coloniæ fuerunt, in quibus Romani ciues deducti antiquis incolis mixti
habitabant, vt Fidenæ, Velitræ, Antium, Ardea, Satricum, Cales, Tarracinæ, Fregellæ,
Luceria, Suessa, Aurunca, Pontia, Interamna, Cassinum, Sora, Alba, Carseoli, Nar-
B nia, Sinuessa, Minturnæ, Venusia, Esernia, Brundusium, Spoletium, Vibo, Puteoli, Sa-
lernum, & cæteræ omnes coloniæ ciuium Romanorum Aquileia, Grauiscæ, Pisæ, Auxi-
mum, & pleræque alię. De quibus Liuius lib. IX. *Sora ad Samnites defecerat, interfectis co-
lonis Romanis. Quò cum prior Romanus exercitus ad vlciscendam ciuium necem, recuperan-
damque coloniam magnis itineribus peruenisset.* & libro eodem. *Eoque in ira processit, vt Ro-
mæ, quum de colonis mittendis Luceriam consuleretur, senatus delendam vrbem censeret, præ-
ter odium quod exsecrabile in bis captos erat, longinquitas quoq; abhorrere à relegandis tam procul
à domo ciuibus inter tam infestas gentes cogebat. Vicit enim sententia vt mitterentur coloni, duo
millia & quingenti missi.* Tertium porrò harum coloniarum genus fuit, in quibus, quam-
quam veteres tantum cultores habitarent, legibus tamen Quiritium, coloniarumque Ro-
C manorum more viuebant. Non enim nouis Romanis incolis constitutæ erant, sed veteri-
bus incolis manentibus ius id datum est, quod cætere Romanæ colonię habebant. ex ijs
fuerunt colonicę omnes Transpadanę, quas, auctore Asconio in Pisonianam, fecit Cn.
Pompeius Strabo Magni Pompeii pater. In his fuere Verona, Lauspompeia, Alba pom-
peia, Ateste, Brixia, Comum, Patauium, Bergomum, Mediolanum, Vercellę, Nouaria,
Ticinum, Altinum, Opitergium, Bellunum, Vicentia, Mantua, & reliquę, si cis Padum
vrbes sunt. Postremò ex eiusmodi colonijs, in quasdam ciues Romani deducti sunt, vt
omnes, quę supra enumeraui; in quasdam vero milites veterani, quę militares appellatę
fuerunt; de quibus sic scribit Paterculus. *Eporedia deducta colonia est, Mario VI. & Flacco
Cos. Neque facilè memoriæ mandauerim, quæ, nisi militaris colonia, post hoc tempus deducta sit.*
D Fuerunt autem Arretium, Fesulę, Bouillę, Suessula Pompeij, à Dictatore Sulla deductę.
De quibus in Epitoma Liuius lib. LXXVII. *L. Sulla Cos. ciuitatis statum ordinauit, & exinde
colonias deduxit.* Et lib. XXCIX. *Sulla Nolam in Samnio recepit, XLVII. legiones in agros
captos deduxit, & eos iis diuisit.* Cęsar quoque, qui postea Dictator fuit, victo Pompeio,
Augustus, & Antonius, Bruto & Cassio cęsis; reliqui quoque Romani Imperatores, mul-
tas colonias militares deduxerunt, vt Capuam, Bouianum vetus, Veios, Aufidenam, Casi-
linum, Casatiam, Lanuuium, Forum Iuli, Hispellum, Polam, Teginum, Faliscam, Flo-
rentiam, Formias, Tuder, Telesiam, Venusium, Volaterras, Vlubiam, Rhegium Iulium,
Acerras, Alatium, Atellas, Augustas Taurinorum, & Salassorum copias, Cortonam,
Cumas, Fanum, Nuceriam, Ouentium, Bovianum Vndecumanorum, Priuernum, Ra-
E uennam, Tergeste, Theanum, Altinum, Anagniam, Calagniam, Abellam, Aesin, An-
conam, Apulesium, Asculum, Astam, Cędiciam, Cepin, Concordiam, Gobios, Histri-
num, Laurolauinium, Lucum Feronię, Lupiam, Neapolim. . . . . Pręneste, Regium
Lepidi, Rusellanum, Supinum, Salpin, Senam Etruscam, Senuilam, Tolentinum, Verulas,
& plerasque alias, veteranis in his conscriptis, vt apud Tacitum, & Appianum Alexandri-
num frequens mentio est; ille quidem de Agrippina, Capua, & Nuceria coloniis sub Nero-
ne ita scribit lib. XII. *Sed Agrippina quò vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidũ
Vbiorum, in quo genita erat, veteranos, coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex
vocabulo ipsius.* Et lib. I. *Cæterum coloniæ Capua atque Nuceria additis veteranis firmatæ sunt.*
Et Appianus lib. bellorum ciuilium. V. *Deinde laudatis exercitibus, atque ordinatis victoriæ*
præ-

præmijs Cæsar in Italiam, & militibus agros, domosque delegaret, profectus est. A

DE IVRE LATII. Cap. XIV.


OPVLVS Romanus sociis nominis Latini, quod à Tyberis ostio Circeios vsque primum, deinde coniuratione Fregellana Latio nouo addito, ad Lirim vsque amnem extensum fuit, antiquæ cognationis iure, multa tribuit priuilegia, quibus ius Latij continebatur, quorum antiquissimum fuit, vt eo iure, quod socij Latini à Populo Romano habuissent, coloniæ omnes potirentur; quæ idcirco Latinę dictæ sunt, quum colonias ciuium Romanorum deducere adhuc mos non esset; ad quarum postea discrimen, quæ deduci cœptę sunt, reliquę tam antiquę, quam recentiores colonię, quæ ciuium Romanorum non essent, idest ius suffragij non haberent, Latinæ dictæ sunt. Latij enim ius proximè ad ciuitatem Romanam accedebat, quod, vt dixi, multiplex fuit. Primò enim solis Latinis post ciues Romanos in comitijs ferendi suffragii, si ab vno magistratuum inuitati essent, nec ab alio prohibiti, potestas erat. Qui quum in nulla tribu essent, sortitione opus erat, vt appareret, in qua tribu suffragium ferrent. Hoc illis concessum fuisse in antiquo fœdere, quod cum his ictum esse, Cicero pro Balbo scribit, Sp. Cassio, & Postumo Cominio Cos. Anno vrbis CCLXI. liquet. De quo fœdere Dionysius libro IIX. ita loquentem Sp. Cassium introducit. *Latinos Romanorum consanguineos, vrbis tamen Romæ dominationem, & gloriam iniquo semper animo ferentes in amicitiam adduxi, concessa eis ciuitatis administrandæ parte, vt iam non aduersam sibi Romam vocant, sed patriam.* Et paulo post. *Sp. Cassius quamplurimos potuit Latinorum, & Hernicorum euocauit ad suffragium ferendum, qui frequentes conuenerunt, vt propemodum plena peregrinis esset ciuitas; quo à Virginio animaduerso, iussit per compita proclamari, vt omnes peregrini Roma exirent, dato ad id perexiguo tempore. Tum Cassius contra edicto iussit, eos omnes in vrbe manere, quibus concessa erat ciuitatis administrandæ pars, idest suffragij ferendi ius, donec lex perlata esset.* Ex quibus Dionysij verbis intelligi potest, fœdere concessam Latinis communem, & parem cum Romanis Reipublicæ gerendæ curam. Ex Dionysij porrò, & his Liuij libro. XXV. verbis. *Testulis datis Tribuni populum submouerunt, litellaque allata est, vt sortiretur, vbi Latini suffragium ferrent*: primum colligo Latinos cum Romanis ferendi suffragij potestatem habuisse. Neque enim sortiendum esset, vbi Latini suffragium ferrent: si omnino suffragio exclusi fuissent; deinde, id illis beneficio tantum, permissu & liberalitate eorum magistratuum, qui haberent comitia, licuisse. Quod ex C. Gracchi historia confirmatur, in qua legimus, socios Latinos vrbe exire iussos, ne tum Romę essent, quando legibus Gracchianis ferendis tribus in suffragium vocarentur. Quò pertinet illud Ciceronis pro Sextio. *Nihil acerbius socij Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perrarò accidit, ex vrbe exire à consulibus iuberi.* Neque enim edicto Consules tollere poterant, quod legibus contra cautum esset. Itaque si per leges Latini ius habuissent suffragij, nec Consules suis edictis illos suffragio priuare potuissent, nec Latinos legum præsidio munitos, suo iure cedere passus esset C. Gracchus, vt contra, quam legibus licitum esset, suffragio socii priuarentur, quos ipse euocasset. Si ergo id contra leges factum non est, à C. Fannio Consule, vt edicto iuberet Latinos vrbe exire, ne legibus Gracchi ferendis adessent, necessario efficitur, Latinos in comitiis non habuisse ius suffragii, qui tamen Romanorum magistratuum benignitate admitti solebant, id tribuentium societati antiquæ, & consanguinitati Latinorum, qui tum fortè Romæ essent, quum haberentur comitia. Eos autem omnibus Comitiorum generibus admitti solere, probabile videtur. Nam quum beneficii hoc esset, non iuris, quod Latini admitterentur ad suffragium, nulla videtur caussa, cur cæteris comitiis ea benignitas adstricta esset, præsertim quum Latinorum suffragium hoc modo in vnam quandam tribum forte contractum nullius propè momenti futurum esset, quum interim magno honori id ducerent, quod suffragium cum ciuibus dicerent.

Quam-

A Quamquam verò non censerentur Romę Latini, sed in suis ciuitatibus, vt his verbis docet.
lib. LXII. Liuius. *Eo anno lustrum conditum est; Censores erant Q. Fuluius Flaccus. L. Postumius
Albinus; Postumius condidit; censa sunt ciuium Rom. Capita* CCLXIXCIↃ. *&* XV. *minor ali-
quanto numerus, quia L. Postumius Cos. pro concione edixerat, qui sociùm Latini nominis ex edi-
cto C. Claudij Cos. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis ciui-
tatibus censerentur:* poterant tamen ad centurias se adiungere vnius cuiusdam tribus, cui sor-
te obtigisset, vt Latini in ea suffragium dicerent, vt cum primę classis centurijs hi suffragium
ferrent, qui erant primi census apud Latinos; cum centurijs secundę classis, qui erant apud
eos secundi census; & ita deinceps: aut verò in vnam centuriam sorte ductam omnes Latini
nulla habita ratione census conjici, quo modo in tributis comitijs in vnam tribum conjice-
B bantur. Sed quoniam hę probabiles potius coniecturę sunt, quàm necessarię rationes, de
his finem scribendi faciam. Antiquissimum igitur Latinorum ius erat, vt cum ciuibus Ro-
manis ad suffragium ferendum admitterentur, qui quum in nulla certa tribu erant, ante-
quam ad suffragium tribus vocarentur, sortitio fiebat, in qua tribu suffragium ferrent. Al-
terum porrò Latinorum, maximumque ius erat, quod ciues Romani etiam viritim fieri po-
terant; Ciuitas enim eo iure alijs populis non patebat. Eam autem multis rationibus conse-
qui poterant. Prima est, cuius meminit Appianus lib. II. bellorum ciuilium, vbi ait. La-
tinitatis ius hoc fuisse, vt ciues Romani fierent, qui in Latinis colonijs magistratum annuũ
gessissent. *Vrbem* (inquit) *Nouocomum Cæsar Latinam coloniam in Alpibus condidit, omnesq;
qui ei per annum præfuissent, ciuitatis iure donari voluit.* Id enim Latij ius erat. Hi autem ma-
C gistratus erant ędilitas, & quęstura, vt lib. V. his verbis tradit Strabo: *Aricomiscorum, aliàs
Arecomicorum vero Metropolis Nemausus est, aduentitia plebe, & mercatorum numero Nar-
bone longè inferior, cæterum regendæ ciuitatis forma superior; quatuor enim, & viginti eiusdẽ
gentis habet vicos subditos, virorum fortitudine excellentissimos, qui illi tributa pendunt, Latij
quoque ius habent. idest, vt, qui Ædilitatis, & quæsturæ dignitatem Nemausi consequuti fue-
rint, ciues Romani hi sint.* Subiicit eodem loco & aliud Latinarum coloniarum priuilegium.
Quamobrem (inquit) *huic ciuitati nullum cum venientibus ex vrbe in Gallias prætoribus nego-
cium est. Suis enim tantum magistratibus, & populo Romano Latinæ coloniæ parebant.* Porrò
autem ego quęsturę, & ędilitati, II. Viratus, vel IIII. Viratus supremum in colonia Latina
magistratum, quemadmodum Romę erat Consulatus, adderem. Hinc Pedianus in Piso-
D nianam, vbi de Placentia loquitur, ita scribit. *Neque illud dici potest, sic eam coloniam esse
deductam, quemadmodũ post plures ætates Cn. Pompeius Strabo pater Cn. Pompeij Magni trans-
padanas colonias deduxerat; Pompeius enim non nouis incolis eas constituit, sed veteribus incolis
manentibus ius dedit Latij, ut possent habere ius, quod cæteræ Latinæ coloniæ, idest, ut gerendi ma-
gistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Hoc est, vt quum magistratus (quos di-
xi) in sua colonia gessissent, ciues Romani pleno iure, & optimo, idest cum suffragio, & in
tribubus essent. Quamquã ergo Romani ciues amitterent ciuitatem, si in Latinam coloniam
nomina dedissent, vt his verbis docet Cicero pro Cornelio Balbo. *Duarum ciuitatum esse
ciuis noster iure ciuili non potest.* Et pro Cęcina. *Quum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo
esse possit, tum amittitur hæc ciuitas*; hoc tamen iure poterant in ciuitatem redire, si II. Vira-
E tus, vel IIII. Viratus, Ædilitatem, & quæsturam in ea colonia Latina gessissent, cuius colo-
ni erant. Huc allusit Cicero lib. V. epistolarum ad Atticum, quum ait: *Marcellus sedendi
comes, etsi ille magistratum non gesserit, erit tamen Transpadanus.* Quę verba deprauata ita
restitui. *Marcellus fœde in Comensi, etsi ille magistratum non gesserit, erat tamen transpada-
nus; ita mihi videtur, non minus stomachi nostro Cæsari fecisse, sed hoc ipse viderit.* Marcellus
enim Consul acerrimus Cęsaris hostis, vt Tranquillus in Cęsare, & Appianus auctores sunt,
Decurionem quendam Comensem Transpadanum (his autem Cęsar tum ciuitatem Roma-
nam lege Vatinia donauerat) qui Romam venerat, in Cęsaris contemptum pręter ciuium
Romanorum priuilegium publicè virgis cædi iusserat, cum hac exprobratione, vt meminis-
set, se ciuem Romanum non esse. Non enim ciuis Romani, sed ex Latina colonia Nouo-

co-

comensestum erant, neque ipse in ea magistratum gessisset, quo iure verè ciuis Romanus factus, virgis cædi non potuisset à Cos. Nam Cæsaris priuilegium, quibus Nouocomensibus ciuitatem dederat lege Vatinia; tollere conabatur, quod per ambitionem, & vltra præscriptum data esset. Dicit ergo Cicero. Quamquam Comensis ille magistratum non gessisset in sua colonia Latina Nouocomo, quo iure, quum ciuis Romanus factus fuisset, virgis cædi à magistratu Romano non poterat, fœdè tamen Marcellus egit, quum eum verberari iussit. Nam non minus Pompeium offendit, quam suum Cæsarem ob amicitiam, quam adhuc cum Cæsare conseruabat, cuius pater Strabo Transpadanis ius Latij dederat, propterea que illi in Pompei clientela erant. Adijcit Cicero pro Cæcina, quod qui ciues Romani in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant coloni Latini, qui eius deductionis auctores ante non fuissent, nominaque apud Triumuiros coloniæ deducendæ creatos dedissent. Alia ratio erat, cuius meminit Liuius lib. XLI. Lex socijs nominis Latini, qui stirpem ex se domi reliquissent, ac Romam ad habitandum venissent, dabat, vt ciues Romani fierent. Verba Liuij sunt hęc. *Mouerunt senatum, & legationes sociûm nominis Latini, quæ & censores, & priores consules fatigauerant, tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat, ciues suos Romæ censos plerosque Romam commigraße. quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, vt deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim ciuitatis inducta erant; Lex socijs nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, vt ciues Romani fierent. Ea lege malè utendo alij socijs, alij populo Romano iniuriam faciebant. Nam & ne stirpem domi relinquerent, liberos suos, quibus Romanis, in eam conditionem ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique ciues essent, & quibus stirpes deesset, quam relinquerent, ut ciues Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus iuris spretis, promiscuè sine lege, sine stirpe in ciuitatem Romanam per migrationem, & censum transibant. Hæc ne postea fierent, petebant legati, & ut redire in ciuitates iuberent socios. Deinde vt lege cauerent, ne quis, quem ciuitatis mutandæ caussa seruum faceret, neve alienaret, & si quis ita ciuis Romanus factus eßet, ciuis non esset. Hæc impetrata à Senatu.* Hoc alias etiam factum fuisse refert idem Liuius lib. XXXIX. *Legatis deinde sociorum Latini nominis, qui toto vndique ex Latio frequentes conuenerant, Senatus datus est. His querentibus magnam multitudinem ciuium suorum Romam commigrasse, et ibi censos esse, Q. Terentio Culleoni Pr. negocium datum est, vt eos conquireret, & quem C. Claudio M. Liuio censoribus, postue eos censores, ipsum parentemue eius apud se censum esse probaßent socij, vt redire eò cogeret ubi censi eßent. Hac conquisitione* XII. *millia Latinorum domos redierunt, iam tum multitudine alienigenarum vrbem onerante.* Hinc videri potest veteres socios Latinos ciuitatis obtinendæ desiderio semper flagrasse; Italicos verò Latij ius eadem ratione appetijsse; quo obtento, Latioque longe, latèque propagato, quum & ciuitatem Romanam vellent, nec impetrarent, bellum Italicum excitarunt, de quo alibi disputabo. Tertia item ratio fuit per legem Seruiliam, quà Latinis ius erat, ciuitatem assequi in locum eius, quem accusando damnassent repetundarum. Hanc legem tulerat C. Seruilius Glaucia Tribunus Plebis, vt docet pro Scauro Pedianus. Hac lege duo Latini Tiburtes apud Ciceronem pro Balbo ciuitatem adepti sunt, quum duos Senatores Cœlium, & Masonem accusassent, & damnassent repetundarum. Quod verò ea lege Latini assequerentur ciuitatem, his verbis eo loco ostendit Cicero: *An accusatori maiores nostri maiora præmia, quam bellatori esse voluerunt? Quod si acerbißima lege Seruilia principes viri, ac grauißimi, & sapientißimi ciues, hanc Latinis idest fœderatis viam ad ciuitatem populi iussu patere paßi sunt.* Alias verò etiam leges fuisse, quibus Latinis præmij loco ciuitas proposita esset, paulo post idem Cicero indicat ijs verbis: *Num fundos igitur factos populos arbitramur, aut Seruilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium ciuitatis.* Refertur à Liuio insignis quædam prærogatiua Latinis populis concessa, lib. XXIII. *Tum Sp. Caruilius, quum longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam ciuium, ex quibus in patres legerentur, conquestus eßet, explendi Senatus caussa, & iungendi arctius Latini nominis, pro magna re, se suadere dixit, vt ex singulis populis Latinorum binis Senatoribus, si patres*

Ro-

A *Romani censuissent, ciuitas daretur, atque in demortuorum locum in senatum legerentur*. Ita vt non solum iis ciuitas, sed etiam senatus ipse principio patuerit. Latini preterea, tributis, vectigalibusque, & aliis indictionum generibus non grauabantur, sed tantum singulæ coloniæ, vel Latii populi militum stipendiatorum, pecuniæque ex singularum formula dabant ad belli usum, quantum esset populo Romano opus. Cæterum reliquis exactionibus, & vectigalibus immunes erant. Plinii aliquot loca de iure Latii nunc exponere, antequam ad capitis finem veniam, oportunum est. Frequens mentio est apud Plinium, & præsertim lib. III. vbi de Hispania loquitur, iuris Latij veteris, vel Latio antiquitus donati, vel Latinorum veterum, vt his verbis cap. I. *In Bætica oppida numero C L X X V. In iis coloniæ VIII. municipia VIII. Latio antiquitus donata X X I X.* & cap. II. *In Tarraconensi* (inquit) *C C X C I I I.*
B *oppida sunt. In his coloniæ X I I. oppida ciuium Romanorum. X I I I. Latinorum veterũ X V I I I.* & lib. IV. cap. XXI. *Lusitaniæ tota populorum X L V, in quibus coloniæ sunt V. municipium ciuium Romanorum unum Latij antiqui III.* Rursus lib. III. c. III. *Latinorum veterum Cascantenses Ergauicenses &c.* Et paulo post. *Ex colonia Salariense oppidani Latij veteris Castulonenses, qui Cæsari venales appellantur.* & post. *Uniuersæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus iactatus procellis Reipublicæ Latii jus tribuit.* His locis, cur verbum, Antiqui, vel Veteris Plinius addat, cognitu dignum est. Illud igitur animaduersione dignum post legem Iuliam, quã bello Marsico toti Italiæ, nedum sociis nominis Latini ciuitas data est, cœperunt proximæ Italiæ prouinciæ Imperio populi Romani subditę, aliquod & ipse jus expetere. Quare eo tempore Transpadanis jus Latij, rursum processu temporis, quũ Transpadani in ciuitatem suscepti essent, ab Imperatoribus Romanis externarum prouinciarum ciuitatibus jus Latii primũ
C deinde etiam ciuium Romanorum communicari cœptum est, donec vniuersus orbis Romanus Latinum jus primum, quasi ad digniora gradum, mox ciuitatem consequutus sit. Plinii ergo tempore, multa, & varii generis, & iuris erant per varias extra Italiam prouincias oppida, & prę sertim in Hispania, vt ex ipso liquet; in qua, cum ei non vniuersę adhuc jus Latii, nec ciuitatis, quod postea obtinuit, concessum esset, varij generis & conditionis erant ciuitates. Aliæ enim iuridici conuentus erant; aliæ coloniæ Romanæ, aliæ Municipia ciuium Romanorum; aliæ Latinæ. Sed cur Latio verbum vetus addit, nonne satis erat dixisse, jus Latij. Id ergo fecisse opinor, ut demonstraret, id jus Latij esse, non quo Latini
D populi eo tempore utebantur, qui iam ciues Romani facti erant, sed quod ante legem Iuliam, & bellum Marsicum obtinuissent, antequam ciuitate Romana donarentur. Id erat, quod ego supra exposui. Idem Plinius lib. III. cap. V. *Latium* (inquit) *antiquum à Tiberi Circeios seruatum est, millia passuum L. longitudine. Tam tenues primordio imperij fuere radices. Colonis sæpe mutatis tenuere alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Arunci, Rutuli. Et ultra Circeios Volsci, Osci, Ausones, unde nomen modo Latij processit ad Lirim amnem.* Et paulo post. *Vltra fuit oppidum Pyræ, colonia Minturnæ, Liri amne diuisa, Glanico appellato, Sinuessa extremum in adiecto Latio.* Et Strabo lib. v. *Quum autem antea à Tiberi Circeios vsque tantum maritima regio, & paululum in mediterraneum extensa Latium diceretur, nunc vsque ad vrbem Sinuessam Latium extensum est. Fluuius autem Sturas propè Circeios in mare defluens*
E *diuidit Latium vetus à nouo.* Quum igitur socii nominis Latini, iusque Latij habentes antiquitus non fuissent, nisi hi populi, qui inter Tiberim, & Circeios sunt: postea eodem Latinorum iure, & priuilegijs cæteris populis, qui inter Circeios, & Sinuessam erant communicatis, Latium nouum regio ipsa, gentes vero Latini omnes vocatæ sunt. Hoc autem quo tempore, aut quanam ratione factum fuerit, mirum in omnibus annalibus silentium est. Hoc ego quum diu multumque considerassem, in hanc tandem sententiam deueni, vt jus Latij nouis his populis à Senatu P. Q. R. eo tempore concessum fuerit, quo Fregellæ, quum ob id nõ impetratum aduersus Romanos coniurassent, à L. Opimio Pr. dirutæ sunt. M. Plautio. M. Fuluio Cos. Coniurandi verò caussam attulit M. Fuluius Cos. qui Italicos populos primus in spem Romanę ciuitatis, auctore Appiano, erexit. Siquidem in Milonianam scribit Pedianus. *L. Opimius in pretura Fregellas cepit; quo pacto uisus est, cæteros quoque Latini nominis so-*

I cios

cios malè animatos represisse. Plutarchus C. Gracchum suspectum fuisse tradit. *Quasi socios sollicitasset, et coniurationis Fregellanæ socius fuisset*. In libro de viris illustribus scriptum est. *Eum Asculanæ, & Fregellanæ defectionis inuidiam sustinuisse*. In epitoma autem LX. ita est. *L. Opimius Pr. Fregellas excidit*. Et apud Valerium de iure triumphandi. *L. Opimius Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem à Senatu non impetrauit, non inuidia patrum conscriptorum, sed summa diligentia obseruandi iuris, quo cautum erat, vt pro aucto Imperio, non recuperatis, quæ populi Romani fuissent, triumphus decerneretur. Pullus autem Numitor videtur Opimio Fregellas prodidisse*. Etenim inquit Cicero lib. v. de finibus. *Quis pullum Numitorem Fregellanum proditorem, quamquam Reipublica nostræ profuit, non odit?* Hac coniuratione porrò, & Fregellarum excidio Latinos socios commotos, nouo Latij iure addito quieuisse, testimonio est, quod Fregellæ oppidum penè extremum in adiecto Latio fuerunt. Ius igitur Latii hanc ob caussam nouis Latinis primo communicatum, postea, vt ait Strabo lib. v. Campanis, Samnitibus, Pelignis, & aliis Apennini incolis concessum est. Quo non contenti, quum etiam ciuitate donari magna ope contendissent, eaque iis à Senatu negata esset, bellum sociale Italicum excitarunt. Quod, ut sedarent Romani, quum Italia omnis vel rebellasset, vel ad rebellionem spectaret, lege ab altero consule L. Cæsare lata, quæ Iulia vocata est, vniuersæ quidem vsque ad Padum Italiæ ciuitas Romana, Transpadanis vero usque ad alpes, quo in officio manerent, ius Latij concessum est, ut alibi explicaui. Quod processu temporis ob eam, quam attuli rationem, ius Latij veteris dici cœptum est. Atque hæc sunt, quæ de iure Latij, populis, & coloniis Latinis, quæ eodem iure vtebātur, apud veteres auctores inueni, quę omnia in Italia ante bellum sociale intelligi debent.

DE PRÆFECTURIS. Cap. XV.



RAT & aliud Italicorum genus, qui in Italiæ præfecturis manebant, deteriori, quam municipia, & coloniæ iure utentium, quorum discrimen à reliquis intelligetur, si quid essent præfecturæ explicauero. Erant igitur præfecturæ Italiæ oppida, in quibus qui habitabant, nec suis legibus, vt municipes viuebant, nec vllos de suo corpore magistratus creare poterant, vt coloni, sed à magistratibus ex vrbe missis regebantur, iis legibus, quas Romanus magistratus dixisset, qui quoniā pręfectus vocabatur, idcirco pręfecturæ dicebantur. Huius generis erat Capua post bellum Punicum secundum, ante coloniam eò à C. Cæsare deductam, vt constat ex II. oratione in Rullum, & Liuio lib. XXVI. vbi ita de Capua scribit. *De vrbe, agroque reliqua consultatio fuit, quibusdam delendam censentibus vrbem præualidā, propinquam, inimicam. Cæterum præsens utilitas vicit; nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, vrbs seruata est, vt esset aliqua aratorum sedes. Vrbi frequentandæ multitudo incolarum, libertinorumq;, & institorum, opificumq; retenta. Ager omnis, & tecta publica populi Romani facta. Cæterum habitari tamen, tanquam urbem, Capuam, frequentariq; placuit, nullum corpus ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Sine consilio publico, sine Imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore. Præfectum ad iura reddenda Romā quotannis missuros*. Quibus igitur Italię oppidis huius generis præfecti, Roma missi ius reddebant, præfecturæ dicebantur. De pręfecturis scribit Festus Pompeius. *Præfecturæ hæ appellantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Resp., neq; enim magistratus suos habebant. In quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent. Quarum genera fuere duo, alterum in quas solebant ire præfecti decem, populi suffragio creati, et erant hæc oppida, Capua, Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, Acerræ, Suessula, Atila, Calana. Alterum in quas prætor vrbanus quotannis in eas præfectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiæ, Ceræ, Venafrum, Allifæ, Priuernum, Anagnię, Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, Arpinum, & alia complura*. Pręfecturę igitur deteriore, quàm colonię conditione erant. Ex pręfecturis porrò quędam erant, quę ius ciuitatis & suffragii ferendi haberent, quędam non, quemadmodū de municipiis, & coloniis dixi

A dixi. Harũ congregatio, ut ex Cicerone in oratione pro P. Sextio obseruaui, conuentus dicebatur, quemadmodũ enim in municipiis S.P.Q. in coloniis verò II Viri, & decuriones erant, sic in præfecturis Præfectus erat, & conuentus fiebat. Hinc Cicero pro Sextio, vt dixi; *Qua de caussa et tũ conuentus ille Capuæ, qui propter salutẽ ipsius urbis Consulatu conseruatã meo me vnum patronũ adoptauit.* Porrò autẽ Præfecturas ferè omnes aut ex coloniis, & municipiis Pręfecturę factæ sunt, aut ex prefecturis in colonias, & municipia redactæ. Ex his Capua præfectura fuit à bello Punico secundo ad consulatũ C. Cæsaris primũ, à quo colonia deducta est, vt ex eadem oratione pro P. Sextio liquet, Cumæ, Acerræ, Suessula, Atella, Formiæ, Priuernum, & Anagnia, tum municipia, tum coloniæ. Fundi uero, Ceræ, & Arpinum: municipia tantum aliquando fuere; Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, & Saturnia co-
B loniæ, Calatia verò, Venafrum, Allifæ, Frusino, Reate, & Nursia præfecturę, dum libertas P. R. viguit, fuerunt. Nam quum post legem Iuliam ęquatis omnium suffragiis ciuitas Italię omni data fuisset, municipiorum, coloniarum, & pręfecturarum iura oblitterata sunt, nominaque confundi cœpta, vt & colonia pro municipio, & municipium pro colonia, & pręfectura aliquando accepta sint. Cicero enim Placentiam in L. Pisonem, Soram, & Cassinum pro Plancio, Calenum in Rullum, Suessam in Epist. ad Atticum, Cossam in Verrem municipia vocat, quas colonias deductas fuisse ostendi. Ad hęc pręfecturę ipsę & municipia, itemque veteres colonię, deductis veteranis, colonię ferè omnes militares denuo à Sulla primum, deinde Cęsare, III. Viris, Augusto, & reliquis Romanis Imperatoribus factę sunt, præter eas præfecturas, quas ex Festo digessi. Coræ præfecturæ Strabo libr.
C v. Claudiæ Plinius lib. III. cap. v. Atinatis pro Plancio Cicero: Reatinæ idem de natura Deorum mentionem faciunt. Cęterum hęc omnia, quę hactenus scripsi, non nisi de Italię vrbibus ante legem Iuliam dicta sunt.

DE RELIQVIS ITALIÆ OPPIDIS, FVNDIS POPVLIS, ET jure Italico. Cap. XVI.

D QVAE autem in Italia neque municipia, neque coloniæ, neque præfecturæ erant, has fœderatas ciuitates, & oppida vocari à Cicerone, Plinio, & reliquis veteribus scriptoribus obseruaui. Vt Tibur, & Præneste in Latio, Neapolis in Campania, & pleræque aliæ, quæ suis legibus, & magistratibus sine Romana ciuitate, vel iure Latij viuebant, vario iure, & fœdere, aut æquo, aut æquissimo, populo Romano in amicitiam coniunctæ. De his Cicero pro Archia; *Data est* (inquit) *ciuitas Silani lege, et Carbonis, si qui fœderatis ciuitatibus adscripti fuißent, si enim quum lex ferebatur, in Italia domicilium habuißent, & si sexaginta dies apud prætorem essent profeßi.* Hæ liberę à soluendis pecuniis, & vectigalibus, immunesque à militia erant, Ius italicum habentes. Ius autem Italicum, cuius apud Plinium, & iurisconsultos frequens mentio est, id erat, quod Italia omnis in vniuersum habebat, eique commune erat. Id fuit, vt suis legibus, & magistratibus viuerent, nullique neque Proconsuli, neque Proprætori parerent, sed tantum populo Romano. Nullum enim intra Italiam
E Proconsulem, vel Proprętorem cum Imperio fieri solitum, satis manifestum est, postquam Italia omnis in potestatem populi Romani venit. Nam magistratus hi in externas prouincias mittebantur, Italiæque finitimas, vt in Siciliam, Sardiniam, & Corsicam prætores; in Galliam Cisalpinam, antequam Italiæ adiungeretur, Proconsules. Nam omnem inter Alpes, & Padum regionem, quæ ab antiqua Italia fluminibus Arno, & Rubicone diuidebatur, ne qui Proconsul cum Imperio, & exercitu intra Alpes esset, veteri Italiæ III. Viri adiunxerunt, eamque ad Varum vsque, & Formionem, vel Arsiam protulerunt. Ius ergo Italicum fuit, magistratibus ab vrbe missis non parere. Hoc multis ciuitatibus, & vrbibus Asiæ, Africæ, & Hispaniæ concessum fuisse à sequentibus Imperatoribus, ex Plinio, & aliis scriptoribus, paulo post ostendam, quum Plinij quædam loca explicauero. De his ciuita-

tibus fœderatis intelligit Liuius lib. XXVI. *Iam inde à maioribus traditum morem colendi socios, ex quibus alios in ciuitatem, atque æquum secum ius accepissent, alios in ea fortuna haberent, vt socii, quam ciues esse mallent.* Italia igitur omnis in horum ciuium, & oppidorum genera, ante legem Iuliam, & bellum Marsicum diuisa fuit. nullum enim præterea supererat ciuiũ, vel oppidorum genus, præter ea, quæ ego exposui. Quorum quædam etiam fundi populi dicebantur. Quod quidem nomen discriminis non erat, quemadmodum liberorum, & stipendiariorum, vel coloniarum, & municipiorum. Sed hi fundi populi dicebantur; auctore Cicerone, qui quotiescumque Romę lex aliqua fieret, quę de iure publico non esset, sed de rebus priuatis, vt de testamentis, vel de mancipijs, eam suscepissent tanquam propriam, tuncque eius legis fundus Populus dicebatur, perinde ac si diceretur; Is populus eam legem, tanquam propriam suscepit; hoc idem de Municipiis dicit Gellius. Adiicit Cicero pro Balbo, quod qui fundi Populi facti non essent, ciuitatem non haberent; qua in re magna contentio Heracliensium, & Metapontinorum fuit. Hęc igitur omnia, quę de Italię municipiis, coloniis, pręfecturis, & oppidis, liberis, immunibus, fœderatis, itemque varii generis, & iuris ciuibus Romanis dixi, tantum ante bellum sociale locum habent, quo, quum lege Iulia Italię vniuersæ ciuitas data fuisset, omnes pari iure in ciuitatem accepti sunt. Hoc autem ex eo liquet, quod omnes in comitiis centuriatis ius tempore Ciceronis haberẽt. Quod ipse ostendit in oratione post reditum ad Quirites, vbi de Comitiis centuriatis, quibus ab exsilio reuocatus est, loquens, ita scribit. *Nullus in eorum reditu motus municipiorum, & coloniarum factus; at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta reuocauit.* Et pro Sextio. *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas, nullum collegium, aut concilium, aut aliquod omnino commune consilium, quod tunc non honorificentissime de mea salute decreuisset.* Quod idem ex multis alijs eius locis pro Muræna, pro Sulla, & pro Plancio intelligi potest. Nam quod Tranquillus in Cęsare scribit. Ipsum quęstura finita colonias Latinas de ciuitate petenda agitantes adiisse, de Transpadanis intelligi debet, quibus bello Marsico, quum Italiæ omni vsque ad Rubiconem & Arnum, item (vt ex epistola prima Ciceronis ad Atticum intelligitur) Galliæ cispadanæ ciuitas lege Iulia data esset, à Pompeio Strabone, vt in officio continerentur, jus Latij datum fuerat, vt tradit in Pisonianam Pedianus. Quibus postea Cęsar Dictator factus, additis Insubribus, Liguribus, Venetis, & Carnis, idest vniuersę Galliæ Transpadanæ ciuitatem Romanam dedit. Quum verò à III Viris Italia ad Varum, & Formionem Fluuios Liguriæ, & Istrię per radices alpium promota fuisset, iis omnibus ius ciuitatis etiam datum est. Quamquam porrò municipia, colonię, pręfecturę, & oppida Italię, omnes æquo iure ciuitatem adeptę essent, sępeque deinde omnia hęc vocabula, vt dixi, confundantur, quum quę fuerant colonię, & pręfecturę, à Cicerone pręsertim, municipia appellentur, multę tamen ex iis retinuere in vetustatis memoriam antiqua nomina, & veterem rationem non mutarunt. Multa etiam municipia in ius coloniæ versa sunt, quum præsertim ciuitas Romana, suffragiique Latio, quod erat supremum ciuis Romani priuilegium, cum reliquis omnibus ciuilibus prerogatiuis, omnibus ęquo iure concessa fuissent, quà etiam ratione multę, immo ferè omnes colonię, municipia passim appellantur.

UNIVERSÆ ITALIÆ DIVISIO. Cap. XVII.



NIVERSAE Italiæ antiquo iure exposito, res ipsa postulare videtur, vt quum varie Italię termini statuti fuerint, eos omnes exponam; atque in quot Diœceses ab Augusto primum, deinde ab Hadriano diuisa fuerit, aperiam; ita enim, quæ dixi accuratius intelligi poterunt. Antiquus Italiæ post Romanum Imperium conditũ à mari infero Tyrrheno terminus Macra Fluuius fuit, qui Ligures ab Etruscis diuidebat, mox Arnus factus est, quum ex S.C. Gallia Prouincia C. Cæsari decreta est. Legimus enim Lucam prouinciæ eius extremam,

mari

A mari supero ciuitatem fuisse. III Viri Reip. constituendæ Lepidus, Antonius, & Octauius,
vt Dio tradit, ne Proconsul vllus cum exercitu intra alpes esset, Galliam omnem Cisalpi-
nam Italiæ adiunxerunt, eiusque terminum mari Thyrrheno ad Varum amnem perdu-
xerunt; Tusciam omnem, Liguresque Cisalpinos includentes. Varus autem Liguriam,
Italiamque adiectam à Gallia diuidit Narbonensi. Auctores sunt Plinius, Strabo, Pto-
lomæus. A mari verò supero Hadriatico vetustissimus post Romanum Imperium ortum
terminus Italiæ fuit Aesis, vt lib. v. refert Strabo, qui Picenum, & Italiam veterem à Senò-
nibus Gallis separabat. Senonibus verò à Romanis funditus deletis, terminus alius factus
est Fluuius Rubico, vt idem Strabo auctor est. Et Plinius lib. III. cap. XV. *Fluuius hinc Rubi-
co quondam finis Italiæ.* Et Tranquillus in Cæsare, Terminos Imperij Cæsaris, Galliæque
B Cisalpinæ Rubiconem fuisse refert. A III Viris verò terminus Italiæ mari supero prolatus
est, factusque amnis Istriæ Formio, qui Istros ab Iapydibus dirimebat. Vnde Plinius libr.
III. cap. XIX. *Vltra Aquileiam* VI. CIↃ. *passuum Formio, amnis antiquus, auctæ Italiæ termi-
nus, nunc vero Istriæ.* Italia igitur à III Viris vsque ad alpium radices prolata. Porrò autem
Cæsar Augustus rerum potitus, & pace vbique parta, quum Romani Imperii nouam formã
constitueret, Italiamque in XI. regiones, vt lib. III. tradit Plinius, distribueret, Italiæ ab hac
parte & ipse terminum produxit; Istriamque inclusit, & terminum, qui Italiam à Liburnis
diuideret, statuit flumen Arsiam extremum Istrię, Polamque coloniam à se deductam. Vn-
de Plinius lib. III. cap. XIX. *Mox oppidum Nesactium, & nunc finis Italiæ fluuius Arsia.*
Veterem igitur Italiam, vt Strabo lib. v. refert, *Antiqui dixere, quæ ab Siculo freto vsque in si-
C num Tarentinum à supero, & Pesidoniatem, amnemque Laum ab infero mari extendebatur,
Oenotria ante appellata; postea vsque ad alpium radices processit, habuitque confinia, ab ora Ligu-
stica, & Varo flumine, maris Tyrrheni, vsque Polam Istriæ. Opinari enim licet priscos Italos fe-
licitate florentes in communionem deuocasse finitimos vsque ad Tuscos, & Vmbros, atque hunc in
modum auctis viribus in Romanorum Imperium peruenisse. Tandem verò ex quo Romani in im-
perij societatem, & ciuitatem Italos vocauere, decretum est, & Gallis cisalpinis, ac Venetis idem
honoris impertiri, vniuersosque Italos, Romanos vocare, permultasque colonias partim superiori-
bus annis, partim posterioribus emisere omnium præstantissimas.* ita Strabo. Hęc sexcentorum
annorum interuallo Romanum iugum suscepit. Atque ita Italia duobus, mari Tyrrheno,
& Hadriatico, alpibusque cincta est. Hanc porrò omnem Italiam Augustus Cęsar in XI. sic
D distribuit diœceses, quas regiones vocauit. Quarum prima Latium vetus à Tiberi ad Cir-
ceios; inde Latium nouum coniuratione Fregellana factum ad amnem Lirim; inde Cam-
paniam vsque ad flumen Sarnum continebat. In Latio vetere fuere Siculi, Aborigenes, Pe-
lasgi, Arcades, Aurunci, Rutuli, Troiani, qui omnes Latini dicti sunt. A Sabinis Aniene
terminabatur. Aequos, Hernicos, Volscorum partem, & Latium nouum finitimas regio-
nes habebat. Latium nouum Volsci, Osci, Ausonesque tenuere. Campaniam vero Osci,
Gręci, Vmbri, Tusci, & Campani. Circumdatur omnis regio Tiberi, Mari, Picentinis,
Samnitibus, Sabinisque, & aliquot quartę regionis populis.

II. Regio à Sarno ad Silarum mari Tyrrheno; Hadriatico vero à Casuenate ad Tifernũ
amnem continebat inferum versus mare, Picentinos, Mediterraneos Hirpinos; ad mare su-
E perum Messappiam, Peucetiam, Calabriam, Sallentinos, Iapygiam, Pediculos, & Apu-
liam Dauniam.

III. Regio ab Silaro Tusci maris ad Casuentum Hadriatici flumina, vrbemque Metapõ-
tum extensa, comprehendebat Lucanos, Laudem flumen, Bruttiosque vsque Rhegium,
loca à Pelasgis, Oenotriis, Italis, Morgetibus, & Siculis ante culta; Item frontem Italię Lo-
cros; hinc magnam Gręciam mari supero, vsque Metapontum, & Casuentum.

IV. Regio à Tiferno amne ad Aternum continebat maritimos Frentanos, & Pelignos Sa-
gro amne diuisos; mediterraneos verò Marrucinos, Marsos, Albenses, Æquicolas, Vesti-
nos, Samnites, Sabinosque; terminabat verò cum prima regione.

V. Regio continebat ab Aterno, vt Plinius, vel Lastro, vt Strabo fluminibus ad Aesim

Pi-

Picenum, alias Picentes, Prętutianos, Palmenses; terminabat cum Vmbris, & Sabinis, VI. & IIII. regionibus. A

VI. Regio ab Aesi ad Crustumium maris superi flumina, comprehendebat, Vmbriam ad Vitem flumen, & Senones ad Aesim maritimos; hinc Vmbros, vel Vilumbros mediterraneos; adiacebat IV. Sabinorum, & VII. Tuscorum regionibus.

VII. Regio inter mare Tyrrhenum, & Apenninum, Macram, & Tiberim continebat Etruriam.

IIX. Regio inter Crustumium, & Padum, mare Hadriaticum, & Apennini iuga, Trebiamque flumen, qui eam à Liguribus diuidit, comprehendebat Boios, & Gęssatas, idest Galliam Cispadanam,

IX. Regio à Varo ad Macram, hinc à mare ad alpes, Padumque & Trebiam continebat varii generis Ligures, vt Apuanos, Ingaunos, Intimelios, & alios id genus. B

X. Regio inter Alpes, Padum, Ollium, & Arsiam flumina, continebat, Cenomanos, Athesim flumen, Venetos, amnem Tillauentum, Carnos, Iapydes, Istrosque.

XI. Regio inter Alpes, & Duriam, Padum, & Ollium flumina, comprehendebat Galliam transpadanam; in ea Insubres, Abduaci, Orobij, Sallossi, & sub alpibus Rhætorum pars erant. Hæc porrò Italiæ diuisio fuit ab Augusto Cæsare facta.

De Italiæ diuisione facta ab Imp. Hadriano.

Imp. Cæsar Hadrianus Augustus, primus post Augustum, nouam Reipublicę formam, faciemque dedit, atque inter reliqua, nouam totius orbis Romani, atque Italiæ in primis diuisionem fecit, quam ex Sex. potissimum Rufo, & libro, cui Imperij notitia nomen est, exceptam huic operi adiunxi. C

Prouinciæ, vel Diœceses in Italia, & tribus eius Insulis, ab Hadriano Augusto factæ.

I	Venetia, & Istria	Hæ octo Diœceses Rectores habebant, qui Consulares vocabantur.
II	Æmilia	
III	Liguria	
IV	Flaminia, & Picenum	
V	Tuscia, & Vmbria	
VI	Picenum Suburbicarium	
VII	Campania	
IIX	Sicilia Insula	
IX	Apulia, & Calabria	Hæ duæ Rectores habebant, Correctores vocatos
X	Samnium, & Brutij	
XI	Alpes Cottiæ	Hæ septem Prouinciæ Rectores habebant, qui Præsides dicebantur
XII	Rhætia prima	
XIII	Rhętia secunda	
XIV	Samnium	
XV	Valeria	
XVI	Insula Sardinia	
XVII	Insula Corsica	

D

E

DE

A DE IVRE QVIRITIVM. Cap. XIIX.



MNIA igitur, quæ de vniuersæ Italiæ iure ante scripsi, vt etiam sæpe dixi, ante bellum sociale, vel dum Resp. fuit, intelligenda sunt. Nam libertate à Cæsare Dictatore oppressa, Imperiique singularis dominatione ab Augusto stabilita, noua Reip. forma, à veterique illa diuersa ratio instituta est. De qua sæpe, quum aliis in locis loquutus sum, tum in his libris, quos Commentariorum Reip. Romanæ scripsi. Nunc quod ad rem facit, de qua tractare proposui, veterum Romanorum iura persequar, quæ tam Romæ, & in Italia, quam in externis prouinciis sub Augustorum Imperio habuere. Quorum omnium summum, co-
B gnituque difficillimum est Ius Quiritium, quod diuersum à iure ciuitatis Romanæ esse, ex Plinii Iunioris Epistolis intelligitur, neque quid fuerit, satis adhuc intellectum est. Ius Quiritium idem ferè, quod ius ciuium Romanorum esse existimarem, ab Augusto potissimum excogitatum, quando is multa præterea noua inuenerit, quo antiquos ciues Romanos, & nobiles, à nouis ciuibus libertinis, & peregrinis discerneret, qui ciuitate donati, ius quidem Romanæ ciuitatis habebant, sed non ius Quiritium, quod erat paulo excellentius, puta tanto tributo non grauari, eadem priuilegia habere, quæ vetustissimi ciuis vrbem incolentes haberent, eo iure solum honores, magistratus, iusque Senatorum posse haberi. Nam post legem Iuliam, quà Italiæ omni ciuitas data est, & omnibus æquata suffragia, vt ciues Romani noui, & inferioris gradus à vetustissimis priuilegiis, & dignitate discerneren-
C tur, his vocibus: Iure Quiritium, & Ciuitate Romana ab aliquo Romano Imperatore eos seiunctos esse aliquando credidi, iusque Quiritium dignius esse ciuitate Romana existimaui. Huic rei alludere videntur verba Taciti lib. XI. *A. Vitellio, L. Vipsanio Cos. quum de supplendo Senatu agitaretur, primoresque Galliæ, quæ comata appellatur, fœdera, & ciuitatem Romanam pridem assequuti, ius adipiscendorum in vrbe honorum expeterent, multus ea super re, variusque rumor.* Et paulo post. *Orationem principis sequuto patrum consulto primi Edui Senatorum ius in vrbe adepti sunt, datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Rom. vsurpant.* Antiquitus enim, quum quis ciuitate donaretur, ei etiam honorum capessendorum ius procul dubio concedebatur, quum ciuis Romanus cum suffragio fa-
D ctus, perfecto, & optimo iure ciuis esset. Nunc verò, quum viderem quosdam ciues Romanos iam factos, honoribus tamen per veteris ciuitatis iuris priuilegia arceri, suspicatus sum ius adipiscendorum in vrbe honorum id esse, quod ius Quiritium diceretur. Nam ciuem Romanum facere, eumque ad honores vrbanos non admittere, nouum fuit, & ab Imp. Augusto forte inuentum, vt nouis ciuibus, & peregrinis nobilissimi, & indigenæ dignitate aliqua eminerent. Verum quum accuratius Plinii verba considerassem, mihi innuisse visus est, hanc non esse inter ius Quiritium, & ciuitatem Romanam differentiam; quamquam illud pro certo constat, post Cæsaris dictatoris tempora, inter ciuitatem Romanam, & ius adipiscendorum in vrbe honorum discrimen factum fuisse, quod antea non erat. Quæ porrò inter ius Quiritium, & ciuitatem Romanam differentia fuerit, (quę certe si ulla fuit, eam paruam admodum fuisse certum est) aliquot auctorum locis, & pręsertim Plinianis
E ante citatis, post ostendam. Plinius lib. XXIX. cap. I. ita scribit: *Cassius Hemina ex antiquis auctor est, primum è medicis venisse Romam ex Peloponnesso Archagathum Lysaniæ filium, L. Æmilio, M. Liuio Cos. Anno vbis* DXXXV. *eiq;* IVS QVIRITIVM *datum, & Tabernam in compito Acilio ob id publicè emptam.* Idem libro. V. cap. V. *Garamantes à Cornelio Balbo superati, & triumphati: uni omnium externo curru, & Quiritium iure donato, quippe Gadibus nato ciuitas Rom. cum Balbo maiore patruo data est.* Et Tranquillus in Claudio cap. XIX. *Constituit* (inquit) *pro conditione cuiusuis ciuis vacationem legis Papiæ Poppeæ, Latinis ius Quiritiū.* Ex his locis ius Quiritium omnino idem esse videtur cum ciuitatis iure. Verum ex Plinii aliquot epistolis paulò diuersum esse videtur. Sic enim ad Traianum scribit epistola VI. *Proximo anno Domine, grauissima valetudine vsque ad periculum vitæ vexatus Iatralipten assumpsi,*

cuius

cuius sollicitudini, & studio, tuæ tantum indulgentiæ beneficio, referre gratiam parem possum. Quare rogo des ei ciuitatem Romanam; est enim peregrinæ conditionis, manumissus à peregrina. Vocatur ipse Harpocras, patronam habuit Thermuthin Theonis, quæ iampridem defuncta est. Item rogo des ius Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ, ornatissimæ fœminæ, Heliæ, & Antoniæ Harmeridi. Quod à te, petente patrona, peto. Et epistola sequenti. *Ago gratias, Domine, quod & ius Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ, & ciuitatem Romanam Harpocrati Iatraliptæ meo sine mora indulsisti. Sed quum annos eius, & censum, sicut præceperas, ederem, admonitus sum à peritioribus, debuisse me ante ei Alexandrinam ciuitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Ægyptius. Ego autem, quia inter Ægyptios, cæterosque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, eũ scilicet à peregrina manumissum, patronamque eius iampridem decessisse; de qua ignorantia mea non queror, vt sibi pro eodem homine sæpius obligarer. Rogo itaque, vt beneficio tuo legitimè frui possim, tribuas ei & Alexandrinam ciuitatem, & Romanam. Annos eius & censum libertis tuis, quibus iusseras, misi.* Traianus Imp. Epistola sequenti, eidem Harpocrati tam ciuitatem Alexandrinam, quam Romanam concessit. Et epistola XII. *Proxima infirmitas mea, Domine obligauit me Posthumio Marino medico, cui parem gratiam referre beneficio tuo possum, si precibus meis indulseris. Rogo ergo, vt propinquis eius des ciuitatem, Chrysippo Mithridatis, vxori Chrysippi Stratonicæ Epigoni, Item liberis eiusdem Chrysippi, Epigono, & Mithridati, ita vt sint in patris potestate, vtque iis in libertos seruetur ius patronorum. Item rogo indulgeas ius Quiritium. L. Satrio Abascantio, & P. Cæsio Phosphoro, & Pancharię Soteridi, quod à te volentibus patronis peto.* Et epistola CXI. *Valerius, Domine, Paullinus, excepto vno, ius libertorum suorum mihi reliquit, ex quibus rogo, tribus interim ius Quiritium des. Vereor enim, ne sit immodicum, pro omnibus pariter inuocare indulgentiam tuam, qua debeo tanto modestius vti, quanto pleniorem experior. Sunt autem, pro quibus peto, C. Valerius Æstiæus, C. Valerius Dionysius, C. Valerius Aper.* Traianus Plinio ita respondit. *Quum honestissimè his, qui apud fidem tuam à Valerio Paulino depositi sunt, consultum velis maturè per me; His interim, quibus nunc petiisti, vt scias, dedisse me ius Quiritium, referri in commentarios meos iussi, idem facturus in ceteris, pro quibus petieris.* Ex his Plinii epistolis, manifestè ius Quiritium aliud esse à ciuitate Romana videtur, quum eadem epistola vtraque iura, tanquam diuersa diuersis petat. Quod autem discrimen fuerit, obscurum. Ego autem illud primo in his epistolis obseruaui, ciuitatem Rom. non nisi liberis hominibus, vel si libertis, his tamen libertis, qui è patroni exierint potestate, vel quod is mortuus sit, aut manumissi alias ob caussas. Vnde ius ciuitatis dari, non nisi liberis hominibus, vel libertis, quorum patroni mortui sint, ideoque ex eorum exierint potestate, liquet. Deinde animaduerti, quosdam libertos esse, in quos ius patronis sit. Tertio obseruaui, his tantum libertis ius Quiritium cum patronorum voluntate postulari; nam patronis repugnantibus id eis concedi non solere videtur. Nouissimè intellexi, id ius ipsis concedi, quo illis consultum sit. Ex quibus omnibus illud elicio, habere ius Quiritium, aliud quidem esse, quam habere ciuitatem Romanam, eaque ius Quiritium minoris esse. Atque, qui ius Quiritium habent, non esse absolutè ciues Romanos, sed ius tamen aliquod ciuium Romanorum habere, vel partem iuris ciuis Romani. Hoc porrò erat, quod supra exposui, quum ex Vlpiano de libertis Iunianis verba feci, qui liberti à patronis facti, Latii ius, lege Iunia Norbana, habebant. Non tamen vel ciues erant, vel ius Quiritium habebant. Quos ius Quiritium adipisci multis modis solere, Vlpianus scribit. Quorum pręcipuus erat principis beneficio. Hi enim liberti facti, dum viuerent, quamquam se quasi pro ciuibus gererent, tamen ius testamenti faciendi non habebant, nisi prius ius Quiritium à principe obtinuissent, & patronus eorum morientium hereditatem capiebat. Hoc erat ius, quod in hos libertos patronis fuisse, refert Traianus. Ius igitur Quiritium, non nisi libertis Latinis Iunianis (ita enim vocabantur) idest lege Iunia Norbana liberis factis, concedi solebat, minus quidem ciuitate Romana, quo testamentum condere, bonaque sua, quibus illis libuisset, relinquere possent, alioqui sine Quiritium iure id illis non licebat. Hoc autem ius proculdubio à Iul.

Cęsare

A Cæsare excogitatum est, quod ex eo præcipue intelligitur, quod lex Iunia Norbana, eo auctore, M. Silano, & L. Norbano Cos. lata sit, post Augusti mortem. Nam sub Tiberii Cæsaris principatu hi consules memorantur. Nam quum antiquitus triplex tantum in Romana Republica libertatis adipiscendæ genus esset, ex triplici nimirum manumissionis ratione deductum, hoc est vindicta, testamento, censu; qui vno horum modo manumittebatur, liber omnino erat. Verum, lege Iunia Norbana, quò libertorum insolentia reprimeretur, quartus additus est, qui in manumissionibus ante omnes seruabatur, quo qui Seruus esse desierat, non perfectè tamen libertus erat, neq; ex domini exibat potestate, sed tantū ius aliquod libertatis obtinebat, vt dominis esset pœnitētię locus. Quod si libertus iterum vno trium modorum manumittebatur, omnino liber erat, atque ex domini exibat potestate. Ius ergo Quiritium medium quid erat inter vtrunque manumissionis genus, quo libertis, neque censu, neque vindicta, neque testamento, sed quarto modo factis, ius dabatur, testamenti Romano more faciendi, alioqui ipsorum morientium dominus hæres erat, quamquam liberti essent. Dicebantur verò liberti Latini Iuniani, quod lege Iunia non plenum ius libertatis haberent: vt ab iis differrent, qui censu, vindicta, & testamento omnino liberi facti essent, quibus manumissionis generibus liberi facti, ciues etiam Romani erant. Sed hoc, quod diximus, veterum auctoritatibus demonstremus. De triplici manumissionis genere in Republica vsurpato sic meminit Cicero in Topicis. *Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo, si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber neque vlla est earum rerum, non est igitur liber.* Boetius vero hunc exponens locum. *Sit quæstio* (inquit) *vtrum aliquis, quem seruum esse constiterit, sit liber. Faciendi liberi tres sunt partes; vna quidem ut censu liber fit, censebantur enim antiquitus soli ciues Romani. Si quisquam ergo, consentiente, vel iubente domino, nomen detulisset in censum, ciuis Romanus fiebat, & seruitutis vinculo soluebatur, atque hoc erat, censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre, & effici ciuem Romanum. Erat & pars altera adipiscendæ libertatis, quæ vindicta vocabatur; vindicta verò est virgula quędam, qua lictor manumittendi serui capiti imposita, eundem seruum in libertatem vindicabat, dicens quędam verba solemnia, atque ideo illa virgula vindicta vocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi est, si quis suprema voluntate in testamenti serie seruum suum liberum scripserit. Quæ quoniam partes sunt liberi faciendi, si quis aliquem, quem seruum fuisse constiterit, monstrare velit, non etiam liberum factum, dicat, si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber. Nulla earum parte liber factus est, ergo non est liber.* Ob hanc triplicem libertatis formam Ausonius dixit, *Libertas, capitisque minutio triplex.* Qui igitur à ciue Romano vno horum trium modorum manumittebantur, omnino liberi erant, ciuesque Romani fiebant. His, vt dixi tribus manumittendi generibus, lege Iunia Norbana, quartus additus est, qui contra hos tres diuiditur, quo seruus libertus factus non omnino liber esset, sed tantum partem quamdam libertatis aliquibus in rebus haberet, ideoque libertus Iunianus dicebatur, quia ea lege liber factus erat; Latinus verò, quia non omnino liber erat, vt erant hi qui ex triplici illa manumissione liberi fiebant, sed eam ad illos habebant proportionem, quam antiquitus ciues Latini ad ciues Romanos, qui sicut certis conditionibus ex Latinis Romani ciues fiebant, sic hi, consentientibus dominis, ex libertis Latinis Iunianis omnino liberi fiebant vno trium veterum modorum. Liberti enim Latini Iuniani, quamquam in multis se pro ciuibus Romanis gererent, non erant tamen omnino ciues Romani, nec fieri poterant, nisi ex voluntate dominorum, quum adhuc in patronorum potestate essent, nec testamentum condere valebant, sed eorum morientium hæreditatem patronus capiebat. His porrò hac ratione libertate donatis, quum eos dominus omnino manumittere nollet, censu videlicet vindicta, aut testamento, ius Quiritium volentibus patronis, in quorum potestate erant adhuc concedi solebat à principe, idest ciuitatis Romanę pars quantum ad hcc attinet, vt Quiritium iure adepto adhuc in seruitute quidem essent, nec omnino liberi, sed suo iure testamentum, & alia quædam ad ciues Romanos pertinentia facere possent. Nam qui vno trium modorum, & præsertim vindicta (nam per censum

manumittendi ratio paulatim defecerat) liberti facti essent, è patronorum potestate omnino A exibant, & maiorem, atque adeo iustam libertatem consequebantur, vt ciues Romani sine obstaculo fieri possent. Hanc rem lib. XIII. Tacitus disertè, & manifestè docet, quum ait: *Manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut nouo beneficio locus; quos vindicta patronus non liberauerit, veluti vinculo seruitutis attineri, dispiceret quisque merita tardeque concederet, quod datum non adimeretur*. Porrò autem Tacitus de manumittendi per censum ratione non loquitur, quia iam obsoleuerat; de testamento etiam, quia de ea manumissione verba facit, quæ inter viuos fiebat, nam manumissi per testamentum, non nisi mortuis dominis liberi erant. Hoc autem hanc ob causam scribit Tacitus, *per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum* (vbi per vindictam factorum intellige) *efflagitantiumq́, vt aduersus malè meritos, reuocandæ libertatis ius patronis daretur, nec deerant, qui censerent; sed* B *Consules relationem incipere non ausi, ignaro principe, perscripsere tamen consensum senatus*. Quū multis contentionibus, verbisque res agitata esset, sententia valuit, qua nil libertorum iuribus antiquis derogatum est. Erat etiam alterum libertorum genus, qui dedititii vocabantur; hi quocumque modo liberi facti, libertatem quidem consequebantur, ius tamen ciuitatis non item. Hi erant, qui post admissa crimina suppliciis dediti, ac publicè pro criminibus cæsi essent, aut in eorum facie, vel corpore igne, aut ferro stigmata à patronis impressa fuissent, ita vt deleri non possent. Hi manumissi censu, vindicta, vel testamento liberi quidem erant, & dediticii vocabantur; verum lege Ælia Sentia, Augusto Cæsare auctore, Sex. Lamia, C. Saturrimo Coss. lata, ciues Romani esse non poterant. Quod etiam Tranquillus in Augusto refert. *Ait enim* cap. XL. *Magni preterea existimans sincerum, atque ab om-* C *ni colluuione peregrini, ac seruilis sanguinis incorrruptū seruare populū, & ciuitatē Romanam parcissimè dedit, & manumittendi modum terminauit. Seruos non contentus multis difficultatibus à libertate iusta remouisse, quum & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiosè cauisset, hoc quoque adiecit, ne vinctus vnquam, tortusue quis vllo libertatis genere ciuitatem Romanam adipisceretur*. Plinij porrò in historia naturali auctoritates seruire pro iure aliquo ciuitatis, non omni, vt opinor, intelligendæ sunt. Nam Tranquilli in Claudio testimonium, de libertis Iunianis, qui Latini dicebantur, procul dubio intelligi debet.

DE IVRE PROVINCIÆ. Cap. XIX.

D



IVRA prouinciarum antiquis temporibus ante legem Iuliam & bellum Marsicum varia fuerunt, prout fuerant scilicet earum in populum Romanum merita vel demerita. Hoc tamen omnibus commune erat, vt vectigales & stipendiariæ P. R. essent, aliæ verò plus vel minus tributis grauatę. Verum Latij iure, & ciuitate Romana à Senatu P. Q. R. finitimis populis primum, deinde vniuersæ Italiæ concessa, prouinciis quoque varia iura & priuilegia singularumque ciuitatibus variæ immunitates & prærogatiuæ concedi cœpere, quemadmodum antea per Italiam fieri solebat. Atque ante ciuitatem Romanam toti orbi Romano à Caracalla Imperatore datam, qua lege vt antiqua Italiæ iura antea, sic postea Prouinciarum confusa sunt. In prouincijs varii iuris ciuitates fuisse animaduerti. Nam quędam Conuentus, quædam fora, aliæ municipia, vel oppida ciuium Romanorum, aliæ E Coloniæ C. R. aliæ ius Latii, aliæ ius Italicum habebāt; aliæ liberæ, aliæ immunes, aliæ fœderatæ, aliæ stipendiariæ erant. De quibus omnibus, quid apud veteres auctores scriptum inuenerim, breuissimè aperiam, postea quā semel in hoc latissimum antiquitatis pelagus vela pandere duxi. Atque de Conuentibus qui in prouinciis singulis erant ante verba faciam.

DE

A DE CONVENTIBVS Cap. XX.



ONVENTVS (inquit Festus) quatuor modis intelligitur; vno, quum quemlibet hominem ab aliquo conuentum esse dicimus; altero, quum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum contenta in vnum locum. Tertiò, quum à magistratibus iudicij caussa populus congregatur. Erant enim in Prouinciis statuti Conuentus per rectores earum ad iudicia facienda. Quartò, quum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis, aut gratulationis causa colligitur. Tertiæ significationis exempla sunt apud Ciceronem multa, vt III. de legibus, IV. & V. in Verrem. Tunc enim Conuen-
B tus erant Vrbes in singulis prouinciis præcipuæ, in quibus prouinciæ judicibus citatis procõsules vel propraetores populi Romani ius ordinarium dicere solebant. De his Plinius lib. i. cap. i. *Juridici Conuentus in Bætica quatuor: Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, & Hispalensis.* Et cap. iii. *Vniuersa prouincia Tarraconensis diuiditur in Conuentus VII: Carthaginiensem,* à quo iura petunt populi LXII. *Tarraconensem,* in quo disceptant populi XLIV. *Cæsar augustanum*, ad quem conueniunt populi LII. *Cluniensem*, qui habet populos XIV. *Asturum,* cuius sunt populi XII. *Lucensem,* populorum XVI. & *Bracarum,* ad quem ius petunt populi XXIV. Et lib. iii. cap. xxii. *Prouincia Lusitania diuiditur in Conuentus tres Emeritensem, Pacensem, Scalabitanum.* Et lib. v. cap. xxix. Conueniunt (inquit) ad XXV. ciuitates *celeberrima vrbe Laodicea. Imposita est Lyco flumine latera alluentibus Asopo & Capro,*
C *appellata primo Diospolis, dein Rhoas. Reliqui in eo conuentus, quos nominare non pigeat Hydrelitæ, Thenrisones, Hieropolitæ. Alter conuentus à Synnada accipit nomen. Conueniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylei, Midei, Iulienses, & reliqui ignobiles populi. XV.* Horum verò conuentuum quidam coloniæ etiam erant. De his conuentibus Plinius Iunior in Epistolis ad Traianum ep. lx. *Quum citarem Iudices, Domine* (erat enim proconsul Ponti & Bithynię) *conuentum inchoaturus Flauius, Archippus vacationem petere cæpit, ut philosophus. Fuerunt qui dicerent, non modo liberandum eum iudicandi necessitate, sed omnino tollendum de iudicum numero, reddendumque pœnæ, quam fractis vinculis euasisset.* Eiusmodi igitur erant Iudicum prouinciæ & magistratus Romani conuentus, qui statis quibusdam certisque oppi-
D dis per vices ad ius dicendum vniuersis prouincialibus conueniebant, atque singuli populi suis quique conuentibus attributi erant. Cæsar libr. vi. de bello Gallico, *frumentoque* (inquit) *Cæsar exercitui prouiso, vt instituerat in Italiam ad Conuentus agendos profectus est.* Cicero in Verrem: *Ex his oppidis in quibus prætores consistere & conuentum agere solent.* Idem ad Atticum lib. i. ep. xiv. *Itaque conuentus qui initio celebrabantur, iam diu esse desierunt.* & libr. xxxiix. Liuius: *Aegium à principio Achaici concilii semper conuentus gentis indicti sunt, seu dignitate vrbis id, seu loci opportunitati datum est. Hunc morem Philopemen primum ante labefactare conatus, legem parabat ferre, vt in omnibus ciuitatibus quæ Achaici consilii essent, inuicem conuentus agerentur.* Ex quibus verbis illud etiam intelligitur, concilium hic plus quam conuentum comprehendere, id enim vniuersæ gentis est, hic partis tantum: vt totius Hispa-
E niæ concilium sit, conuentus verò Bæticæ, Lusitaniæ, & Tarraconensis. Tranquill. in Cæsare cap. xxx. *Cæsar transiit in citeriorem Galliam, conuentibusque peractis Rauennæ substitit,* & cap. lvi. *Quorum librorum primos, in transitu Alpium quum ex citeriore Gallia conuentibus peractis ad exercitum rediret, fecit.* Et in Galba cap. ix. *Carthagine noua conuentum agens tumultuari Gallias comperit.*

Tarraconæ

GENIO . CONVENTVS
ASTVRICENSIS

 A

DE FORIS Cap. XXI.



ORVM vt reliqua omnia ferè latina vocabula, nō vnam quamdam rem significat. Primò enim forum accipitur pro negociationis loco, quo venalia feruntur, vt ait Festus, & Salustius in Iugurthino. *Erat haud longè ab eo itinere quo Metellus pergebat oppidum Numidarum nomine Vacca, forum rerum venalium totius regni maximè celebratum, ubi & incolere et mercari consueuerunt Italici generis multi mortales.* Hinc loca rerum vænalium in singulis vrbibus fora appellantur. Forum etiam dicitur locus in quo iudicia publica exercebantur. Quintilianus libro III. *Rarum est autem vt in foro iudicia propter id solum constituantur, sicut diuinationes quę fiunt de accusatore constituendo.* & Cicero ad Atticum: *Quod me ad forum vocas, vnde etiam bonis meis rebus fugiebam.* B Hinc fora etiam oppida dicta quibus à magistratibus ius prouincialibus dicebatur. Fora vero in eo à conuentibus discrepant, quod conuentus statæ quædam & determinatę vrbes sunt, in quibus ius dicitur à Romano magistratu, & iudicibus; fora vero ad Proconsulum arbitrium habebantur modo hic modo illic, vt prouinciarum necessitas exigebat. Horum extra veterem Italiam & per prouincias frequentissima mentio est, vt in Hispania forum Bibalorum, & Egurrorum; in Gallia Forum Iulij & Forum Claudii; in Germania Forum Tiberii; in Italia Forum Liuii, Forum Cassii, Forum Cornelii, Forum Flauii, Forum Sempronii, Forum Claudii in Tuscia, & similium. Quod C verò etiam intra Italiam veterem eiusmodi fora sint, in quibus tamen magistratus Romani non erant, ipsa fora aliquando præfecturas fuisse crediderim ab aliquo pręfectorum nomine appellatas. Nam Strabo pręfecturę Claudię lib. v. meminit, quę ab alijs Forum Claudij in Tuscia vocatur. De eiusmodi foris Cicero ad Atticum ita scribit: *Appius vt audiuimus venire in vltimam prouinciam se coniecit Tarsum vsque, vbi forum agit.* Idem Cicero Appio libro III. *Qui te forum Tharsi agere, statuere, multa decernere, iudicare vellent.*

Fora:

- Bibalorum, Egurrorum — In Hispania
- Iulij in Gallia
- Claudij in alpibus
- Segusinorum in Gallijs
- Claudij in Tuscia
- Cornelij, Liuij, Sempronij, Flaminij, Popilij, Cassij, Iulij, Gallorum — In Italia
- Tiberij in Germania

D

E

DE

A DE MVNICIPIIS, COLONIIS, ET CIVITATIBVS IVS LATII *habentibus in prouincijs.* Cap. XXII.




N prouinciis etiam erant municipia, quæ & oppida ciuium Romanorum vocabantur; item coloniæ etiam ciuium Romanorum, & alię vrbes, & populi, qui ius Latii habebant, quemadmodum priscis temporibus in Italia erat ante bellum Italicum. De his Plinius lib. III. cap. I. *Oppida omnia Hispaniæ Bæticæ numero CLXXV. In iis coloniæ VIII. municipia VIII. Latio antiquitùs donata XXIX.* & cap. IV. *In his colonias XII.* (ciuium Romanorum intellige) *Oppida ciuium Romanorum XIII. Latinorum veterum XVII. fœderatorum.* Et lib. IV. cap. XXII. *Lusitania tota populorum XLV. in quibus coloniæ sunt V. municipium ciuium Romanorum I. Latii antiqui III.* Cur vero Plinius antiqui Latii dixerit supra exposui. Cæterum de municipiis, coloniis & iure Latii prouinciarum vno suffragii iure excepto (nam tum comitiorum jus ad Imperatorum curam, vt tradit Modestinus, translatum erat) eadem ratio est, quam & de his quæ in Italia ante legem Iuliam fuisse dixi. Nam liberæ omnes, immunes, & suis iuribus viuebant.

DE CIVITATIBVS IN PROVINCIIS IVS ITALICVM *habentibus.* Cap. XXIII.



RANT & aliæ ciuitates deteriore quàm supra dictæ iure in prouinciis donatæ, vt quæ jus Italicum habebant. De quibus Plinius lib III. cap. III. *Ex colonia Acitana Gemellenses et Libisoca cognomine Foroaugustana, quibus duabus ius Italiæ datum.* Ipse etiam eo libro sæpe iuris urbium Italici meminit. Et in pand. tit. de censibus. *Iuris* (inquit Caius) *Italici sunt Troas, Berytus, & Dyrrachium.* Addit Vlpianus eodem tit. *Iuris Italici est Syria, Phœnice, splendissima Tyrorum colonia unde mihi origo est.* Quod verò ius Italicum fuerit supra exposui. Id erat magistratui Romano non parere. Nam quamquam hoc ius haberent coloniæ, municipia, & Latinæ ciuitates, eo tamen non distinguebantur, quum excellentiores prerogatiuas haberent, Hæ verò vrbes quæ tantum ius Italicum habebant, eo tantum denominabantur, quum id præcipuum esset omnium quę haberent priuilegiorum. Hę igitur vrbes à magistratu Romano non regebantur, nec in eos iis ius aliquod erat. De quarum vna sic scribit Plinius ad Traianum Epist. LVI. *Quum vellem Domine Apameæ cognoscere publicos debitores, & reditum & impendia, responsum est mihi, cupere quidem vniuersos, vt à me rationes coloniæ legerentur, nunquam tamen esse lectas ab vllo proconsulum; habuisse priuilegium, & vetustissimum morem arbitrio suo, Rempublicā administrare &c.* Et Strabo lib. IV. *Massilia urbs inquit libera suo iure uiuit, ita ut missis in prouinciam Prætoribus non ciuitas ipsa, non subditi parere necesse habeant.* Et alibi. *Nullum* (inquit) *Nemausensibus ius Latii habentibus cum venientibus ex vrbe in Galliam prætoribus negocium est &c.* Vrbes igitur ius Italicum habentes hoc præcipuè priuilegio nitebantur, quod quemdamodum Italię oppida nullis magistratibus Romanis, sic nec ipsę suis proconsulibus vel proprætoribus parebant, sed tantum S. P. Q. Romano.



DE

DE RELIQVIS PROVINCIARVM CIVITATIBVS LIBERIS, *immunibus, fœderatis, & stipendiariis. Cap. XXIV.* A



RANT in ijſdem prouinciis pleræque aliæ varii iuris vrbes, vt liberę, immunes, fœderatæ, & quarum peſſima conditio erat ſtipendiariæ. De quibus Plinius lib. III. cap. I. *Oppida* (Bæticæ) *ſunt numero omnia CLXXV. In his coloniæ VIII. Municipia VIII. Latio antiquitùs donata XXIX. libertate VI. fœdere II. Stipendiaria CXX.* Et libro eodem cap. III. *prouincia Tarraconenſis CCXXCIII. continet oppida. In his colonias XII. Oppida ciuium Romanorum XIII. Latinorum veterum XVII. Fœderatorum I. Stipendiaria CXXXII.* Item cap. I. *Huius conuentus ſunt reliquæ coloniæ immunes, Tucci quæ cognominatur, Augusta Gemellares.* B Et cap. III. Cęſarauguſtana colonia immunis amne Ibero affuſa. Et lib. IV. cap. XXII. *Luſitania tota populorum eſt XLV. In quibus coloniæ ſunt V. Municipium ciuium Romanorum I. Latij antiqui, aliàs veteris, III. Stipendiaria XXXVI.* Et Tranquillus in Calig. cap. III. *Libera ac fœderata oppida ſine lictoribus adibat.* Ex his vrbes liberæ ſuis legibus viuebant, vectigalibuſque non grauabantur. Immunes vero à militia dicebantur. Fœderatę variis fœderibus æquiſſimo vel æquo populi Romani amicitiam habebant. Stipendiariæ, quæ maiori numero erant, tributa & vectigalia ex formula ſoluebant, atque à proconſulibus regebantur. Vrbis cujuſdam liberę mentio eſt in hac vetuſta inſcriptione.

IMP. CAESARI. DIVI. HADRIANI. FILIO
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOTI. DIVI C
NERVAE. PRONEPOTI. T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POTEST. III. COS. III. P. P. BENEFICO. AC
SERVATORI. HADRIANAE. AC. MOPSVESTIAE. CIV
LYCIAE. SACRAE. LIBERAE. INVIOLATAE. SVIS
LEGIBVS. VIVENTIS. P. R. AMICITIA. ET. SOCI
ETATE. CONIVNCTAE. QVOD. DIVINA. IPSE. IN
IVRE. DICENDO. CLEMENTIA. SIT. VSVS. NEC
NON. VETERA. EIDEM. CIVITATI. IVRA
PRIMA. RATAQVE. ESSE. VOLVERIT D
S. P. Q. D. D

Vrbes igitur liberę nec ipſę magiſtratibus parebant, ſed ab his quę ius Italicum haberent in eo differebant, quod tributis aut vectigalibus non grauabantur; ideoque liberę dicebantur, quemadmodum illę. Vnde Tranquillus in Veſpaſiano cap. IIX. *Veſpaſianus* (inquit) *Achaiam Lyciam, Rhodum inſulam, Byzantium, inſulamque Samum, quæ ad hęc vſque tempora legibus ſuis vixerant, libertate adempta; item Tracheam, Ciliciam, & Comagenem, ditionis regiæ vſque ad id tempus in prouinciarum formam redegit.* Et cap. XLVII. in Auguſto. *Vrbium quaſdā fœderatas, ſed ad exitium licentia præcipites libertate priuauit. Alias aut ære alieno laborantes leuauit, aut terræmotu ſubuerſas denuo condidit, aut merita erga populum Romanum allegantes Latinitate vel ciuitate donauit.* Immunes autem vrbes à militia dici manifeſtum eſt. Fœderatarum ciuitatum non vna, eademque, ſed varia conditio fuit; in eo verò à liberis differunt, E quòd illę abſolutę liberę ſunt, hę aliquo interueniente fœdere. Vnde Tacitus. *Primores Galliarum fœdera & ciuitatem Romanam iampridem aſſequuti &c.* Tranq. cap. XXV. in Claudio: *Peregrinę* (inquit) *conditionis homines vetuit vſurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia. Ciuitatem Romanam vſurpantes in campo Eſquilino ſecuri percuſsit. Prouincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam ſuam tranſtulerat, ſenatui reddidit. Lyciis ob exitiales inter ſe diſcordias libertatem ademit. Rhodiis ob pœnitentiam veterum delictorum reddidit. Jlienſibus quaſi Romę gentis auctoribus tributa in perpetuum remiſit, recitata vetere epiſtola Græca Senatus populiq; Rom. Seleuco Regi amicitiam et ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos*

A *sanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset*. Et Plinius epistola ad Traianum Imp. XCIX. *Amisenorum ciuitas & liberata & fœderata, beneficio indulgentiæ tuæ legibus suis vtitur &c.* Cui Traianus respondet. *Amisenos quorum libellum epistolæ tuæ iunxeras, si legibus istorum quibus de officio fœderis vtuntur, concessum est ærarium habere, possimus quò minus habeant, non impedire, eò facilius si tali collatione non ad turbas & illicitos cœtus, sed ad sustinendum tenuiorum inopiam vtuntur, cęteris ciuitatibus quę nostro iure obstrictæ sunt res huiusmodi prohibenda est.* In stipendiariis vero vrbibus summum ius Proconsulum erat, hæque à tributo quo grauabantur ita vocatæ. De harum vna eundem Plinium loqui puto, quum ad Traianum scribat epistola XXIIX. *Nunc reip. Prusensum impendia, redditus, debitores excutio, quod ex ipso tractatu magis, ac magis necessarium intelligo, multæ enim pecuniæ varijs ex caussis*
B *à priuatis detinentur. Pręterea quędam minimè legitimis sumptibus erogantur. Hæc tibi domine in ipso meo ingressu scripsi*. Et epistola LVI. *Pecuniæ publicę domine prouidentia tua & ministerio nostro etiam exactę sunt, & exiguntur res.* His publicis pecuniis, quæ ad imperium pertinebant, Cæsarum Procuratores præerant, de quibus Strabo lib. III. *Sunt & Cæsaris procuratores in prouincijs equites Romani, qui stipendia militibus erogant.* De omnium harum ciuitatũ conditione sic Strabo scribit lib. XVII. *Vniuersæ porrò terrę, quę Romanis paret, partim Reges tenent, quam vero ipsi habent prouinciam vocant, & præfectos ac Quæstores in eam mittunt. Sunt etiam nonnullę ciuitates liberæ conditionis, alię ab initio per amicitiam Romanis adiunctę, alię ab ipsis honoris gratia libertate donatę.* Cæterum quum integris prouinciis primum, deinde orbi vniuerso Romano ius Latii primum post ciuitatis Romanæ ab Imperatoribus concessa
C essent, omnia hæc singularum ciuitatum iura & priuilegia variata sunt: de quibus præterea loqui immensi laboris opus, difficillimumque esse existimo, quum ea omnia corrupta fuerint, & deformata.

DE COLLEGIIS, ET CORPORIBVS. Cap. XXV.



RIMVS Romæ collegia octo Numa rex instituit, vt ex his Plutarchi verbis intelligi potest. Plutarchus in Numa. *Ex alijs autem eius institutis multitudinis pro opificijs distributio maxime in admiratione habetur. Nam quum ciuitas duobus ex populis constare videretur, quin diuisa potius foret, ac nullo pacto vna esse vellet,*
D *neque fieri posset vt factio simultasque deleretur, sed offensiones assiduas & partium contentiones pateretur, quum animo secum Numa versasset, solere homines ea corpora, quę & diuersa natura & dura sunt perfringendo, et diuidendo commiscere, quippe quę ex paruitate conueniant, illa inter se magis, statuit in partes plures cunctam multitudinem rescindere, vt ex ijs in alias contentiones quum iniecisset, priorem, & magnam illam in minores disseminatam penitus tolleret. Fuit autem pro artibus ea distributio. Tibicinum, Aurificum, Architectorum, Tinctorum, Cerdonum, Coriariorum, Fabrorum, Figulorum.* Hinc ad reliquas colonias, & municipia eorum mos manauit. Hæc sodalitia siue conuentus erant maiorum artificum ad vsum ciuitatis, vt præter quę ex Plutarcho dixi Centonariorum, Dendrophororum, Nauiculariorum, & similium. nam minorum artificum congregationes corpora dicebantur, vt pistorum, sutorum, & aliorum eiusmodi. Hęc Romę primum à Numa instituta Plinius lib. XXXIV. cap.
E I. & Plutarchus auctores sunt. *Docuimus* (inquit Plinius) *quandiu pop. Rom. ære signato tantum vsus esset, & alia quæ vetustas tradidit, quum æqualem vrbi auctoritatem eius declararet, à Rege Numa collegio tertio fabrorum ærariorum instituto.* Et lib. XXXV. cap. XII. Septimum ab eodem rege collegium institutum fuisse dicere videtur quum ait: *propter figulinorum operũ commoditatem Numa Rex septimum collegium instituit figulorum*. Octo autem vetustissima collegia à Numa instituta fuisse refert Plutarchus, ex quibus Fabrum collegium, de quo etiam Liuius lib. I. Et Dionysius lib. II. mentionem faciunt, in duas centurias Iuniorum & Seniorum distinxit Ser. Tullius, vt iidem auctores sunt. Postea crescente Vrbis imperio alia artificum collegia & corpora instituta, vt Centonariorum, Dendrophororum, Nauiculariorum,

&

& similium, de quibus passim in antiquis inscriptionibus mentio est. Huius Fabrûm A collegii munus erat opera publica, priuataque vetustate, vel aliis casibus diruta restituere. Cuius rei ita meminit ad Traianum Plinius ep. XLII. *Quum diuersam partem prouinciæ circumirem, Nicomediæ vastißimum incendium multas priuatorum domos & duo publica opera, quanquam via interiacente, Gerusiam & Ison absumpsit. Est autem latius sparsum primum violentia venti, deinde inertia hominum, quos satis constat otiosos & immobiles tanti mali spectatores perstitiße, & alioqui nullus vsquam in publico sipho, nulla hama, nullum deniq; instrumẽtum ad incendia compescenda: & hæc quidem, ut iam præcepi, parabantur. Tu domine dispice, an instituendum putes collegium fabrorum duntaxat hominum* CL. *Ego attendam ne quis nisi faber recipiatur, neue iure conceßo in aliud utatur, nec erit difficilé custodire tam paucos.* Centonarii à centonibus idest lectis faciẽdis dicti: Dendrophori à palis gerendis lignisq; excidendis voce Græca nuncupati, B nauiculariorum, nautarum, frumentariorum & figulorũ expressa significatio est. Caius I.C. enumerãs præcipua collegia, quæ in vrbe erant. *Omnia* (inquit) *collegia Romæ S.C. concremata quædam sunt, veluti pistorum et quorundam aliorum ut nauiculariorum.* Idem. *Si* (inquit) *collegæ sacramentales vel nautæ, vel frumentarij sunt, quicquid ad negotiationem disponit simul irritum ne esto.* His multa præterea alia collegia posteriori tempore tam Romæ quam per Italiæ & Orbis Romani colonias & municipia ac passim addita, vt Architectorũ, Tinctorũ, Aurificũ, Aurariorum, Bractheariorum, Lecticariorum, de quibus tam apud veteres auctores quam in vetustis epigrammatibus mentio frequens est. In nouellis porrò Iustiniani Collegii Lecticariorum mentionem fieri inueni. Hi libitinæ curam habebant, & mortuos efferebant. Et in antiquis inscriptionibus, horum collegiorum mentionem fieri inueni sic. C

Comi in Æde D. Mariæ Climianæ.

L. APICIO
BRVTIDIO
SOTERIENO
VI. VIR. VRBA
QVÆSTORI
ANNI. PRIMI
CVR. PRÆSIDI
ET. ALBVCIAE
SEX. FIL
EXORATAE. EIVS
CENTVRIA. CENTONAR
DOLABRAR. SCALARIOR
L. D. D. C.

Comi.

L. ALFI. L. F. OVF. MARCELLINI
VI. VIR. AVG. PATRONI. COLLEGI
DENDROPHORORVM. COMEN
IN. PRIMO. ÆTAT. FLORE. PRAEREPT
ÆLIVS. RESTITVTVS. PATER
MISERRIMVS. ET. SIBI

Romæ.

M. VLPIVS
AVG. L. ÆCIVS
PROC. MAVSOLEI
IMAGINEM
CORINTHIAM
TRAIANI. CÆSARIS
COLLEG. FENARIOR
D. D

Ferrariæ in ædibus Franc. Gerardini.

C. VALIO
POLICARIO
ORNAMENT. DECVRIO
NATVS. INLVSTRATVS. A
SPLENDIDISSIMO. ORDINE
ARIMINEN. PATRON
VII. VIRORVM. ITEM. COL
LEGIORVM. FABR. CENT
DENDR. COLON. ARIMIN D
TEM. ORNAMENT. DECVRI
ONATVS. INLVSTRATVS. A
SPLENDIDISSIMO. ORDINE. PI
SAVRENS. PATRONO. COLLEGI
ORVM. FABR. CENT. DENDR. NAVIC
ET. VICI. MAG. COLON. PISAVR
PLEBS. PISAVR. OB. MERITA. CVIVS
DEDICAT. SPORTVLAS. DECVR. XV
ITEMQVE. COLLEGIIS. X. PLEBI. XI E
DEDIT
L. D. D. D. P.

Mediolani ad S. Nazarium.

D. M.
EPITYNCANI
PATRONI. COLL
NAVT. COMENS
HERED. FAC. CVR

Hæc

A Hæc autem collegia quum prius rectè instituta, puta publicæ commoditatis ergo, paulatim dilaberentur, eorumque sodaliciorum, quum amplis potirentur priuilegiis, occasione multa mala committerentur, ea sæpe vel restituta, vel emendata, subreptitiis collegiis deletis inuenimus. Vnde Cicero in Pisonem. *Collegia non solùm, ea quæ Senatus sustulerat, restituta sunt, sed innumerabilia quædam noua ex omni fece vrbis, ac seruitio concitata.* Et Tranquillus in Cæsare cap. XLII. *Cuncta collegia præter antiquitus constituta detraxit.* Et in Augusto c. XXXII. *Et plurimæ factiones titulo Collegij noui ad nullius non facinoris societatem coibant. Igitur grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit, ergastula recognouit, collegia præter antiqua & legitima dissoluit.* Qua etiam ratione Traianus Imperator motus, Plinio nouum Fabrum collegium Nicomediæ instituere cupienti hac epistola ita negauit. *Tibi quidem secundum*
B *exempla quamplurium in mentem venit posse collegium fabrorum apud Nicomedienses constitui, sed meminerimus prouinciam istam, & præcipuè eas ciuitates eiusmodi factionibus esse vexatas. Quodcunque nomen ex quacunque caussa dederimus his qui in idem contracti fuerint, hetæriæ quãuis breues fient. Satius itaque est comparari ea, quæ ad coercendos igneis auxilio esse possunt, commonerique dominos prædiorum, vt & ipsi inhibeant, ac si res poposcerit, accursu populi ad hoc vti.* Extat etiam apud Iurisconsultos lex de Collegiis illicitis. Martianus quoque I. C. in titulo de collegiis illicitis Rubr. XLIIX. *Mandatis* (inquit) *principalibus præcipitur præsidibus prouinciarum, ne patiantur esse collegia, sodalitiaque, neque milites collegia in castris habeant, sed permittatur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen in mense coeant:* & Callistratus. *Nam omnia* (inquit) *corpora vel collegia vacationem tutelarum habent.* Atque hæc sunto quæ de
C collegiis apud veteres auctores inueni.

DE CORPORIBVS. Cap. XXVI.


ORPORA (vt dixi) minorum artificum congregationes, & sodalitia dicebantur, vt pistorum, magnariorum, soleariorum, & similium, de quibus in his duabus inscriptionibus mentio est.

IMP.CAESARI
T.AELIO.HADRIANO
D ANTONINO.AVG.PIO
PONT.MAX.TRIB.POT.VII
IMP.II.COS.III.P.P
CORPVS
PISTORVM

MAGNO.ET.INVICTO
IMP.CAES.C.VAL.AVREL
DIOCLETIANO.PIO.FEL
INVICTO.AVG.PONT.MAX
TRIB.POTEST.COS.III.P.P.PRO.COS
D.N.CORPVS.CORIARIORVM
MAGNARIORVM.SOLEARIORVM
DEVOTI.NVMINI.MAIESTATIQ
EIVS

Corpora etiam dicebantur cuiusuis congregationis genus; verum alio ab hoc significatu, vt corpus militare, corpus ciuitatis, vt Capitolinus in Maximino: *corpus* (inquit) *militare duxit.*
E Et Liuius libro. XXVI. *Ceterum habitari etiam tamquam vrbem Capuam frequentarique placuit corpus nullum ciuitatis &c.* Verum hîc corpora inferiorum ignobiliorumque artificum conuentus dicuntur. In corporibus erant sutores, soleatores, lecticarii, pistores, speculatores, caupones, vinarii, tabernarii, collectarii, sartores, baiulatores, braccarii, & breuiter omnes reliquæ artes. Quamquam autem vt dixi collegia maiorum, corpora vero minorum artificum societates dici solerent, nihilominus sæpe eiusmodi nomen confundi obseruaui, atque pro collegiis corpora, rursum pro corporibus collegia accipi, præsertim recentioribus temporibus. Lampridius in Alexandri Imp. vita: *Corpora* (ait) *omnium instituit; vinariorum, lupanariorum, caligariorum, & omnium artium, hisque ex se defensores dedit, & iussit quid ad quos iudices pertineret.* Et Symmachus in Epistolis ad Imper. Theodosium corporum

collectariorum, mercatorum, laniorum, cauponum, macellariorum, tabernariorum, salinatorum meminit. l.x. ep XLII. *Vendendis* (inquit) *solidis quos plerunque publicus vsus exposcit collectariorum corpus obnoxium est, quibus arca vinaria statutum pretiũ ministrat.* Et alibi l.x. ep. XXVII. *Non putet æternitas vestra ab incepio temere destitisse Deo proximum virum; nouerat horum corporum ministerio tanta vrbis onera sustineri. Hic lanati pecoris inuector est, ille ad victum populi cogit armentum: Hos suillæ carnis tenet functio, pars vtenda lauacris ligna comportat. Sunt qui fabriles manus Augustis operibus accommodant. Per alios fortuita arcentur incendia. Iam caupones & obsequia pistoria, fugis & olei baiulos, multosque id genus patriæ seruientes narrare fastidium est.* Et initio Epistolæ. *Ergo numinis vestri famam simulque ardum recogitans, corporatos negociatores membra æternæ vrbis ad equorum collationem, quam literis imperastis, vocare dubitaui, ne liberationem clementiæ vestræ querela publica præueniret.* Plutarchus in libro qui inscribitur de præceptis coniugalibus refert, corporum tria genera esse, alia enim ex discretis constant, vt classis, exercitus, ciuitas, & conuentus; alia ex coniunctis, vt domus, & nauis; alia vnita sunt & congenita, vt singula animalia. Atque hæc sunt quæ de corporibus ciuilibus apud veteres inueni.

QVO TEMPORE, ET CVR VNIVERSÆ ITALIÆ CIVITAS Romana lege Iulia data fuerit. Cap. XXVII.



PRAESTANTISSIMVM Romuli institutũ omnes fuisse referunt auctores, quod victas gentes, non vt Athenienses olim & Lacedęmonii pro alienigenis arcuisset, sed eas in populi Romani amicitiam, & ciuitatem ipsam etiam vel adsciuerit, vel colonias Romanas deduxerit. Quod à sequentibus Regibus & Consulibus studiosissimè retentum, tanti imperii caussa fuit. Romana autem ciuitas, ius videlicet, suffragii ferendi, & adipiscendorum in vrbe honorum antiquissimis temporibus Romanis primum tradita, qui agrum Romanum incolebant, deinde omnibus ad vrbem migrantibus, post viritim multis extra vrbem, deinde integris ciuitatibus, quę municipia vocabantur, & coloniis ciuium Romanorum, quę tantum intra Italiam erant. Quumque ius ciuitatis ita vulgatum fuisset, vt integris vrbibus collatum esset, Latinis quoque multa concessa sunt priuilegia, quæ iuri Romanæ ciuitatis maximè appropinquabant. Ceterum Latii iure Latinis primum, deinde multis Italiæ populis concesso, quum eo non contenti ciuitatem ipsam adipisci vellent, frequenter Romam commigrabant, atque furtim in ciuium Romanorum numerum se referri curabant; qua fraude à Senatu cognita iis sæpe à Consulibus, & Censoribus multis editis legibus obuiam itum, multaque hominum Latini nominis millia se pro ciuibus Romanis gerentium, Vrbe pulsa atque ad ciuitates suas remissa, donec postremo primus omnium, socios Latini nominis qui vniuersam fere Italiam comprehendebant in cupiditatem ciuitatis Romanæ adipiscendæ legibus perniciosis latis palam excitauit M. Fuluius Flaccus Consul, M. Plantii Ypsęi collega anno vrbis DCXXIX. vt Valerius & Appianus indicant. Deinde C. Sempronius Gracchus: postremo M. Liuius Drusus Tribuni plebis. Flaccum ab eo consilio delata ei prouincia Gallia Senatus auocauit. Gracchum mors, & inimicorum auctoritas; Drusum vero, ne quod animo agitabat exsequeretur, ciuium in quod incurrerat odium effecit. Nam M. Drusus Trib. plebis hanc ob caussam eam seditionem Romæ commouit. Senatus quum impotentiam equestris ordinis, penes quem Sempronia lege iudicia erant, à Senatu ad eos traducta, ferre non posset, omni ope conatus est, vt per M. Liuiũ Tribunum plebis ad se iudicia transferret. Is vt plebem ac socios Italicos sibi adiungeret, leges Sempronias de agris diuidendis, de frumento dando, de coloniis deducendis, & Fuluiã consularem, Semproniamq; tribuniciam de ciuitate Sociis Latini nominis Italicis danda, & Cæpionis de senatu, equitibus iudiciis Senatoribus communicandis retulit. Contra Drusum pro equitibus stabat Q. Seruilius Cæpio alter, atque is qui consul Senatus partes lege defenderat. Reliquis omnibus legibus Drusi acceptis, vna de sociis in ciuitatem accipiendis ferenda

A renda erat, quam quum eis promiſſam præſtare non poſſet, Latinis propterea ac Senatui & equitibus ob latas leges inuiſus, domi incerto auctore interficitur. Nulla de eius nece quæſtio habita. Leges eius omnes tamquam contra auſpicia latæ S. C. Philippo Coſ. referente abrogatæ ſunt. Ita Appianus, Florus, Cicero, & Plinius. Italici igitur ter tanta ſpe deiecti, facta inter populos coitione aduerſus populum Romanum conſpirarunt. Non parum quoque ad rebellandum eas excitauerat lex Mucia Licinia à Q. Scæuola & L. Craſſo Coſſ. quadriennio ante lata de regendis in ſua ciuitate ſociis, vt tradit Pedianus in Cornelianam. Quum enim ſumma cupiditate ciuitatis, Italici (vt dixi) populi tenerentur, à Flacco & Gracco excitati, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis ſe gereret, neceſſaria lex viſa eſt, vt in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur. Verum ea lege ita alienati ſunt animi Princi-
B pum Italicorum populorum, vt ea vel maxima cauſſa belli Italici fuerit, quod triennio poſt exortum eſt. L. Iulio & P. Rutilio Coſs. Anno vrbis DCLXIII. Primum verò eorum conſilium fuit, vt feriis Latinis Cæſarem ac Philippum Conſules ſuperioris anni trucidarent; deinde eo detecto Q. Seruilium procoſ. ad motus eorum ſedandos profectum vnà cum Fonteio legato, & omnes qui Aſculi erant Romanos interficerent. Quo facto cæteri omnes eius regionis Italici à populo Romano defecere. Populus Romanus ſaga ſumpſit, ac bellum aduerſus Italicos iuſſit, quod bellum Italicum, ſociale, & Marſicum appellatum eſt. Marſicum autem quod à Marſis primum commotum ſit, & eorum Imperatore Poppedio, vt Strabo & Appianus tradunt. Grauiſſimum id bellum fuit, in quo Italia omnis auctoribus Picentibus, Tuſcis, Vmbris, & Gallis exceptis rebellauit. Quum autem aliquot
C cladibus ab Italicis acceptis, Rutilio conſule occiſo, Cæſare cum exercitu fuſo, Tuſci &, Vmbri qui quieuerant, ob eam cauſam defectionem molirentur, veritus Senatus ne hoſtibus omni ex parte orientibus vrbem minus tueri poſſet, mare omne à Cumis ad vrbem vſque libertis communiuit, eis tunc primum ad militiam ob virorum inopiam accitis. Italos vero omnes adhuc in fide permanentes lege ab altero conſulum Cæſare, quæ Iulia appellata eſt, lata, quod maxime exoptabant, ciuitate donauit: inter quos Tuſci, Vmbri, & Galli Ciſpadani fuere. Hac igitur liberalitate vſus Senatus, ex amicis longe amiciores fecit, & qui dubij erant, in fide confirmauit. Nouos vero hos ciues Romani haud ſtatim eorum tribubus quæ XXXV. numero fuere, miſcuerunt, ſed decem alias tribus addidere, in quibus ipſi ſuffragium nouiſſimi ferrent, & plerunque eorum ſuffragium nullius fere erat momenti, quum
D V. & XXX. antiquæ tribus in primis vocarentur. Quæ ſupra dimidium reliquas excederent, quod à principio efflagitantibus Italis eos latuit. Quum vero res cognita fuiſſet, alterius ſeditionis occaſionem attulit. Subiicit Appianus. *Et hæc quidem per Italiam ſociali bello geſta ſunt, quod quum in maius augeretur, Italia omni ciuitate donata, Lucanis & Samnitibus eo tempore exceptis, quieuit.* Nam & hi eandem paulo poſt conſequuti ſunt, & inter tribus quemadmodum ſuperiores ſeparatim lecti, ne ſi antiquis ciuibus miſcerentur, eos comitiis ſuperarent, quum eſſent numero longè plures. Hoc eſt quod ex Liuio ſcribit Florus in Epitoma lib. XXC. *Italicis populis à Senatu ciuitas data.* & lib. LXXXIIII. *Nouis ciuibus ex S. C. ſuffragium datum.*

E *DE COLONIIS TRANSPADANIS A CN. STRABONE Coſ. deductis. Cap. XXVIII.*


LEGE itaque Iulia quum Latinis, Tuſcis, & Vmbris primum ipſo anno, deinde ſequenti Cn. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone Coſ. Gallis Ciſpadanis ciuitas data fuiſſet, Tranſpadani indignati eorum rationem in iure ciuitatis Romanæ habitam non fuiſſe, tumultuari cœperunt. Quibus tumultibus ſedandis à Senatu cura data eſt Pompeio Conſuli. Is Gallis quidem Ciſpadanis ciuitate donata, vt Tranſpadanos mitigaret, eos iure Latii honorauit, aliquotque tam citra quam vltra Padum colonias deduxit. Citra Padum qui-

dem colonias Romanorum ciuium, vltra vero Latinas eas fecit. In his quæ cis Padum fuerunt Alba Pompeia, vt opinor colonia fuit ab ipso vocata, vt Laus Pompeia vlterius Padum. Neque enim vllus præterea Pompeius in hisce regionibus quid gessisse legitur. An colonias verò cis Padum alias deduxerit, vt verisimile, ita obscurum est. Vltra Padum verò Verona, Ateste, Brixia, Comum, Laus Pompeia, Patauium, Bergomum, Mediolanum, Vercellæ, Nouaria, Ticinum, Altinum, Opitergium, Bellunum, Vicentia, & Mantua fuere. Pedianus enim in Pisonianam ita scribit, vbi de Placentia loquitur. *Neque illud dici potest sic eã coloniam esse deductam, quemadmodum post plures ætates Cn. Pompeius Strabo Cn. Pompeij Magni pater, Transpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non nouis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij, vt possent habere ius, quod cæteræ Latinæ coloniæ, idest vt gerendi magistratus gratia, ciuitatem Romanam adipiscerentur. Porrò duo genera earum coloniarum, quæ à populo Romano deductæ sunt, fuerunt: itaq; aliæ Latinorum essent etc.* Hic locus mutilus est vt apparet, quem ego sic restituerem: *Vt aliæ ciuium Romanorum, aliæ Latinorum essent res.* Ex his Pediani verbis, illud quod dixi colligimus, deductis aliquot coloniis Strabonem Pompeium Transpadanis ius Latii dedisse, postquam ciuitas reliquis Italicis populis (quos enumeraui) data esset à superioris anni Consule L. Iulio.

A B

DE VERONA COLONIA LATINA DEDVCTA. Cap. XXIX.



ORRO autem inter Transpadanas colonias à Pompeio deductas Veronam fuisse, post ostendam. Nam de reliquis dubium non est, quas colonias fuisse, tum ex auctoribus, tum ex antiquis epigrammatibus liquet. De his coloniis Transpadanis meminit Tranquillus in Cæsare, vbi eas colonias Latinas sic vocat: *Decedens ergo ante tempus colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes adijt, et ad audendum aliquid concitasset, nisi Consules conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinuissent.* Veronam verò vnam ex Latinis his Transpadanis coloniis à Pompeio Strabone deductis fuisse refert incertus auctor in panegyrico ad Constantinum Imperatorem sic. *Pugnacißimoque Præfecto scilicet quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus euerteret. O miserabilem Veronensium calamitatẽ &c.* & Tacitus lib. XIX. *Quæsitum inde quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa est, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua præualebant, simul coloniam copijs validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur.* Et antiqua inscriptio Veronæ in porta Bursarea.

C D

COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA.

Deducta igitur fuit Verona colonia Latina cum reliquis ciuitatibus Transpadanis, veteribus incolis manentibus, non nouis colonis constituta Cn. Pompeio Strabone & L. Porcio Catone Cos. anno vrbis conditæ DCLXV. ante Christi natalem diem annis plus minus XC. Eas porrò colonias frequentissimè ius ciuitatis postulasse, præter Tranquilli locum docet etiam Dio lib. XXXVII. qui inter alia refert, Q. Catulum & M. Crassum censores, dissensione inter eos orta de ciuitate Transpadanis coloniis danda (quũ alter iis ciuitatem dandam censeret, alter negaret) neque censu perfecto, neque lustro condito censurã abdicasse. Fuit autem Verona cum reliquis colonijs Transpadanis COLONIA LATINA, id est, ius Latii habens, vsque ad C. Cæsaris primam dictaturam. E

A DE VERONA COLONIA LATINA, CIVITATE ROMANA à C. Cæsare Dictatore donatâ. Cap. XXX.



M. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Crure Coss. anno ab vrbe condita DCCVI. bello ciuili inter Cæsarem ac Pompeium exorto, quum Pompeii factio Italia omni pulsa esset, Cæsarque Romæ Dictator primum creatus fuisset, ante secundum initum consulatum, ipse statim lege ad populum latâ, Veronæ cum reliquis Latinis Transpadanis coloniis (vt Dio lib. XLI. auctor est) ciuitatem Romanam donauit, eiusque priuilegia vsque ad subalpinas gentes extendit. Transpadanorum autem Cæsar amicissimus fuit, eosque supra
B modum dilexit. Nam & Comum ciuitate Romana sine populi auctoritate donauit, & (vt ait Tranquillus) reliquas de ciuitate petenda agitantes Ædilis sollicitauit. Ipse vicissim ab eis obseruatus est plurimum, vt patet ex Cicerone lib. VII. Epistol. ad Atticum. *Cæsari* (inquit) *imbecillo resistendum fuit, & id erat facile. Nunc Legiones XI. Equitatus multus, quantos volet Transpadani, plebs vrbana, tot Tribuni plebis, tam perdita iuuentus, tantâ auctoritate dux, tanta audacia: cum hoc depugnandum est, aut habenda è lege ratio &c.* Quamobrem simul ac Cæsari licuit Transpadanos omnes ciuitate donauit, quam sæpe antea, sed frustra, tentauerant. Quum verò inter Transpadanas Latinas colonias Verona fuerit; proculdubio & ipsa cum reliquis à Cæsare Dictatore ciuitate donata est.. Cuius omnia iura & priuilegia tam ante ciuitatem adeptam, quam post, ex his quæ de iure ciuitatis, Latii & coloniarum
C supra retuli, manifesta sunt. Quum igitur coloniam eam deductam fuisse apertè constet: ex his quæ de cæteris colonijs dixi illud necesse est, vt in ea etiam Decuriones, IIII. Viri Iuri Dicundo Ædilis, Quæstor, VI. Viri Augustales, & reliqui coloniarũ Magistratus tam sacri, quã profani extiterint. Quod ita fuisse sigillatim nunc ostendam. Atq; in primis quum colonias tanquam imagines fuisse vrbis Romæ referat Gellius; pro Senatu in ea erant centum Decuriones, quorum consilio & auctoritate reliquus coloniæ populus regeretur. De Decurionibus Veronensibus mentio est in hisce vetustis inscriptionibus.

Veronæ translatum ex pago Cereta.

D . . M
P. HOSTILI. P. F. POB
D CAMPANO. VENATORI
P. HOSTILIVS. TERTIVS
DECVRIO. VERON. ET
ABIDIA. MAXIMA. PARENTES
FIL. PIISSIM. ET. SIBI. QVI
VIXIT. ANN. XXV. D. XXV
SINE. CRIMINE. VITAE
FLORENTES. ANNOS. MORS
IPSA. ERIPVIT. VIVITE. FELI
E CES. MONEO. MORS. OMNIB
INSTAT. EXEMPLVM
A. NOBIS. DISCITE. QVI
LEGITIS

Ad S. Dionysium.

LEO. XV. APOL. LX. VII
AFER. DECVR. XXVI

In pago portus prope Liniacum.

L. ANNIVS
GENETIVS
DECVR. VERON
SIBI. ET. L. ANNIO
MARCELLINO. PATRI
ET. VALERIAE. HOEBADI
VXORI
QVAE. INCIDI. CVRAV

Coloniolæ.

PLAVTIAE
TVLLAE. LICAS
PVBLICAE
DEC. DEC

DE

DE VERONENSIBUS MAGISTRATIBUS. Cap. XXXI. A



IN coloniis etiam supremus Magistratus erat, qui ius dicebat, ex ordine Decurionum lectus. Hi erant II. viri juri dicundo in paruis coloniis, IIII. Viri in maioribus; qui Consulum locum obtinerent. Veronæ, vt in aliis coloniis Transpadanis, IIII. Viros fuisse, colligitur lib. v. Epist. ad Atticum, Epistola, *Ad VI. Id Maij, quum has dabam litteras, Sulpicio & Marcello Cos.* Verba sunt Epistolæ: *Quum ex Epeiro redieris, de Republica scribas ad me velim, si quidem erunt, quos opperiare: nondum enim satis erat allatum quomodo Cæsar ferret de auctoritate perscripta. Eratque rumor de Transpadanis eos iussos IIII. Viros creare. Quod si ita est, magnos motus timeo &c.* In vetustis verò monumentis longè clarior eorum mentio est. B

Veronæ in arcu Leonum.

T. FLAVIVS. P. F. NORICVS. IIII. VIR. I. D

Nigranii.

CN. ARRIVS. CN. F
C. ÆSTRONIVS. IIII. VIR
I. D. V. F. A. P
Q. ÆR. SIBI. ET
CLODIÆ. HEDONI. CONIVGI
SANCTISSIMÆ. CVM. QVA
VIX. AN. XXXIX

C

De aliis verò Magistratibus vt Ædili & Curatore ærarii, mentio fit in his inscriptionibus.

S. Ambros. Valle Poll.

M. LAETIL. FAB
CASSIANVS. PRAEF
AEDILIC. POT. BRIXI
SIBI. ET. LAETIL. PRIMV
LAE. MATRI. KATINIAE
INGENVAE. VXORI
M. LAETIL. QVINCTIANO
LAETILIIS. FIRMINAE
ET. SEVERAE. FILIIS

Colioniolæ.

L. GEMINIVS
L. F. MESSIVS
VI. VIR
CVRATOR. AERARI
MEDIOL. HERCVLI
V. S. L. M

D

Brixiæ.

Q. MINICIO
Q. F. FAB. POB
MACRO
IIII. VIRO. VERON
Q. VERON. ET. BRIXI
MINICIA. FORTVNAT
MATER. FILIO. PIISSIMO
L. D. D. D

E

De

A De Collegis autem in his Inscriptionibus mentio est.

Veronæ in Basilica S. Stephani.

D . M
C.CALVENTI
FIRMINI
CVRATORES
INSTRVMENT
VERONENS
EX.NVMERO
COLLEG.FABR

Brixiæ.

D . M
SEXTIAE
TI.FIL
ASINIAE.POLLAE
M.NONI.ARRI
MVCIANI.COLLEGIA
IVVENVM.BRIXIAN
OB.MERITA

B Veronæ in æde S. Laurentij.

D. M.METELLVS.HAD M
RIANVS.SIBI.MAGIS
V. TER.COLLEGII.CENTONA F
RIORVM.CANDIDATVS.EX.DE
CRETO.EORVM.LOCVS.EMPTVS.

DE FLAMINE, ET VI. VIRIS AVGVSTALIBVS AVGVSTI, & reliquis Sacerdotiis Veronensibus. Cap. XXXII.

C POST Augusti mortem atque consecrationem in omnibus orbis Romani coloniis & municipiis, quemadmodum Romæ, nouum in Augusti honorem sacerdotium institutum est. Nempe Flamen vnus, & VI. viri Augustales, ob idvocati, quod sacra Augusto facerent in ea colonia. De quibus frequens mentio est in vetustis inscriptionibus.

Veronæ in ædibus Tunianor.

C.MARCIVS
THERMI.L
CALLISTVS
D VI.VIR.ET
AEMILIA.PLAC.L
EVCHE.VIVI.FEC

Veronæ

C.CORNELIVS.C.L.HANN
IIIIII.VIR.SIBI.ET
CASTO.ET.DOMESTICO.L
T.F.I

Ad S. Georg. Valle Pollic.

SEXT.CARIAVS
SEXT.FIL
FIRMINVS.FLAMEN
ET.POMPONIA.PONTI.FIL
SEVERA.FLAMEN

Ad S. Mariam de Frata sub ara.

SEX.RVBRIO.SEX.F
POB.FESTO
FLAMINI.ROMAE.ET.AVG.
D.D

E *IN QVAM TRIBVM VERONENSES CIVITATE DONATI relati fuerint. Cap. XXXIII.*



CVM ex antiquo instituto populi Romani omnes ciues Romani, vel ciuitate donati vt in aliqua ex triginta quinque (tot enim Romæ numerabantur) tribu essent necesse foret, Pediano auctore: Transpadani quoque ciuitatem Romanam consecuti in varias distributi tribus per singulas ciuitates fuere, in quibus scilicet censerentur & suffragium comitiis ferrent, vt ex antiquis epigrammatibus accuratè obseruaui. Ex his autem Veronam & Tergeste in Pobliliam; Ateste, in Romitiam; Pátauium & Brixiam, in Fabiam; Comum, & Mediolanum, in Oufentinam; Bergomum, in Veturiam relatas fuisse obseruo. Ac Veronam

romam quod attinet, eam fuiſſe in tribum Pobliliam vel Publiliam relatam, ex his antiquis A
inſcriptionibus, quæ Veronæ adhuc extant, intelligitur.

In clauſtro monaſt. S. Zen.

SEMPRONIVS
C.F.POB
REATINA

Ad S. Proculum.

V.F
L.OCTAVIVS.L.F.POB
MARCELLINVS
BENEFICIARIVS.PRAETOR
PVB.L.VOCATVS
T.F.I.

In pariete domus Leonardi Sereuci prope Cathedral.

Q.CAESIO.Q.F
POB.SIGNIF
M.CAES.Q.F
POB.VETERANIS
LEG.XIIII.GEMIN
Q.CAESIVS.Q.I
PRIMVS

Ad S. Mar. antiqu.

Q.SALASIO.Q.F.POB
LVCILIAE.VX.SORORI
EIVS
PAVLLVS.L.F.FECIT.ET.SIBI

In ædibus Gypſiorum.

V.F
M.QVINCTIVS.P.F
POB.MODERATVS B
P.QVINCTIO.POLLIONI
PATRI.F

Villæ nouæ.

L.OCTAVIO.L.F.POB
SEVERIANO.LEG.QVI
VIXIT.ANNIS.XXI.DIEBVS
XXVIII.L.OCTAVIVS
SEVERVS.ET.TRATORIA
SEVERA.PARENTES
INFELICISSIMI C
FILIO.DESIDERATISSIM

QVAE VRBIS VERONENSIS CONDITIO FVERIT POST adeptam ciuitatem. Cap. XXXIIII.



POST ciuitatem Romanam Veronenſibus à Cęſare Dictatore, vt reliquis Tranſpadanis, conceſſam, ſtatim bella ciuilia exorta ſunt, quæ duorum & XX. annorum ſpatio ſub Cæſare ac Pompeio, Antonio, Octauio, Bruto & Caſſio, totum fere terrarum orbem confecerunt. Victo poſterius ad Actium Antonio, eoque occiſo, quum Auguſtus Cæſar vnus relictus fuiſſet, nullaque eſſent amplius publica D arma, quum ferociſſimi quique aut proſcriptione, aut bellis ciuilibus cecidiſsent, atque ipſe poſito III. viri nomine imperium populi Romani ex S. C. ſuſcepiſset: populo denique Romano terræ mariſque domino orbis vniuerſus altiſſimâ pace frueretur: vrbs quoque Verona, quam ſcriptor illorum temporum Strabo ampliſſimam vocat, maximè adaucta & more Romano exornata eſt. Nam tum propter populi frequentiam, qua mirum in modum creuerat, Romanis artibus moribus mutuatis, Theatrum, Amphitheatrum, Ludus, Porticus, Arcus, Pontes, aliaque Romana ædificia marmorea in vrbe conſtructa ſunt: de quibus omnibus ſequenti libro tractabitur.

E

FINIS LIBRI SECVNDI.

ONV-



ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FR. EREMITÆ AVGVSTINIANI ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER III.

DE PVBLICIS VERONENSIVM SVBSTRVctionibus. Cap. I.



C OST bella ciuilia ab Augusto confecta, quum is pace populo Romano terra marique parta, imperium Romanum constituisset, atque ex S. C. populique iussu vniuersæ reipublicæ curam ad se vnum transtulisset, à belli ad pacis artes conuersus est, atque vt inquit libr. v. Strabo Vrbem quam lateritiam inuenerat, bellisque ciuilibus deformem, marmoream restituere cępit. Veteres enim Romani, Vrbis pulchritudinem contempsêre, quum maioribus magisque necessarijs animum adiecissent. Posteri verò, & ij pręsertim qui Augusti fuêre temporibus rem à maioribus neglectam excepêre, innumerabilibusque & præclarissimis Vrbem Romanam impleuerunt ædificijs. Nam Cæsar Octauius, eius filij, familiares, vxor, sororque cunctorum studium simul & impensas ad apparanda Vrbis decora fuerarunt. Tum enim Circi restituti vel de nouo

D facti, Theatra tria; idest Balbi, Marcelli, & lapideum Amphitheatrum vnum Tauri Statilij, Fora, Basilicæ, porticus, Mausolea, Ædes, templa, Thermæ, Aquæductus, Viæ, Cloacæ, & alia eiusmodi ingentia ædificia in Vrbe construi cœpta, quum pax otiumque orbem vniuersum Romanum tenerent. Hinc Tranquillus in Augusto cap. XXIX. *Publica opera plurima extruxit, ex quibus vel præcipua forum cum æde Martis Vltoris, Templum Apollinis in palatio, Templum Tonantis Iouis in Capitolio,* & infra. *Quædam etiam opera sub nomine alieno Nepotum scilicet & vxoris sororisque fecit, vt porticum Basilicamque Lucij & Caij. Item porticus Liuiæ & Octauiæ, theatrumque Marcelli. Sed & cæteros principes viros sæpe hortatus est, vt pro facultate quisque monumentis vel nouis, vel refectis & excultis Vrbem adornarent, multaque à multis extructa sunt, sicut à Martio Philippo Aedes Herculis & Musarum, à L.*

E *Cornificio ædes Dianæ, ab Asinio Pollione Atrium libertatis, à Munatio Planco ædes Saturni, à Cornelio Balbo Theatrum, à Statilio Tauro amphitheatrum, à M. vero Agrippa complura & egregia.* Vrbem Romam communem omnium vrbium & præsertim Italicarũ tum matrem, eius quoque Coloniæ, cuius tamquam paruæ effigies esse dicebantur & municipia terræ Italiæ præsertim æmulata sunt pro singularum modo virium. Insigniaque publica, more Romano in singulis ædificia, vt Theatra, amphitheatra, Circi, arcus, Thermæ, Gymnasia, aquæductus, ædes, basilicæ, fora, porticus, ludi, & aliæ eiusmodi fabricæ certatim construi cœptæ. Accessit quod vrbibus ipsis ad id sponte sua incitatis, Augustus quoque calcaria addidit. Quod Suetonius indicat: quum ait: *Italiam duo de triginta coloniarum numero deductarum frequentauit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit, etiã*

iure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua adæquauit, excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus Vrbanis Decuriones Colonici in suam quisque Coloniam ferret, & sub die Comitiorum aßignanda Romam mitterent. Inter cæteras porrò terræ Italiæ Colonias, quæ in publicarum fabricarum extructionibus Vrbem æmulata fuerit, omnium dignissima Verona fuit, quum ædificia pæne omnia vrbana, etiam Veronæ erecta fuerint. Nam Theatrum in quo ludi Scenici fierent, amphitheatrum in quo munus gladiatorium ederetur, Compita in quibus compitalitia celebrarentur, Naumachia vbi pugnæ nauales spectarentur, ludi in quibus Gladiatores exercerentur, Aquæductus, Basilicæ, fora, & alia eiusmodi quemadmodum etiam Romæ, Veronæ quoque à IIII. Viris, & Decurionibus ex Augusti Cæsaris auctoritate extructa. De quibus singulis verba facturus à Theatro incipiam. A

B

DE THEATRO VERONENSI. Cap. II.

QVANDO primum Theatra instituta fuerint, quæ eorum fabricandorum ratio, quibus potissimum ludis vsui, & qui ipsi ludi fuerint, satis docui altero de ludis antiquorum libro, in quo de ludis Theatralibus, vel Scenicis ad longum verba feci. Hoc porrò loco, his omnibus præsuppositis, tantum Theatri Veronensis constructionis tempus, locum, & rationem exponam, nã reliqua à libris de ludis peti possunt. Hęc nobilissima moles proculdubio (quamquam certa non admodum extent monumenta) à Republica Veronensi excitata fuit Augusto Cæsare rerum potiente, quo etiam tempore, vt ex obscura relatione maiorum, & publicis Veronensium annalibus etiam amphitheatrum constructum est. C In vetustissimis enim Vrbis nostræ Chronicis ita legi. *Labyrinthus, qui modo Harena dicitur, ædificatus fuit tempore Octauiani Imperatoris, cuius anno* XLII. *D.N. Iesus Christus natus est*; & rectè; nullum enim tempus fuit, quo aptius eiusmodi machinæ construi possent, quam id, quo Romę etiam primum excitatæ sunt, cuius Veronenses morem æmulati, hæc & ipsi publica opera ęre publico condiderunt. Theatrum quoque ipsum Augusti tempore potissimum erectum, pręter ea quę dixi, non paruum testimonium est vetustissimum epigramma, quod quum pars pontis lapidis, qui eiusdem Theatri erat, fluminis vi corrupti instauraretur, inter alia euulsa marmora inuentum est ita.

OCTAVIAE. C. F. D

ET. SOROR. CARISS

Augustus enim & Octauiam carissimam sororem habuit, & C. Octauij filius fuit. Hęc ex M. Marcello filium Marcellum genuit Augusto gratissimum, cuius pręproperam mortem Virgilius lib VI. elegantissimè deplorat. Adde quod ab huius Octauię nomine Augustus ędem, porticum, Basilicam, & alia complura publica ędificia Romę quoque condidit, quę omnia Octauię appellata sunt. De quibus frequens est apud Plinium lib. XXXIV. & XXXV. mentio. Theatrum autem Veronę, vt ex ingentibus adhuc vestigijs, ruderibusque apparet, fabricatum fuit in montis ad id à natura vt videtur comparati crepidine, vbi nunc est Cœnobium & horti Iesuatorum Fratrum Athesi Fluuio imminens. Ibidem enim in summo monte adhuc extant duæ planities altera alteri imminens, quarum parietes lapidibus tessellatis subtili arte crustati videntur, hę duarum porticuum solum supra Theatri caueam existentium erant. E Ibi enim columnarum, capitularum, basium, peristyliorum porticuumq; vestigia etiam supersunt. Ibidem est quoq; & epystilium pulcherrimum. Ab his porticibus per gradus caueæ vsq; in orchestram, hinc in scenam quæ ante caueam erat descendebatur. Infra enim in vetustis quibusdam ædibus adhuc integri sunt elegantissimi fornices, altero alter inferius dispositi pro cauea gradibusq; constituendis fabrefacti. Caueę porro alterum latus in meridionali parte prope Cœnobij Iesuatorum portam, alterum in eiusdem monasterij hortis inferioribus terminabatur. Extant enim nunc etiam fundamenta. Area in qua Cœnobij pars condita est orchestra erat. Post proferebatur pulpitus, vel pergula; hinc

A la, hinc podium, deinde proscenium, postremo scena recta. Horum omnium etiam in ipsis parietibus vestigia extant. Pone scenam ab eius tergo duæ amplissimæ porticus fluuio imminebant. Rudera enim antiquissima ibidem existentia illud demonstrant. Quarum extremitatibus ad Orientem S. Ioannis, ad Occidentem vero Vallis Dominica suberant, hæq; iucundissimo aspectu intuebantur. Earum porticuum adhuc reliquiæ cum denticulis & coronis pulcherrimis hinc inde collabefactatæ supersunt. Ab vtroq; scenæ, & porticuum cornu pontes duo vltra Athesim producti erant, quorum alter versus Septentrionem adhuc extat, alter meridiem versus prope Basilicam S. Anastasiæ vi fluminis anno MCLIII. die Ascensionis Dominicæ, vt in annalibus nostris est, & maiorum incuria quamquam collapsus sit, eius tamen in flumine ingentia vestigia etiam spectantur. Eius qui superest pontis, B qui lapidis dicitur, duo adhuc fornices marmorei Theatrum versus vetustissimi videntur. In cuius secundi claue ex marmore pario Neptuni cum tridente effigies incisa est. In vtroq; Theatri porticuumq; cornu, duo limpidissimi fontes fluuiorum magnitudini proximi, alter à Paronæ pago tribus passuum millibus distans, ad Septentrionem; alter vero à monte Aureo pari distantia ad alterum cornu subterraneis formis deducebantur. Inde in lacum, qui ante theatrum inter duos pontes factus erat demissi (Athesis enim tunc, vt supra dixi, non eum, quem nunc tenet alueum, sed extra vrbem ad Orientem labebatur) lacum reddebant edendæ naumachię ludisq; naualibus percommodum, quò è pontibus ipsis, duabusq; pone Theatri scenam porticibus amplissimus prospectus erat. Ex his rebus Theatri nostri magnitudinem & elegantiam, existimari satis liquet. In Theatro vero Ludi Scenici, qui & Theatrales dicebantur, fiebant ab histrionibus mimisq; comœdiæ, tragœdiæ palliatæ, togatæq;, C Atellanæ, versus fescenini, & cætera eiusmodi recitabantur cum populi oblectatione. In eo erant porticus, cauea, orchestra, chorus, pulpitus, scena, proscenium, ttipoditeria, & alia eiusmodi, de quibus in libris de Ludis antiquorũ verba feci. Hoc Theatrũ olim quũ Christianorum primæ ecclesiæ temporibus in vsu esse desiisset, ideoq; eius restitutioni minus ciues incumberent, magna ex parte temporum vetustate labefactatum est. Eius vero pars, quæ temporis iniuriæ supererat, hominum superiorum ætatum fatali ignauia, misero certe & funesto casu, destructa est, Rege Berengario, qui tum vniuersę imperitabat Italiæ, iubente, vt ex Regis ipsius edicto, quod eiusmodi est, intelligi potest.

In Nomine Domini Nostri Iesvs Christi Dei Aeterni
D Berengarivs Rex.


Quia euenit nuper, in ciuitate Veronæ, vt pars quędam medij Circi, quæ Veronæ subiacet castro, præ nimia vetustate corruerit, collidens cuncta sub se posita ædificia, hominesq; cunctos pæne quadraginta attriuit, subita morte condemnans. Idcirco præsentis Adeleardi Episcopi S. Veronensis Ecclesiæ, cunctiq; cleri, & totius eiusdem populi ciuitatis, nouerit sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumq; fidelium præsentium scilicet & futurorum industria, prædecessorum quoq; omnium amore, nec non pro animæ nostræ remedio, Nos Sanctæ Dei Ecclesiæ Veronæ, ac cuncto clero, & totius ciuitatis populo, &, cunctis sub ipso castro morantibus per hoc nostræ auctoritatis præceptum commisisse, quatenus vbicumq; ædificium E aliquod publicum ponti pertinens, ruinam minatur, aut alicui videtur, vt in ruina eiusdem quomodocumq; sit, damnum futurum, liceat eis omnibus tam prædictæ Ecclesiæ cum clero, quam cuncto eiusdem ciuitatis populo, absq; vlla publicæ partis offensione, ipsum ædificium publicum vsq; ad firmum euertere, in nullo eis sit trepiditas damni, eo videlicet ordine, quo cernes, nec quilibet publicus exactor quempiam hoc agentem condemnare, aut alieni quicquam audeat ex hoc inferre molestiæ. Contra quod auctoritatis nostrę præceptum, si quis impugnare tentauerit, aut aliquem ex prædicto negocio molestare præsumpserit, vel vllam inferre calumniam, ne quod cœperat perficere possit, vtq; conatus eius redigatur ad nihilum, sciat se compositurum XX. libras auri obryzi, medietatem parti nostræ, & medietatem cui ex hoc aliqua fuerit illata molestia. Vt hoc autem verius credatur, & diligentius ab omnibus obseruetur, manu propria roborantes annuli nostri impressione duximus insi-

gniri. Datum IIII. Nonas Maij Anno ab incarnat. Dominica DCCCXCV. Anno vero regni Berengarij Serenissimi Regis IX. Indictione XIIII. Actum Veronæ in Dei nomine fęliciter. Ex huius autem edicti occasione, integrum ad solum vsq; theatrum euersum est, atque in eius ruinis priuatę ædes multę conditę, ita vt nulla ferè eius pars, nisi tenuia aliquot vestigia viris tantum doctis cognita supersint. In cuius Theatri summo supra caueam videlicet Templum Iani fuisse, absq; auctoritate veterum Torellus refert, clauis marmoreę ingentis fornicis coniectura ductus, quę in pariete turris templi Diui Petri in arce fixa adhuc extat Tauri capite exculpto ornata, quę procul dubio alicuius theatri arcus fuit. Ego vero vt templum aliquod in summo monte theatro imminens fuisse haud abnuerim: loci enim situs & vestigia id indicare & requirere videntur, vt quondam fuit Romę Theatrum Pompeij, ita illud Iano dicatum sine aliquo veteris scriptoris, vel monumenti testimonio nequaquam affirmarim. Cęterum quo res tota facilius ab omnibus percipiatur, omnia in tabella diligentissime picta, quemadmodum antiquitus erant, vt ex ruinis adhuc apparentibus conijci potuit, atq; ex Vitruuij scriptis, vbi de Theatrorum constructione loquitur, & Plinij testimonio, vbi de C. Curionis duobus Theatris, in vnum amphitheatrum coeuntibus verba facit, elicitum est, Ioannis Caroti pictoris graphidis peritissimi opera facta subijciam. Nam reliqua quę de Theatro & eius ludis, scenicisq; histrionibus, & comœdijs tragœdijsq; quę in eo recitabantur, fabricę quoq; ratione dicenda essent, diligens antiquitatum inuestigator à libris quos de antiquorum ludis edidi, petere poterit, mensuram tantum Theatri expediam. Verum ne circa perticam in mensuris quis fallatur, quum eadem apud diuersos non sit, ipsius longitudinem, qua passim in Veronensi agro vtuntur ante exponam, illud monens, hęc omnia ædificia, quę hoc libro continentur ea dimensa fuisse. Pertica igitur in sex pedes diuiditur, quorum quilibet in XII. particulas diuiditur, quę vncię dicuntur, quęlibet vncia in quattuor deinde minutas partes secatur, quę minuta vocantur. His igitur cognitis scitu dignum est, Theatrum ipsum ab Aquilonari cornu ad meridianum, pedum CCCLX. longitudinem continuisse. A summo verò Theatri monte, vsq; ad imum ad Athesim CCCXL. pedes in latitudine memorantur. Eius suprema porticus in montis summo constituta latitudine XXV. pedum erat. Intercolumnia parietis porticus, columnis tum rotundis, tum quadratis, cum epistylijs Doricis terminantur. Quarum rotundæ ac longiores per duas partes extra quadratas breuiores porrectæ sunt. Longiorum crassitudo pedis vnius ac vnciarum V. Altitudo vero pedum XIII. vnciarum duarum est. Capitum vero est vnciarum nouem. Quibus longioribus columnis vtrinque aliæ angulares latitudinis pedis vnius vnciarum VI. crassitudinis vero vnciarum sex adhærent, cum capitulis altis vncijs II. Istis vero aliæ angulares vnciarum quælibet X. latitudine, crassitudine vero sex iunguntur. Intercolumniorum spatium pedibus III. vncijs VI. in latitudine includitur, pręter tamen quartum quemq;, vbi duę tantum angulares columnę sunt crassitudinis pedum II. vnciarum V. longioribus columnis inhęrentes. Huius spatium est pedum V. vnciarum trium, quemadmodum in tabella cerni potest. Sub hac erat & alia porticus in multa intercolumnia diuisa, quorum tria fornicata adhuc visuntur, alternatim tamen insunt modo duo, modo sola angularia intercolumnia cum epistylijs Doricis superioribus, non sine symmetria, vt in deformatione obseruatum est. Ex hac porticu inferiore, in ambulatorium seu aliam porticum caueę eminentem scalis descendebatur, cuius latitudo intra columnas est pedum IX. Graduum deinde sequuntur ordines caueę in monte excisę impositi à summa eius porticu in orchestram protensi. In orchestra pedum X. modulus inuenitur, vnde lineis diligenter deductis dimetientes totius Theatri commensuratio, ac symmetria ad amussim repetta sunt. Columnę scenę circumductę crassitudine erant pedum duorum vnciarum VI. extraq; per duas tertias in rotunditate porrectę cum epistylijs doricis, columnisq; angularibus fornices suos sustinentibus cum capitulis. Ianuarum vero principalium quibus à scena in proscenium transitus erat, pedum X. vnciarum VI. latitudo reperitur, quæ quidem in proscenij capite existunt. In scenam autem tribus portis ingressus erat è porrectiore porticu Athesi imminente,


Back of
Foldout
Not Imaged


IOANNES CAROTVS VERONENSIS PICTOR ET ARCHITETVS INVENTOR


The



Back of
Foldout
Not Imaged


pag. 93. A


ia.





Amphitea




Back of
Foldout
Not Imaged



Amphiteatrum Vetus integrum.


LXVII
LXVI
LXV

Back of
Foldout
Not Imaged

Ichnographia T




PIEDI
X



A nente. Columnæ autem quadratæ in amnis ripa collocatæ porticus exteriores sustinentes singulis lateribus sex pedum latitudine sunt. Atq; hæc est vniueri Theatri accurata à Caroto facta commensuratio, vt ex subiectis eiusdem tabellis distinctius cognosci & percipi potest, quibus & in vniuersum, & in partes delineatum est.

DE AMPHITHEATRO VERONENSI. Cap. III.

ILLO eodem tempore, quo Theatrum, Amphitheatrum quoq; Veronę ære publico à Decurionibus ex Augusti Cæsaris auctoritate constructum fuisse, pręter ipsam temporum rationem, quæ id maxime postulare videtur, referunt etiam B annales vetustissimi Veronenses, vt supra dixi, & vt mox referam Cyriacus Anconitanus in Itinerario. In Amphitheatris porro gladiatorum munera apud Romanos exhiberi solita satis manifestum est, quorum genera octo erant, Thraces, Mirmillones, Galli, Retiarij, Samnites, Crupelarij, Rudiarij, Sequutores, & qui cum bestijs pugnabant Bestiarij vocati, de quibus Tranq. in Claud. cap. XXXIIII. Cęterum de omnibus his gladiatorum generibus, quis primus Romæ Gladiatorium munus dederit, de eorundem pugnandi ratione, de locis in quibus præcipuè decertabant, quo tempore, & cuius rei vsui inter sese pugnarent, item de amphitheatri primo conditore, eorundemq; fabricandorum ratione, quum satis tertio de ludis antiquorum libro disputauerim, hic nihil de ijs rebus verba faciam, sed tantum quę ad amphitheatri nostri rationem intelligendam faciunt C afferam. Quod ædificium publici muneris edendi caussa factum Coloniæ omnes ab Vrbe Roma mutuatæ sunt, vt pleraq; alia, de quibus supra dixi. Eiusmodi vero publica ædificia à Romanis suscepta in Colonijs passim excitari solita, pręter eorum quę adhuc Polae, Veronę, Spoleti, Puteolis, & alibi per Italiam supersunt vestigia, docet etiam C. Plinius Epistola XLI. ad Traianum sic: *Theatrum domine Niceæ maxima iam ex parte constructum imperfectum tamen, HS (vt audio, neq; enim ratio plus excussa est) amplius centies hausit, vereor ne frustra. ingentibus enim rimis descendit, & hiat, siue in caussa solum humidum & molle, siue lapis ipse gracilis, & putris, dignum est certe deliberatione, sitne faciendum, aut sit relinquendum, an etiam destruendum; nam fulturæ, ac substructiones quibus subinde suscipitur, non tam firmæ mihi quam sumptuosæ videntur. Huic theatro ex priuatorum pollicitationibus mul*D*ta debentur, vt Basilicæ circa, vt porticus supra caueam, quæ nunc omnia differuntur cessante eo, quod ante peragendum est.* Eadem igitur ratione & amphitheatrum ipsum Veronæ in foro Boario paulo extra Vrbis moenia extructum est, in quo munus gladiatorium ederetur, more Romano. Amphitheatra porrò paulo extra vrbes condi solita id quod Polę adhuc extat, & eiusmodi Taciti lib. XIIX. testimonium docet. *In eo certamine* (inquit) *pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros Placentiæ conflagrauit, siue ab oppugnatoribus incensum, dum faces & glandes ac missilem ignem in obsessos iaculantur, siue ab obsessis dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad suspiciones fraude illata ignis alimenta credidit à quibusdam vicinis colonijs inuidiæ æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. Quocumq; casu* E *acciderit, dum atrociora metuebantur in leui habitum, reddita securitate tamquam nihil grauius pati potuissent merebant.* & paulo post: *Othone à Vitellio prælio Bebriacensi victo, legiones Othonianæ dimissę, prima classicorum legio in Hispaniam, Vndecima ac Septima suis hibernis redditę, Tertiadecimani struere amphitheatra iussi. Nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ spectaculum gladiatorum edere parabant.* Veronense igitur Amphitheatrum paulò extra vrbis muros erat solido & patenti campo impositum, atq; è lapide qui proximis montibus in agro Veronensi exciditur fabricatum. Exædificabantur enim à Colonijs, & municipijs eiusmodi moles & lapideæ, & lateritiæ pro ciuitatum facultate, nobilitate, atq; amplitudine. Hoc enim & amplum & marmoreum est, tum quod vrbs amplissima esset, tum quod in agro Veronensi non solum marmora alba, verum etiam nigra & rubea, & varij coloris insigniaq; etiamnum multis in locis excidantur. Quorum alia durissima, alia mediocria, alia mollia,

mollia, nec ab vrbe multum distantia, quæ amni proxima, paruo in vrbem vehuntur ære. A
Vnde etiam Respublica Veronensis omnia fere ædificia publica marmorea erexit, Augusto (vt dictum est) iubente. Huius Amphitheatri meminit Cyriacus Anconitanus vetustus scriptor in libro suo, cui titulus est Itinerarium, his verbis. *Et deniq; Veronam feracissimam & antiquam ciuitatem venit, vbi non exigua veterum monumēta comperit, præsertim labyrinthum, quod Arena nunc dicitur, & habetur quod constructum fuerit anno imperij Octauiani Augusti* XXXIX. *ante natalem Christi diem tertio; cuius pars exterior terræmotibus corruit, & nunc conspicitur locus rotundus Arenæ per totum magnis saxis vndiq; constructus, & (vt ita dicam) perfilatus, quum intus cubalis & antris multiformiter redimitus sit. In huius autem rotunditate extant scalæ magnis lapidibus appositæ, quæ quanto magis in amplitudinem protenduntur, tanto magis in rotunditatem videbantur ampliari, & sicuti nonnulli referunt, quinquaginta cubitis in altitudinem extenditur. In cuius summitate quidam locus magnus & nobilis multiformis elaboratus marmoreo lapide circum circa redimitus erat.* & vere amphiteatrum ipsum eo fuit tempore ędificatum, vt ex his, quæ iam dicta sunt, perspicitur. Munus porrò gladiatorium in Amphitheatri peculiari loco veteres edidisse, ita clarum apud omnes auctores est, vt aliquo testimonio id non egere existimem. Hinc C. Plinius Iunior libro VI. epistola vltima ad Maximum scribit. *Recte fecisti quod gladiatorium munus Veronensibus nostris promisisti, à quibus olim amaris, suspiceris, ornaris. Inde etiam vxorem tibi charissimam & probatissimam habuisti, cuius memoriæ aut opus aliquod, aut spectaculum, atq; hoc maxime funebre debebatur. Præterea tanto consensu rogabaris, vt negare non constans, sed durum videretur. Illud quoq; egregie, quod tam facilis, tam liberalis in edendo fuisti, vellem Africanæ quas coemeras plurimas ad præfinitum diem occurrissent, sed licet cessauerint illa tempestate detentæ, tu tamen meruisti vt acceptum tibi fieret, quod quo minus exhiberes, non per te stetit.* Illud quoq; animaduersione dignum, quod ego passim in omnibus historiis, & præsertim apud Herodianum Græcum scriptorem obseruaui, in Amphitheatris etiam venationes ferarum fieri solitas. De quibus satis in libris de Ludis dixi. Porrò autem quum Veronensium Amphitheatrum intra vrbis muros clausum fuisset, vsq; ad nostra sęcula permanet, quamquam temporum iniuria magna ex parte labefactatum. Nam anno Domini MCXXCIII. (vt in nostris annalibus legi) ingenti terræmotu terra Italia quassata, Veronę maxima pars porticus exterioris, & fornicum Amphitheatri, quam alam vocant, collapsa est. Ex cuius ruinis multa præterea tam publica, vt vrbis muris, & castrum vetus, quam priuata ędificia constructa. Amphitheatri descriptionem, & magnitudinem, quantamq; hominum multitudinem contineret, accurate sane fecit Io. Carotus, qui quum arcus supremos, medios, & infimos, primi & secundi parietis connumerasset, ianuasq; quibus in harenam ingressus est, alias quoq; portas, per quas patet ad gradus ascensus, ipsosq; gradus omnes sigillatim adnotasset, postremo verò longitudinem & latitudinem dimensus esset, totam hanc rem ita, peritissimè sanè & diligentissimè, retulit. Est enim vir & graphidis scientissimus, & veterum monumentorum perquirendorum studiosissimus. Cui vni prę omnibus patriam nostram debere multum existimo. Rem igitur omnem de amphitheatro sic tradidit. Amphitheatri exterior marmorea pars, quam alam vocant, in tres arcuum & porticuum ordines mira arte fabricatos, infimos, medios, & supremos altitudine pene incredibili extentos diuisa erat. Quorum ordinum vnusquisq; duos & septuaginta arcus continebat. Porrò autem inter summę porticus arcus singulos, statuę singulę elegantissimę, vt vestigia etiamnum edocent, erectę erant. Supra summam porticum singulis fornicibus imminebant singulę patentissimę fenestrę tot numero, quot arcus subiecti erant, nempe LXXII. Hę aulis ingentibus & cœnaculis toti Amphitheatro ad summum circumductis vsui erant, vnde extra & intra aspectus patebat. Quod ex ea, quæ nunc superest alæ parte accuratè examinata, facilè intelligere benè peritus antiquarius potest. Ima verò ad solum parte triplex porticus extat, exterior, media, & interior, quæ harenam seu amphitheatri aream circundat. Vnde per XIIX. portas, quæ circum amphitheatri molem appositæ distinctæ & loca-

A locatæ erant, aditus ad interiorem eius aream erat. Cuius longitudo perticarum Veronen-
sium XXXIX. latitudo vero XXII. & semis est. Ouali enim figura amphitheatri circuitus &
eius intima area est. Ab ima harena pro sedilibus XLII. surgit graduum ordo ad summum
tendens triplici porticui, quarum exterior interiore porrectior est impositus, quò triplici por-
tarum serie ascenditur. Quarum quælibet portas continet XVI. infimas, medias, summasq;
Ad imas per exteriorem mediam & infimam porticum, ad medias per exteriorem & mediá,
ad supremas per aliam porticum exteriori porticui impositam tendebatur, quamquam etiam
in gradibus ipsis scalæ fuerint, quæ ad supremam amphitheatri partẽ attinerent. Videtur &
arcuum ipsorum duplex ordo post porrectiores illis ipsis fere æqualium secundum eorundem
ordinem positus continens quilibet arcus LXXII. Quorum omnium cum exterioribus nume-
B rus est CCCLX. In gradibus porrò ipsis hominum XXIII. CIↃ. CXXCIV. Commode sedere potuisse
examinauit idem Carotus, si cuiquam hominum pedis cum semisse spatium tribueretur,
præter portarum interualla, ita enim mensurauit. Summus gradus in circuitu perticarum
CXLII. est, medius vero gradus idest à summo XXI. perticas CXLII. continet, cuilibet portæ
pedibus quinque cum sesquipede assignatis pro earum latitudine, quę quum numero XLIIX.
sint, passus XLIV. continent, quo numero duplicato, ita altitudine ipsorum duorum gra-
duum existente, fiunt perticæ XXCIIX. Gradibus porrò omnibus à summo ad nouissimum
computatis ad medij rationem erunt perticæ V. CIↃ. DCCXCVI. Atque pede cum dimidio sin-
gulis assignato, locus commode XXIII. CIↃ. CXXCIV. hominum capax erit. Aderant &
Cœnacula, aulęque summo amphitheatro circumductę, innumeræ multitudinis & ipsæ ca-
C paces. In media quoque harena, multitudo pœnè infinita contineri poterat. Atque hæc
est amphitheatri Veronensis ratio & mensura breui sermone à Caroto perstricta. Cuius
topographiam in tabella à Caroto sculpta accuratius contemplari poterit.

Amphitheatri porrò eiusmodi est mensura. Prima igitur angularis, vel primi ambitus
columna pedes VI. vncias VI. crassitudine, latitudine verò pedes VI. complectitur. Strata
XII. pedum latitudine sunt. Secunda alterius ambitus columna, ex omni latere pedes IV.
crassa est. Sunt duæ præcipuæ portæ ex vtroque amphitheatri capite locatæ, quarum vna-
quæque pedes XII. vncias VI. lata est; propinqui vero fornices à dextra & læua his inhæren-
tes pedes XI. vncias VI. patent. Reliqui omnes latitudine patent pedum XII. Qui omnes nu-
mero sunt duo & LXX. Ab imo solo ad summum fornicum primę porticus pedes sunt XXIIX.
D Secundæ vero XXVII. Gradus omnes numero sunt duo & XL. altitudine quilibet pedis vnius
vnciarum duarum, pręter vnum qui circa medium altus pedes duos vncias sex extat. Gra-
duum vero qui in scalas distributi sunt, singulorum altitudo est vnciarum VII. latitudo pedũ
II. præter vnum supremum, qui pedibus duobus vncijs VI. latus est, vbi porticus tertij ordinis
columnarum stylobatæ inueniuntur. Superest & quartus ordo, quo vela amphitheatrum
cooperientia extendebantur. Amphitheatri longitudo à secunda columna ad sextam XXIIX.
pedum est, quę sexta columna ex omni latere continet binos pedes. Secundæ stratæ pedum
nouenum vnciarum senum latitudo est. Septima columna pede vno, vncijs sex ab vno la-
tere, ab alio vero duobus pedibus extensa est. Primum cœnaculum pedum XVII. & vncia-
E rum VI. longitudine patet. Columnarum singulis lateribus vnciæ sunt XIIX. Tertia strata
latitudine est pedum nouenum. Columnæ autem pedem vnum vncias VI. latitudine pedes II.
crassitudine, lõgitudine verò pedes VI. obtinent. A nona columna ad oppositam aliam noná
vacuum, seu planicies cum podio pedes CCXLIV. occupat. A columna vero exterioris porti-
cus ad nouissimam interiorem pedes XCII. vnciæ sex sunt. Ex his igitur omnibus colligitur
amphitheatri longitudo, quæ pedum est CCCCXXIX. Vnde ipsius latitudinem cognoscere
cupiens, modulum eius si ceperit, qui pedes sunt XII. omnem dimensionem ac Symmetriam
comprӕhendet. Vt autem superioris arcus dimensio intelligi possit, omnes ipsius partes in
pedes, vncias, & minuta, vt natę opus est, sibiq; proportio diuisę sunt. Quapropter deinceps
vnusquisque è se ipso facile intelligere reliqua poterit. Pedis porrò quo Veronę vtimur figu-
ra hæc est. Atque eiusmodi est amphitheatri Veronensis.

VERONENSIS.

PES

DE

 A

DE LVDO PVBLICO. Cap. IV.


LVDVS non vnam habet significationem. Accipitur enim pro loco exercitationi cuilibet Gymnasticę deputato, vbi multorum hominũ conuentus ab vno eruditur pręceptore. Pędianus. Omnem scholam ludum dixere Romani. Ludus etiam pro loco dicitur, in quo quis exercetur doceturue. Sic dicimus ludum palestrę, ludum pilę, ludum gladiatorium, ludum musicum, ludum literarium. Ludus vero gladiatorius erat schola, in qua gladiatorię arti dabatur opera, gladiatoresque tyrones à lanistis peritis ludi magistris gladiatoriam artem edocebantur. Tranquillus in Cęsare cap. XXVI. *Gladiatores tyrones neque in ludo neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat*. & cap. XXXI. *Formam qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, considerauit*. Romę porro multi gladiatorij ludi fuisse memorantur, vt Æmilius, Dacicus, Magnus, Matutinus, & alij eiusmodi, in quibus gladiatores exercebantur. Veronę autem, quum ibidem amphitheatrum esset, & ludum publicum fuisse gladiatorię arti adscriptum, ex antiquo hoc epigrammate paulo ante in antiqui muri ruderibus inuento liquet. B

In ędibus Io. Baptistę de Hortis propè Castrum vetus.


LVCI.L.IVSTINVS
EQVO . PVBLICO
HONORIB.OMNIB C
IN.MVNICIP.FVNCTVS
PARTEM.IN.PORTICV.QVAE
DVCIT.AD.LVDVM.PVBLICVM
COLVMN.IIII.CVM.SVPERFICIE
ET.STRATVRA.PICTVRA
VOLENTE.POPVLO.DEDIT

Hic autem ludus haud procul ab amphitheatro fuisse credendus est. Quo vero potissimum loco fuerit, obscurum.

DE CAMPO MARTIO, ET LVDIS CIRCENSIBVS. Cap. V. D


OMNIVM quę Romę edebantur ludorum celeberrimi & frequentissimi fuerunt currules & gymnici, à loco in quo agebantur qui circus vocabatur, Circenses appellati. His ludis curribus, bigatis, trigatis & quadrigatis aurigę, equis singularibus, & desultorijs agitatores, pedibusque cursores currebant, ludum Troię nobilissimi adulescentes equis cursitantes agebant. Athletę exercebantur, cursu, disco, saltatu, pugillatu, iactu, castribus, alijsque gymnicis certaminibus, venationibus amplissimis infinitę ferę conficiebantur, vt accuratissimè libro primo de spectaculis disserui. Hos ipsos ludos & Veronę fieri solitos haud dubium est, sed quo nam loco, non est ita certum. Nam Circi nullius nec vestigia quidem, E quod sciam supersunt, vel alicuius publici ædificij quod pro circo his ludis esset. Quare arbitratus sum, eos fieri solitos extra vrbem in Campo Martio, quo nec qui Romę erat, maior fuisse constat. Patens enim admodum campus est. In eo ligneis sedilibus fabricatis ludos gymnicos maiores nostros edere solitos credendum, quemadmodum & Romę sub Augusto factum fuisse refert Tranquillus in Augusti vita: *Athleta (inquit) extructis in Campo Martio sedilibus ligneis, item nauale proelium circa Tiberim cauato solo edidit*. Veronæ vero naumachia in lacu, qui ante Theatrum inter duos pontes erat, edebatur. & in Cæsare. *Athletæ stadio ad tempus constructo in regione Campi Martij certauerunt per triduum, Nauali prœlio in morem cocleæ defosso lacu, biremes, ac triremes, quadriremesque Tyriæ & Ægyptiæ clas-*


sis


Naum

...a.




C.GAVIO.C.F
STRABONI
M.GAVIO.C.F
MACRO


GAVIA . C . F.



A *si: imago pugnatorum numero conflixerunt.* Et in Claudio: *Edidit & in Martio campo expugnationem, direptionemque oppidi ad imaginem bellicam & deditionem Britanniæ Regum, præseditque paludatus.* Quę hoc loco idcirco addidi, quod eiusmodi ludi qui Romę campo Martio fiebant etiam Veronæ agebantur. Hinc enim illi campo Martii nomen tractum.

DE DVPLICI ARCV PROPE CASTRVM VETVS SITO. Cap. VI.

B EXTANT duorum veterum publicorum ædificiorum reliquiæ, quorum alterum pene integrum est, arcus duplicati forma, prope Castrum vetus, alterum verò omnino disiectum, cuius tenuia adhuc quædam supersunt vestigia, via curriculari haud longe ab æde D. Euphemię. Quod ad arcem veterem exstat partim combustum, partim deiectum, partim sepultum sub terra videtur. Duplex est arcus; occidentali enim parte quatuor etiamnum exstant columnæ striatæ, quarum extremæ in angulis sitæ, singulæ geminarum vicem præbent, quum & arcus lateribus & faciei vsui sunt. Inter has atque alias partibus arcus adhærentes exstant duo statuarum delubra, siue loculamenta, in quibus olim simulachra eorum potissimum fuisse credendum, qui arcum ipsum exstruxerint. Sunt subter à dextro latere hæ litteræ

C M.GAVIO C.F MACRO à sinistro autem C.GAVIO C.F STRABONI

Gens autem Gauia, vt posteriore libro ostendam, Veronę & vetustissima, & nobilissima fuit. Cuius in multis vetustis inscriptionibus frequentissima mentio est. Orientalis porrò arcus facies longe elegantior videtur. In hac etiam inter columnas in delubris duæ imagines erāt. A dextra parte litteræ ita leguntur GAVIÆ.C.F. A sinistra vetustate igneque consumptæ exoleuerunt. In postibus verò arcus vtrinque legitur.

L.VITRVVIVS
L.L.CERDO
ARCHITECTVS

D Hunc porrò Vitruuium quisquis ille fuerit (nam eum, qui de architectura scripsit, esse non existimo, quod ille M. non Lucius, pollio, non cerdo vocaretur, liberque & ingenuus nō libertus esset) peritissimus, certè architectus fuit. nam arcus ipse accuratissimè fabricatus est. Epistylia, Corona, Cymatium, denticulus, ac reliqua eiusdem ornamenta quàm subtiliter elaborata fuerint, architecturæ periti facile cognoscere possunt. Moles ipsa incendio, & vetustate tota fere disiecta est. Cuius delineationem, & in vniuersum & in partes Carotus peritissime fecit.

DE ALTERIVS DVPLICIS ARCVS RELIQVIIS. Cap. VII.

E VIA curriculari in quadriuio haud longe à basilica S. Euphemiæ, supersunt (vt dixi) adhuc aliquot veteris arcus fragmenta, muris priuatarum ædium affixa sine vllis litteris, quibus operis auctor elici posset. Hæc procul dubio, vt ex his quæ supersunt reliquiis intelligi potest, vetus & elegans moles fuit. Exstat ibidem Iouis Hammonis caput cornibus arietinis ornatum muro affixum, quod arcus fornicis clauis erat. Totum & in vniuersum & in partes Carotus delineauit, qualem antiquitus fuisse conjici à perito architecto potuit.

DE IANIS, SIVE EANIS, ET LVDIS COMPITALITIIS. Cap. VIII. A




IV & multum mecum ipſe cogitaui, quænam eſſe potuerint duo eiuſmodi ædificia, & cui potiſſimum vſui fabricata eſſent. Tandem in hanc ipſe deueni ſententiam, vt Iani duo peruii eſſent, ſiue Eani ab eundo dicti, quos in quadriuiis ab antiquis duas ob cauſas præcipue condi ſolitos inueni, primum vt ji clypeis, imaginibuſque illuſtrium virorum ornarentur, deinde vt in ijs Ludi Compitalitii laribus familiaribus inſtituti celebrarentur. Iani porro à Iano dicti ſunt, ſiue Eani ab eundo, quòd per eos iter hinc inde eſſet. Ianus autem ab hiatu dictus eſt detracta h aſpiratione, quem quidā Solem putarunt ideo Geminum, quia vtriuſque ianuæ cæleſtis potentem, qui exoriens aperiat occidens claudat. Alii Ianum mundum ideſt cælum intelligunt, quaſi Eanum ab eundo vt inquit Cicero lib. II. de natura Deorum, quia mundus ſemper eat, dum in orbem voluitur, & ex ſe initium faciens in ſe reuoluatur. Hinc & bifrons pingitur, duas enim facies ante, & retro habere dixerunt, quod annus ex ſe initium faciens fini occurrat, vel quod præſentia ſciuerit, & futura prouiderit, ſeu quod ſuperorum, & inferorum auctor exſtiterit. Hunc etiam quadrifrontem fecerunt, ob quatuor orbis partes, & Ianum Geminum vocitarunt. & Iunonium, quia Kalendarum princeps. Kalendæ enim ſunt Iunoni dicatæ. Ianus etiam antiquiſſimus Deus Italiæ dictus eſt, quòd Saturnum in regni ſocietatem adſciuit. Ob eius honorem primus anni menſis à Numa Pompilio Ianuarius dictus eſt. Hinc Ianus locus peruius, & in arcus formam quadriuiis, vel biuiis impoſitus dictus, vt Romæ, vbi fœneratores conſiſtebant in regione fori Romani, quoniam locus is peruius erat. Vnde Ouidius, B C

Qui puteal, Ianumque tenet celeres que Kalendas.


Iani etiam vt dixi peruiæ tranſitiones, foreſque in liminibus perforatarum ædium Iani vocabantur, Cicerone II. de Natura deorum auctore. Hi ad vrbium ornatum marmorei facti biuiis & quadriuiis imponebantur. Tranquillus in Auguſto cap. XXXI. *Pompeij* (inquit) *ſtatuam contra Theatri eius regiam marmoreo Iano ſuppoſuit, translatam è curia, in qua C. Cæſar fuerat occiſus*. & in Domitiano cap. XIII. *Ianos arcuſque cum quadrigis, & inſignibus triumphorum per regiones Vrbis tantos aut tot extruxit, ut cuidam Græce inſcriptum arcui ſit, Aream, & Caluitium. Loca porro in quibus Iani hi locabantur compita dicebantur, vnde & Compitales ludi, qui in his laribus fiebant*. Compita autē erant quadriuia. Vnde Virgil. II. Georgicorum. *Præmiaq; ingentes pagos et compita circū Theſcidæ poſuere.* Vbi Seruius: *Compita ideſt quadriuia, quæ compita appellantur ab eo, quod ibi multæ viæ in vnū confluunt.* De Compitis Liuius lib. XXVII. & XXXIV. meminit & Ouidius III. Amorum Eleg. I. *In multas compita ſecta vias*. & Cicero pro lege Agraria: *At hoc etiam æquiſsimi homines conſumptis patrimonijs fecerunt, vt in alijs auctionarijs potiuſque in triuijs aut in compitis auctionentur*. In compitis porro compitalia feſta, & ludi fiebant. *Quos*, vt Feſtus ait, *Conſules, vel Prætores pro arbitrio indicabant.* Hinc compitalilitius dies in quo eiuſmodi feſta celebrantur. Varro de ling. latina: *Compitalia Deis attributa laribus.* Cato cap. V. *Rem diuinam niſi in compitalibus in compito aut in foro ne facias*. Horum ludorum inſtitutionem refert Plinius lib. XXXVI. cap. XXVII. *Tarquinio Priſco regnante tradūt, repente in foco eius apparuiße genitale e cinere maſculini ſexus, eamque, quæ inſederat ibi Tanaquillidis reginæ ancillam Ocriſiam captiuam, conſurrexiße grauidam. Ita Ser. Tullium natum qui regno ſucceſsit, & in regia adhuc puero caput arſiſſe viſum, creditumque laris familiaris filiū, ob id compitalitia, & ludos laribus primum inſtituiſſe*. Hæc erant ludi & ſacrificia ſolemnia, quæ bis in anno in compitis viarum, biuiis, triuiis, & quadriuiis fiebant, vbi larium ſigna & ſimulachra in menſis poſita ornabantur, iiſque porci ſacrificabantur. Vnde Propertius lib. IV. el. I. *Parua ſaginati luſtrabant compita porci. Paſtor & ad calamos exta citabat ouis*. Ad quorum celebritatem eiuſmodi fornices & Iani extruebantur quadrati, quemadmodum hi ſunt. Compitalitia vero Macrobius primo Saturnalium à Tarquinio ſuperbo conſtituta D E

fuiſſe

Arcus Gallieni, seu portæ Bursareæ.



Arcus in regione leonum. P.99.B.





A fuisse laribus & matri deum Maniæ scribit, quibus papaueris capitibus pro hominum capitibus supplicabant. De Compitalitiis Varro: *Compitalia* (inquit) *dies attributa laribus sunt, vbi viæ competunt, tum in compitis sacrificatur, quotannis is dies concipitur.* Compita enim sub larium tutela fuisse Ouidius primo Fastorum libro ostendit his versibus.

Fitque grauis geminosque parit qui compita seruant,
Et vigilant nostra semper in vrbe lares.

Dionysius lib. IV. templa tradit jussu Ser. Tullij regis extructa fuisse in compitis omnibus, vbi anniuersaria sacrificia peragerentur à seruis, tanquam seruile ministerium Deo gratum esset. Tranquillus in Augusto cap. XXXI. *Compitales lares ornare bis anno instituit vernis floribus & æstiuis.* Porphyrio Horatianus interpres refert, lares & deos domesticos ab Augusto in
B compitis positos fuisse, & ex libertinis sacerdotes creatos, qui Augustales sunt appellati. Quorum in vetustis epigrammatibus creberrima mentio est.

DE ARCVBVS PORTÆ BVRSAREÆ. Cap. IX.

ARCVS qui nunc porta Bursarea dicitur, pro vrbis porta à Gallieno Imperatore positus, vt ex inscriptione liquet, longe antiquior Gallieno fuit. Nam ex alio quodam vetusto celebrique ædificio, ad eum locum transportatus est, quum is muros vrbis restitui curauit, vt vrbis porta esset. Hoc ex fundamē-
C tis ipsis, compagine ipsa, & operis varietate patet. Opus enim elegantissimũ est, Gallieniq; tempestate nobilius. Sunt geminæ portæ cum pulcherrimis striatis columnis, XII. fenestellis, subtilissima arte epistylia, coronæ, cymatiũ, denticulus, sima, trygliphi, & reliqua omnia incisa sunt. Illud enim tũ ex amphiteatri nostri ruinis, tum ex publicis, quæ Romæ sunt monumentis, satis constat, horum temporum homines, quum noua quædam vellent ædificia construere, vetusta diruere solitos. Sic Romæ Constantinus Traiani arcum destruxit, quo suum excitaret. In muris quoque vrbis nostræ pleraque saxa inscriptionibus signisque & amphitheatralibus numeris ornata inuenta sunt. Quibus quæ de Bursarea porta scripsi confirmari potest. Cæterum cur Gallienus eam fieri vrbisque muros refici curauerit libro IV. exponam. Huius portæ typum, quemadmodum & aliorum
D nostræ Vrbis veterum ædificiorum, Carotus accuratissime exhibuit.

DE ARCV MARMOREO LEONVM. Cap. X.

VERONAE in leonum regione, duo veterum fornicum fabricæ erant, altera lapidea, de qua nunc sermo est, altera lateritia, de qua post dicam. Lapidea eiusmodi moles in duos arcus, vt conijci potest, distincta erat, quam sumptibus suis Ti. Flauium Noricum IVvirum iuri dicundo Veronę exstruxisse, index declarat. Flauiorum porro gentem Veronæ nobilem fuisse, multa eius gentis monumenta, & inscriptiones declarant, quas in octauum librum conieci. Tranquillus quoque in
E Vespasiano, qui è gente Flauia Imperator creatus est, quosdam scripsisse refert, Proauum Vespasiani Augusti, *è regione transpadana fuisse mancipem operarium, qui ex Vmbria in Sabinos ad culturam agrorũ quotannis cõmeare soleret, subsedisse autẽ in agro Reatino vxore ibidem ducta.* Vnde haud difficile esset Flauiorum etiam, qui rerum potiti sunt, genus Verona oriundum fuisse. Arcus autem à Ti. Flauio Norico IVviro excitatus, pulcherrimus admodũ erat, totus marmoreus, fenestrisque multis ornatus. In cuius summitate sedile est columnis striatis exornatum. Altera porrò eius pars temporum incuria diruta est huic similis. Hic arcus publicum certe ædificium fuit, ad ornatum urbis potius, quam ad necessitatem paulo intra vrbis mœnia priuati ciuis ære erectum. Cuius delineationem accurate factam Carotus formauit.

DE ARCV LEONVM LATERITIO. Cap. XI. A


Vivs quoque arcus vix vestigia supersunt, qui quamquam lateritius, marmoreis tamen fornicibus concinnatus erat. Hic superiore antiquior est. Quod ex fabricæ ratione facile conjici potest, atque publicis mœnibus adiunctus, pro Vrbis porta aliquando in vsu fuit, ut ex vetere monumento quod supra retuli satis liquet, vocabaturq; recẽtioribus tẽporibus porta S. Firmi à proximo eius Diui tẽplo. Eum IVviri iuri dicundo, qui supremus Veronæ erat magistratus, exstruxerunt, quemadmodum ex vetustæ tabellæ fragmento ipsi affixo intelligi potest, in quo hi exarati sunt.

P.VALERIVS
Q.CÆCILIVS
Q.SERVILIVS
P.CORNELIVS

Hi enim procul dubio IVviri Veronæ fuerunt. Nam Romana nomina nõ in Italia solũ, sed per prouincias vsurpari cœpisse jã inde à Ciceronis tempore, ipse in Verrem docet. Præsertim quum ciuitate Romana donati, eorum, quorum opera ciuitatem obtinuissent, prænomina & nomina assumerent, sua vero vetera nomina pro cognominibus vsurparent vt sic. B

P.VALERIVS.VERECVNDVS
Q.CÆCILIVS.VALENS
Q.SERVILIVS.FELIX
P.CORNELIVS.NORICVS

Porrò autem quum eum paulo accuratius contemplarer, alteram lapideam tabellam ibidem fuisse didici, cuius pars exterior exoleuerat, & quamquam aliquot litterę cernerentur, nullus tamen sensus elici poterat. Dejecto vero pariete superior tabella concisa ibidem reperta est. Hunc etiam arcum Carotus formauit. C

DE RELIQVIS ANTIQVORVM ÆDIFICIORVM Fragmentis. Cap. XII.


Vigesimo anno ante Aromatarius quidam quum haud longe ab æde S. Thomæ cellam vinariam effoderet, regestaque humo ad altum decem pedes descendisset, columnæ pariæ frustum satis amplæ crassitudinis suæ basi affixum inuenit, ibique sex aliarum columnarum non procul distantiũ vestigia & ingentia frusta videbantur. Imago quoq; cataphracti viri marmorea, pars etiam fornicis mire sculpti, frusta multa simarum, coronarũ, denticulorum, Stylobatarum, epistyliorum accuratissime elaboratorum, cæterorumq; eiusmodi monumentorum reperta eo loco fuere. In alia porro cella vinaria contigua clauis supradicti arcus cernitur, in cuius inferiori parte sub conchyli aquila est trophæo subdita. Quę omnia quum ædificiorum maiestatem non mediocrem præ se ferant, atque propinquis ędibus ipsorummet monumentorum vestigia multa supersint, mihi procul dubio persuasi eas reliquias esse amplissimę porticus, vel basilicæ, quæ foro proxima erat, vt ex Vitruuij regulis obseruatum est. Nam forum antiquissimum vrbis alio in loco esse non potuit atq; nunc est, si intra vrbem fuit, quum media ipsa veteri vrbe etiamnum sit. Basilicæ igitur & porticus circumforaneæ ea vestigia erant. Quorum delineationem, cũ his de quibus mox dicam, Carotus suis tabellis perite admodum formauit, atque singillatim in hoc opere euulganda curauit. D E

In extrema etiam Leonum via forum versus haud procul ab ipsa S. Thomæ æde, dum alius quidam ciuis cellam vinariam effoderet, ingentis arcus fundamenta decem pedibus terra occulta, inuenisset, ibi stylobatæ erecti, ruinarumque varij generis vestigia suberant. Multa præterea alia inuenta sunt vetera monumenta, atque in dies singulos reperiuntur. Inter quę apud Cathedralem Ecclesiã nunc exstat marmorea illa columna quadrata altitu-

dinis

A dinis pedum XXIV. miro atque inenarrabili opere elaborata, quæ ingentis molis magnitudinem præ se fert. Item epistylium marmoreum in Trinitatis ęde, duoque alia in B. Zenonis Basilica antiquissima ex pario marmore mire sculpta, magnificentissimas fabricas, vt balnea publica, siue Thermas, Porticus, Fora, Basilicas, templa, lauacra, gymnasia, & alia eiusmodi ędificia publica arguunt, quę in Colonijs, & Municipijs more Romano passim extructa fuisse, apud veteres legimus auctores, quemadmodum etiam non longe ab eo maximum illud, mirabileque porphyretici marmoris aliud epistylium, eiusque basis eiusdē lapidis. Tota pręterea vrbe passim extant alia veterum & amplissimorum ędificiorū marmorea fragmenta admiratione dignissima, ad vanos & pudendos vsus ab imperitis ciuibus hinc inde per varia vrbis tam publica quam priuata loca transportata, vt columnarum stria-
B tarum, capitulorum, peristyliorum, arcuum, stylobatarum, parastatarum, & aliorum eiusmodi. Saxa etiam multa varijs imaginibus sculpta, partim temporum iniuria obsoleta, partim pristini decoris maiestatem aliquam adhuc retinentia, multę pręterea tam in vrbe, quam in agro etiam supersunt marmoreę inscriptiones, veterum ciuium amplitudinem indicantes. Nam nulla vnquam vrbis pars excauatur, quę non statim veterum monumentorum frusta & ingentes reliquias reddat. Quę omnia vetustatem, magnitudinem, opesque nostrę vrbis satis indicant. Quocirca Veronam quis iure dicere poterit, omnium Italicarū vrbium, pręter vnam Romam, nobilissimam fuisse, in qua vna post vrbem plura vetusta monumenta in dies inueniri liquet, quam in cęteris omnibus terrę Italię vrbibus, earū, quę à Veronensibus ciuibus excitatę sunt, fabricarum tenues quamquam, nobiles tamē reliquię.
C Quę temporum vi, & ciuium negligentia (non, vt plerique opinantur, Barbarorum furore, quibus nullum cum ędificijs bellum fuit) passim collapsa sunt, vt nulla amplius illarum vestigia aut facies exstet.


FINIS LIBRI TERTII.

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FR. EREMITÆ AVGVSTINIANI ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER IV.

A

CIVITATIS CONDITIO, ET GENTES PRÆCIPVÆ SVB Augusti Cæsaris imperio. Cap. I.

B



TOT igitur, tantisque publicis monumentis Verona decorata, altissima pace cum reliqua terra Italia Augusto Cæsare rerum potiente viuebat, his ipsis tantùm tributis, & vectigalibus grauata, quæ Reip. tempore Coloniȩ Latinȩ persoluebant. Quorum pars Romani ȩrario Principis, pars fisco Veronensis attributa erat, quibus publica quȩque ȩdificia extruerentur, & Reip. necessitatibus subueniretur, quum publice legati ad vrbem mittendi essent, magistratibus annua salaria persoluenda, vel alijs eiusmodi rebus vacandum esset. Erant porrò eo tempore Veronȩ plurimæ, & nobilissimȩ gentes in plures familias diuisȩ, vt ex eius vetustis epigrammatibus cognosci potest, quarum præcipue ex indigenis fuere Annia, Faleria, Flauia, Gauia, Hostilia, Plinia, & Valeria, reliquas vero, vt ex vetustis inscriptionibus obseruaui, ordine Alphabetico suggeram, tam indigenas, quàm eas, quȩ ciuitate donatȩ Romanarum gentium nomina, quarum interuentu forte in ciuitatem venerant, assumpsere. C

A
Æmilia Annia Dec.
Auenia
Arruntia
Aquilia
Æsia
Aurelia
Auidia
Arria
Atisia
Afinia
Agoria
Albucia
Altia
Alfia
Annia
Audasia
Antonia
Antistia
Ælia
Altia


Alennia
Appia
Ausilennia
B
Betutia
Blandia
Bellicia
C
Cornelia
Cȩcilia
Clodia
Claudia
Cæsia
Cassia
Cotia
Cantinia
Cœlia
Cabinasia
Cominia
Campilia

Curtia
Calpurnia
Caluentia
Cantinia
Cratullia
Castricia
Cincia
Cratia
Calidia
Castrucia
D
Domitia
Didia
Decia
Delphia
E
Euphemia
Egnatia
Egeria

F
Facidia Faleria Dec.
Ficaria Flauia Dec. D
Falania
Fabricia
Firmia
Fadia
Furia
G
Gallia Gauia Dec.
Gellia
Græcinia
H
Heluia E
Herennia Hostilia Dec
Hortensia
I
Iulia
Iuuentia
K
Karreia

Læti-

Arcus Iouis Ammonis in Via curriculari.





A

L

Lętilia
Licinia
Laponia
Liuia
Lucillia
Lęlia

M

Minucia Magia
Matronia
B Marcia Menatia
Maccia Minicia
Mauricia
Meſſia

N

Nouellia
Nigidia
Nonia
Nauinia

O

C Octauia

P

Pomponia Plinia Dec.
Poſtumia
Pontia
Plautia
Porcia
Poblicia
Papiria

Q

Quartua
Quartcia
Quinctia

R

Rufria
Rubria
Rutilia

S

Statia
Salaſia
Sextia
Stedia
Seia
Sempronia
Sueuilia
Spedia
Sueſtidia
Saufeia
Sulpicia
Sacidia
Suria
Seruilia
Salania
Sentia

T

Tatinia
Tructedia
Titia
Terentia
Tenatia
Traceia
Turpilia
Trebrenſia
Tituria
Tratoria

V

Verinia
Vlpia Valeria Dec.
Veſtidia
Vitruuia
Valentia
Varia
Venetia
Velia
Volteia
Veronia
Victoria
Viria
Viriatia
Vipſania
Vibia
Vitullia
Varilia
Veſia

Sub Auguſto porrò Æmilius Macer Veronenſis egregius poeta, qui carmine herbarum vire ſcripſit, auctore in Chronicis Euſebio, floruit. De quo plura libro VII.

DE D. N. IESV CHRISTI ORTV, ET QVO TEMPORE, AC quorum miniſterio Fidei Chriſtianæ pietas Vrbi noſtræ primùm inluxerit. *Cap. II.*

D CÆSARE Auguſto rerum potiente, quum pace populo Romano terra, marique parta, totius terrarum orbis tranquilliſſimè ageret, D. N. Ieſus Chriſtus humanum genus miſeratus carnem noſtram aſſumpſit, atq́, in Bethlehem Iudę ex incorrupta Virgine VIII. Kal. Ianuarias natus eſt. Fuit is annus Vrbis conditę DCCLII. Auguſto Cęſare XIII. & M. Plautio Siluano Cos. anno poſt Veronam Coloniam Romanam Latini iuris à Cn. Strabone Cos. factam, octuageſimo octauo, poſt ciuitatem vero Romanam ei à Cęſare Dictatore conceſſam, quadrageſimo octauo. Cęterum qua ratione is natus, educatus, atque primùm ſalutis viam prędicare cęperit, itemque pro humano genere redimendo cruci affixus ſit, tertiaque die poſt reſurrexerit, quadrageſima in cęlum aſcenderit, quinquageſima verò diuinum numen in diſcipulos infuderit, ex Euangeliorum, nouique Teſtamenti diuinis libris ſatis manifeſtum eſt. Quo verò tempore, & à quibus potiſſimum pietas Chriſtiana Vrbi noſtrę primùm illata fuerit, nunc exponam. Ti. Claudio Cęſare, & Nerone Imperatoribus Remp. Romanam obtinentibus, quum Diuino Spiritu accepto Apoſtoli ſeſe in varias orbis terrarum regiones, quas ſortitò obtinuerant, ad Chriſti Euangelium gentibus omnibus prędicandum contuliſſent, Diuinus Apoſtolorum princeps Petrus, cui totius Chriſtiani gregis cura à Chriſto commiſſa fuerat poſtquam ab Herodis carcere liber factus, Hieroſolymis relictis, prędicatione in Iudęa, Syria, Cilicia, Ponto, & Aſia habita, Romam venit, tunc orbis terrarum principem, Romanam etiam Eccleſiam in Occidente conſtruxit. Qua condita, eiuſque fundamentis altiſſimè, & firmiſſimè iactis, totius Italię ſalutis primùm, dein-

vniuerſę

vniuersæ Europę consulere cępit. Atque per varia, & diuersa loca, prouinciasque ad propagandam fidem Christianam multos discipulos dimisit. In his Euprepium virum spectatę sanctitatis, vitęque integerrimę Veronam (vt maiorum nostrorum constans, firmaque traditio est) florentissimam tunc Italię vrbem adire iussit cum episcopatus iure. Hic assumpto laborum socio Cricino viro pientissimo, Veronam profectus est. Vbi aliquot paucis ad Christi fidem tum primùm traductis, Ecclesiaque congregata, Christi religionem sua doctrina primus in ciuitatem aduexit, simulachrorumq; culturam, quantum eius temporis conditio ferebat, abrogare cœpit. Qua in re cum per annos complures strenuè laborasset, atque multo tempore libere intrepideque Christum professus esset, pie in Domino quieuit. Sepultus est autem extra vrbem in crypta, quo in loco nunc est Diui proculi ædes, anno à Christo nato circiter LXX. Cuius tumulo eiusmodi epitaphium literis antiquis exaratum erat. B

HIC.REQVIESCVNT
IN.PACE
CORPORA.SANCTORVM
EVPHEMII.ET.CRICINI
EPISCOPORVM

Quorum corporibus ex humiliore in splendiorem locum translatis, duo hæc addita sunt epitaphia sub altari sinistro confessionis Ecclesiæ S. Proculi.

EVPREPIO
VERONAE
A.CHRISTI
ANN.LXXII
PRAESVLI
PRIMO

ET.CRICINO
LABORVM
SOCIO.ET
COMITI.LO
CVS.RESTI
TVTVS

C

DE CRICINO, ET AGAPIO EPISCOPIS VERONENSIBVS. Cap. III.



LABORVM omnium, & periculorum Euprepii socius Cricinus, ab exigua, quæ tum Veronæ erat, Ecclesia eidem in episcopatu suffectus est. Qui cuias fuerit, vt de aliis etiam plerisque, incompertum. Hic dum vixit, & vitæ exemplo, & doctrina quoscunque potuit, ad veram Christi religionem perduxit. Atque quum post vitam purè, innocenterque actam, & res multas pro augenda in ciuitate Christiana pietate præclarè gestas, obiisset, eodem in loco, quo & Euprepius sepultus est. Eum autem Vespasiani & Domitiani Imperatorum temporibus vixisse vero simile est. Post quem Tertius Veronensis Ecclesiæ Præsul fuit Agapius vir pietate, doctrina, & morum elegantia insignis. Mortuus, & cum duobus prædecessoribus sepultus, successorem in Episcopatu Proculum habuit, de quo mox dicam. Cuius tumulo altari confessionis Basilicæ S. Proculi dextro hæc inscriptio incisa est. D

AGAPIO.QVI
IN.PONTIFICATV
TERTIVS
SVCCESSIT

Atque hæc est quatuor Episcoporum, qui primi Veronæ fuerunt, series ex antiquis monumentis ita concinnata. Nam præter ea, quæ paulò ante posui, in pariete templi Diui Proculi, vetus quoque hæc extat inscriptio.

SACRVM
HAC.AEDE.VETV
STISSIMA.PLVRIVM
DIVORVM.SACRARIO
EVPREPII.PETRI.A
POSTOLI.DISCIPVLI
HVIVS.VRBIS.EPISCOPI.I
CRECINI.II.AGAPII.III
PROCVLI.IIII.MARTYRVMQ;
COSMAE.ET.DAMIANI
ET.ALIORVM.HIC.EPISCOPORV

Et in vetusta tabella in eadem Basilica affixi. E

Euprepius. I. Veronæ Episcopus missus à S. Petro obiit XXI. Augusti.
Cricinus. II. obiit XXX. Decembris
Agapius. III. obiit IIII. Augusti
Proculus. IIII. obiit XXIII. Martii
Probus. XI. obiit XI. Ianuarii
Cerbonius obiit X. Octobris
Valentius obiit XXVII. Iulii


PROBI

Arcus leonum lateritius.






Pag. 100.
B





Corona ex arcu Leonum.

Epistylium ex Theatro.




Corona in porta Theatri.






Epistylia ex arcu Iouis Ammonis.



Epistylium ex arcu Vitruuiano.



In vico D. Thomæ.





Epistylium arcus Galieni.



P.100. *In castro D. Petri.*



P.223.



Frontispicium arcus Vitruvii. P.100.






P.100. *Ad D. Ceciliæ templum.*





In Vico D. Thomæ. P.100.







Domi Joannis Caroti.







Columna apud cathedralem basilicam.



Columna & arcus ex arcu T. Franii.




Epistylium ex arcu T. Franii.





Epistylium ex arcu P. Valerii Cæcilii.



Plinii monumentum.



Columna arcus Vitruvii.





y






Z

1


M.VIRIATIVS
ZOSIMVS

2


LIBERTVS
FAC.3CVR


ΚΡΙΝΩ. ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ
ΑΘΗΝΑΙΑ
ΓΥΝΗΔ-ΕΛΗΝΑΙΟΥ ΙΟΥ
ΑΡΤΕΜΩΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΥ.

3



ΓΑΙΘC CIΛOC
BAΘYMOC
AΘHNIЄYC.
ΔIONYCAC
CωTIMAC
CЄIΛIΛЄPω
CЄIΛIOC,TIN

4.

Aa. 1







2



Bb



1
P.VALERIVS. P.F
MONTANVS FI
MANNIS NAVIVS
DEDIT


2
CORNELIA M.F.
MARCELLA
ANN.IIII.


3
V
F
M CLVTTIVS P.F.POB
SIBI.ET.SVIS
PACILIA.M.F.VASSILIA
P. CLVTTIO.VIRIO
PATRI
C.AEL MAXIMAI
MATRI
CLVTTIAI.P.F.TERTIAI
SORORI


4
P. TRVTTEDIO.P.L.
PHILOMVSO.PATRI
MAGIAE.M.F.MAXIMAE
MATRI.

C.c.






N


C. FICARIVS


POSTERI SC
FORVM









3




5



6



IVNONI
SACR

7



4





V. F.
M.VERONIVS
EPAPHRODITVS
VI.VIR.AVG.
M.ACOLI.F.
VERONIAE CALLISTAE

2



1



2



4



3








A PROBI.VALENTII.CERBONII Luperius obiit XV. Nouembris.
LVPERII.CORPORA.TABELLARVM
FIDE.CERTISSIMISQVE
VISVM.CONQVIESCVNT
ALIORVM.COMPLVRIBVS.MIRANDIS
RELIQVIIS.AN. ∞DII.APRILIS.I

Quare non possum non mirari Ioannem Diaconum nostræ Ecclesiæ, qui in historia Imperiali, quam à Iulio Cæsare, vsque ad Henricum VII. Imperatorem sub quo vixit, annumque Christi ∞CCCX perduxit, Episcopos Veronenses primos ita enumerat.

I. Euprepius discipulus Petri Apostoli, qui fidem Christi primo Veronæ prædicauit, Episcopus primus

B II. Dimidrianus III Simplicius IIII Proculus
V. Saturninus VI Lucillus VII Cricinus
VIII Zeno, qui Episcopus creatus est anno Domini CLXV.

Ego porrò in quatuor primorum Episcoporum serie, communem sequar, vulgatamque Annalium nostrorum sententiam, in reliquis verò Ioannem ipsum.

DE BELLO CIVILI INTER VITELLIVM, ET VESPASIANUM, & Veronæ obsidione. Cap. IV.

C NERONE, Galba, & Othone Romanis Imperatoribus occisis, quum inter Vitellium, & Vespasianum, qui de principatu Romano armis contendebant, bellum ciuile exarsisset (Vespasianus enim in Syria à legionibus Iudaicis, contra Vitellium, qui Othone occiso, Occidentem, & Vrbem Romam victor obtinebat, Augustus appellatus fuerat) primus in Occidente belli ciuilis acerrimus concitator fuit Antonius Primus VII. legionis Galbianæ in Pannonia legatus. Ab hoc traductis in Vespasiani partes legionibus Mœsiacis III. Gallica, VII. Claudiana, & VIII. Augusta, item in Pannonia VII. Galbiana, cui præerat, & XIII. Gemina, & XI. Claudiana in Dalmatia: legatis Consularibus Aponio Saturnino Mœsiæ, T. Fabiano Pannoniæ, & Pompeio Saturnino Dalmatiæ consentientibus, bellum Italiæ, quæ in Vitellii partibus erat, cum quinque D legionibus illatum, XI. enim Claudiana cæteris cunctantior in Dalmatia remanserat, dum Vespasianus adhuc in Syria esset. Antonio autem vexillarios è cohortibus, & partem equitum ad inuadendam Italiam primùm rapienti comes fuit Arrius Varus strenuus bello. Is cum Primo occupantes Aquileiæ proxima quæque & Opitergij & Altini lętis animis accepti, relicto Altini prędidio, Patauium & Ateste partibus Vespasiani adiunxere. Quæsitũ quæ sedes bello legeretur contra Vitellianos, Verona potior visa est, patẽtibus circũ campis ad pugnã equestrem, qua præualebant, simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rẽ, famamq; videbatur. Possessâ ipso transitu Vicetiâ, quod per se parũ (etenim modicæ municipio vires) magni momẽti locũ obtinuit, reputantibus illic Cecinã genitũ Vitellianæ partis ducẽ, & patriã hostium duci ereptã. In Veronensibus pretium fuit, exemplo, E opibusq́, partes iuuere, & paulo post vulgata victoria post principia belli secundũ Flauianos duæ legiones VII. Galbiana, XIII. Gemina cum Vedio Aquila Patauiũ alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumpti. Aduentu deinde duarum legionum, è quibus tertiam Dillius Aponianus, VIII. Numisius Lupus ducebant, ostentare vires, & militari vallo Veronã quæ à Vitellianis tenebatur, circumdari placuit. Galbinę legioni in aduersa frõte valli opus cesserat. Dũ Vrbs obsidetur, seditione militari clã ab Antonio Primo excitata, vt solus bello frueretur, legati consulares T. Appius Flauianus, & Apronius Saturninus proditionis rei ad necem à militibus postulati. Vixque clandestinâ profectione discrimini exempti sunt. Digressis Consularium vni Antonio ius, ac potestas in vtrũq; exercitũ fuit, cedentibus collegis, & obuersis militũ studiis. Veronenses aliquot diebus obsidionẽ passi audita classis Rauẽnatis,

& exercitus Vitelliani, qui vltra Padũ erant defectione, se saluis omnibus Antonio, & Vespasiano dedidere. Verùm, quum Vitellianas legiones defectionis pænituisset, duceque Cęcina, qui eas ad rebellandam solicitauerat victo, & Vitellii parte restituta, se ad bellum contra Antonium comparassent, Antonius vniuerso cum exercitu secundis à Verona castris Bebriacum contra eas venit. Vbi prælio supremo commisso, Vitellianę legiones victæ, Cremonamque pulsę sunt. Cremona capta, & euersa est, legiones octo Vespasiano deditionem fecerunt. Cæterũ propinqua iam hyeme, & humentibus Pado cãpis, signa, aquilæq; victricium legionum, milites vulneribus, aut ætate graues, plerique etiam integri Veronæ ab Antonio Primo relicti, sufficere cohortes, alæque & è legionibus lecti ad prosequendas belli reliquias videbantur maiori iam parte profligata XI. legio Claudiana, quę in Dalmatia erat reliquis victricibus sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus anxia, quod defuisset. Sex millia Dalmatarum recens delectus comitabantur. Ducebat Pompeius Siluanas Consularis. Bellum deinceps trans Apenninum vrbem versus trahi, Antonio ducibusq; partium præmitti equites, omnemque Vmbriam explorari placuit, si qua Apennini iuga clementiùs adirentur. Acciri deinde aliquas, signaque, & quicquid Veronę militum relictum fuerat. Padumque, & Mare commeatibus compleri. Ducto trans Apenninum exercitu Vmbria, Tuscia, & reliqua Italia cum vrbe ipsa occupatis, Vitellius occisus est. Quare rebellione trium principum, & cæde incertum diu, & quasi vagum Imperium suscepit, firmauitque tandem gens Flauia, obscura illa quidem, ac sine vllis maiorum imaginibus, sed tamen Reip. nequaquam pęnitenda. Atque ita res ad Veronam bello ciuili Vitelliani transacta est, vt ex Tacito lib. XIX. intelligitur. Quod longiùs ex Tacito explicaui, vt ostenderem, quod à plerisque creditur, falsos esse, qui à Vespasiani ducibus Primo, & Varo hoc bello Veronam deletam fuisse prodiderunt. Quum Veronenses se Vespasiani partibus dedidisse, incolumesque seruatos esse manifestè ex Tacito liquet. Accidit autem eiusmodi ciuile bellum Ser. Galba. II. & T. Vinio Cos. anno Christi LXX. primo Vespasiani principatus tempore, Euprepio adhuc Veronæ Episcopatum agente.

DE BASILICA S. STEPHANI.

Basilica S. Stephani Veronæ inter vetustissimas eius Ciuitatis Ecclesias est primis Christianorum temporibus paulo extra vrbis portam loco, qui dicebatur ad Fonticulos, via Tridentina ædificata, quæ aliquando cathedralis fuisse traditur. Quam Rex Italiæ Theodoricus Arrianus Omousianis infensus quum destrui præcipisset, morte præuentus id facere non potuit. In ea sunt condita corpora multorum sanctorum Veronensium Episcoporum, vt ex hac marmorea Tabella muro eius affixa intelligi potest.

IN.HAC.ECCLESIA.SANCTORVM
CONFESSORVM.HVIVS.CIVITATIS
CORPORA.EPISCOPORVM.REQVIESCVNT
SCILICET.SIMPLICII.PETRONII.INNO
CENTII.FELICIS.SALVINI.THEODORI
SENATORIS.PROBI.ANDRONICI
MAVRI.ET.ETIAM.MAMMAE.CON
FESSORIS.ATQVE.VIRGINIS.CHRIS
TI.VENERABILIS.PLACIDIAE.ET
RELIQVIAE.DE.LIGNO.CRVCIS
DOMINI.DE.CAPILLIS.VIRGINIS
MARIAE.ET.S.STEPHANI.PRO
TOMARTYRIS.ATQVE.ALIORVM
QVADRAGINTA.MARTYRVM.ET
CAETERARVM.INNVMERABILIVM
SANCTARVM

Ex his corpus S. Felicis sub ara maxima conditum est. Corpora verò SS. Petronij, Senatoris,

A ris, Gaudentij, Probi, & Andronici in arca marmorea ponè ipsam aram quescunt. Cadauer porrò S. Innocentij in arca sub altari S. Andreæ Apostoli conditum refertur. Sub ara verò SS. VII. fratrum martyrum iacent corpora Saluini, & Manij, iuxta columnam aquę lustralis S. Moderati, in capite mausolei. S. Placidiæ, Occidentem versus S. Simplicij, in confessione eiusdem Basilicæ sub altari maiori conditum est corpus S. Alexandri. In eadem confessione sub altari S. Blasij corpus eius, vt etiam sub altari S. Mauri, ipsius corpus quiescit, cum cadauere S. Ioannis. Corpus S. Placidiæ locatum est in eius arca. In eadem Basilica incertis locis iacent corpora SS. Episcoporum Veronensium Lucidij, Dimidriani, Seruuli, Vindemialis, Saturnini, & Lupi. Ita ex vetustis eius Ecclesiæ monumentis.

B

DE S. PROCVLO IIII. VERONENSIVM EPISCOPO, *& aliquot eius Successoribus. Cap. V.*



ROCVLVS quartus Veronæ Episcopus fuit. Huius tempore Firmus, & Rusticus Bergomenses ciues à Cornelio Annulino Venetiæ, & Istriæ Consulari Veronæ, ob Christianæ fidei confessionem, quæ iam capitalis legibus Romanis facta fuerat, tenti, diro carceri mancipati sunt. In quo quum diu in fidei Christianæ confessione permansissent, ducti extra muros vrbis Veronæ super Athesis ripas capite cæsi sunt V. Idus Augusti, circa annum Salutis C C. quorum cadauera furtim sublata honorificè à Christianis condita sunt. Postea à S. Annone Episcopo, hor-
C tante sorore Maria, in Ecclesia de suo nomine dicata sepulti sunt. Quo tempore Episcopus sanctissimus Proculus senex martyrij percupidus in vincula se vna cum sanctis viris conijciendum curauerat. cæterum quasi qui iam præ senectute deliraret ab Annulino solutus, atque vrbe eiectus; quoniam quod summè concupierat adipisci non potuit, peregrino habitu sumpto, iam senex versus finitimas ciuitates iter arripuit, qua in peregrinatione quum martyrum, qui vinculis tenebantur, carceres lustraret, eosque ad perseuerantiam hortaretur, captus & ipse vinctusque, verberibus cæsus, postremò etiam venundatus est. Verùm liber factus Veronam tandem ad Ecclesiam suam rediit. Reuertensque in itinere fontem ex arida alioqui terra orans mirabili sanè prodigio dicitur elicuisse. Obiit senio confectus
D X. Kal. Aprilis, atque cum quatuor prædecessoribus suis in crypta sepultus est. Cuius sepulchro hoc postea additum est epitaphium.

HIC.CITO.CONSENVI.IAM.ME
PRAECEDET.LONGIOR.AETAS
VIVAMQVE.DIV.MELIORIBVS
ANNIS.PROCVLI.EPISCOPI
CORPVS.ET.SANCTOR.MARTYR
COSMAE.ET.DAMIANI
SED.ET.CONFESSORIS.MARTI
E NI.RELIQVIAE.REQVIESCVNT
IN.PACE

Post Proculum Episcopatum Veronensem, vt Ioannes Diaconus scribit, suscepit Saturninus singulari pietate vir, qui moriens in crypta ponè theatrum, vbi Oratorium Diuo Stephano dicatum erat, eiusque nunc Basilica est, conditus fuit. Post eum VI. Episcopus, vt idem Ioannes refert, fuit Lucillus, sepultus nunc in Basilica S. Zenonis maiore, non longè à turri in eo eius latere, quod ad meridiem est. Deinde VII. Dimidrianus diuinus plane vir, ob pietatem, doctrinamque singularem pascendo gregi dominico maximè idoneus. Obiit iam senex.

DE S. ZENONE EPISCOPO Cap. VI. A


OMNIVM annalium constans, firmusque consensus est, Zenonem octauum Veronæ fuisse pontificem, eumque Gallieno imperante maxime floruisse. Quare septem superiores Episcopos ducentorum annorum interuallum in Episcopatu explesse necesse est, quum non ante annum Christi CCLX. Gallienus Romanis solus, post patris casum, imperare ceperit. Zenonem autem alij Veronensem, alij verò, & forte veriùs, Græcum fuisse scripserunt, nostræ vrbi diuino munere concessum. Quippe cuius sermonum phrasis Gręcanicum nescio quid, ac peregrinum redolere videtur. Vir fuit & in rebus gerendis vehemens valde, & diuinis scripturis explicandis eloquens, quique quàm diu pontifex vixit in B eam assiduè curam incubuit, vt ciuium animos ad amplectendam veram Christi pietatem, simulacrorum cultu reiecto, conuerteret, inflammaretque. Naturâ verò ita affabili, mitique fuisse memoratur, vt qui illum adiissent omnes, Deum quodammodo in eo venerari cogerentur. Hic miraculorum dono claruisse dicitur. nam præter alia quamplurima, quæ edidit prodigia, hominem etiam dœmonis impulsu, vnà cum plaustro, cui insidebat, bobusque præcipitem in præterfluentem amnem proturbatum, ac tantum non aquarum vi suffocatum, pulso confestim ab eo dœmone, extraxit, ac liberauit. Mira enim sanctus hic vir in pellendis dęmonibus gratia præ cæteris claruit. Hunc ferunt, quum Veronæ aliquot dęmonum simulacra confringere suasisset, quamplurimis id ægre ferentibus, ac religionẽ, cui à teneris assueti erant, nefariè violari vociferantibus, atque ob eam causam sedulò ad- C uersantibus, quo doceret se veri, non falsi, numinis instinctu id agere, mortui hominis cadauer, quod tunc forte secundo fluuio ferebatur, ad se vocasse, ac mirantibus, qui aderant cunctis, vitæ restituisse. Quo animaduerso, magnam ciuitatis partem ad Christi fidem esse tunc conuersam, multorum simulacrorum cultura, quæ in illam vsque diem maximè Veronæ viguerant, eliminata. Inde factum est vt is patriæ pater viuus, mortuus verò patronus vocatus sit. Hic Paschales regulas, ob eas, quæ ante ipsum diu in Ecclesia viguerant controuersiarum procellas, penè abolitas restituit. Sermones edidit luculentos, ac magna doctrina refertos, tam in vetus, quàm in nouum Testamentum. Postremò, (vt is, qui martyrum vitas breui sermone perstrinxit, & S. Papa Gregorius in Dialogis, item Paullus Diaconus in historia Longobardica scribunt) ob Christi fidem martyrio coronatus est. Verum, D quoniam (vt opinor) de martyrij genere non constaret, Ecclesia Veronensis ab antiquo vsque ad nostra sæcula anniuersariam de eo, tanquam de pontefice Confessore, commemorationem facit. Primus Aloisius Lippomanus Veronensis Episcopus testimonijs, quæ supra retuli, adductus, nostro tempore eius solemnem memoriam, tamquam pontificis martyris in Ecclesia Veronensi fieri instituit. Huius sanctissimi viri post obitum cadauer primum in loco, vbi viuens ipse Oratorium construxerat, ad ripam Athesis tumulatum est, extra Vrbis męnia templo, quod Diuus Gregorius in dialogis commemorat aquarum vi subita aliquando inundatione circumseptum, vallatumque vsque ad summas fenestras, magno portento, ijs apertis nihil intra se aquarum admisisse. Hinc in eam Basilicam transportatum eius corpus est, quam de eius nomine Pipinus Caroli magni filius Italię Rex ære suo, Rataldo Ve- E ronensium Episcopo procurante, circa annum Domini DCCC. erexerat; vbi adhuc sub eius Basilicæ Confessione in arca marmorea sigillis ornata, pia populi Veronensis veneratione, sanctissime colitur. Obiit egregius pontifex pridie Idus Aprilis. Cuius reliquias aliquot à Valtario Germano Episcopo Veronense Vlmam translatas anno Domini ∞ XXXVIII. Hermannus, contractus illorum temporum scriptor, auctor est.

A *DE RELIQVIS POST S. ZENONEM INCERTI TEMPORIS Episcopis Veronensibus. Cap. VII.*

DIVO Zenoni in Episcopatum Maurum successisse annales ferunt. Huius viri egregiæ adhuc virtutes, queis præcipua in egenos misericordia fuit, admodum prædicantur. Is quum sponte se velut tanto muneri minimè idoneum Episcopatũ abdicasset, ad eos montes in vitam solitariam concessit, vbi postea de eius nomine conditum, consecratumque templum ab incolis etiamnum magnâ veneratione colitur, vico qui Salinæ dicitur. Ad quẽ vbi primum venisset, eum ibi vetus historia commemorat subtus arborem, quam pręputu-
B lam, ac mirę pulcritudinis fuerat conspicatus, domicilium sibi veluti diuinitus oblatum delegisse, constituisseque, congestis eò in tugurii speciem è vicina silua ramis, virgulisque. Cæterum quòd aquarum penuria valde is laboraret, illico supplicem à Deo postulasse, vt qui Hebręis olim in vasta illa solitudine aquę inopia laborantibus mirabiliter aquas in vsum suppeditasset, sibi quoque, qui in eadem penuria esset, simili miraculo adesse vellet, ab eoque impetrasse, vt ex templo ibi de terra diuino munere vberrima limpidarum aquarum copia scaturierit: qui vsque in hanc diem prope vicum Calauenam ab incolis cum veteris huius prodigij attestatione, hospitibus monstrari consueuit. Ibi quum per integrum ferè septennium corpus jejuniis, assiduis ad Deum precibus, omni denique voluptatum abdicatione macerasset, dum diuino monitu Veronam conteudit, simul atque ad locum vbi po-
C stea ędes D. Felicis excitata fuit, in summo colle, vbi de hoc eodem nomine conditam nũc arcem videmus, ingresfus est, repentina morte correptus vltra progredi non potuit. Cuius corpus Ioannis iussu, qui in eius locum fuerat suffectus, magna cum fidelium veneratione ad Oratorium S. Stephani delatum est, ibique conditum. Vbi nunc basilica in eius Diui honorem constructa est. Cuius successor Ioannes, eo loco quo Maurus, etiam sepultus est. Post Ioannem XI. vt ex tabella in diui Proculi ęde fixa obseruaui, Episcopus Veronensis fuit, vir verè Probus omnibusque egregio antistite dignis virtutibus clarus, qui moriens, in crypta S. Proculi sepultus est. Ceterum vsque ad Probum XI. Episcopum Veronensem, Episcoporum series continuata est. Post quem vsque ad annum Christi DCCLX. ordo Episcoporum Veronensium, quamquam vt existimo integer, non tamen continuatus est. Nam
D quis inuicem successor fuerit incompertũ, tempora etiam, quibus singuli vixerint, præter sex, quos suis locis, & sæculis exponam, & singulorum gesta obscurissima sunt, & incerta. Quæ res nimia iam vetustate, maiorumque nostrorum fatali ignauia tenebris vetustatis oppressę sunt. Ego autem, ne quod à me fieri potest, omittam, vllaque in re diligentia mea desideretur, omnium Episcoporum Veronensium, quorum tam gesta, quàm tempora, & ordo incomperta sunt, nuda nomina ordine alphabetico suggeram. Nam quorum secula inuenerim eos suis locis concinnabo, atq; si quid de ijs memoratu dignum fuerit, exponam.

EPISCOPI VERONENSES ANTIQVI.

E S. Euprepius primus Veronę Episcopus Petri Apostoli discipulus viuebat anno Christi LXX. obijt XXV. Augusti, sepultus ad S. Proculum.
S. Cricinus obijt XXIX. Decembris, sepultus ibidem.
S. Agapius obijt IIII. Augusti, sepultus in Basilica S. Proculi.
S. Proculus obijt XXIII. Martij, sepultus in Basilica sua.
S. Saturninus obijt VII. Aprilis, sepultus in Basilica S. Stephani.
S. Lucillus obijt XXXI. Octobris, sepultus in Basilica S. Zenonis.
S. Dimidrianus obijt XV. Maij, sepultus in Basilica S. Stephani.
S. Zeno viuebat anno Christi CCL. obijt XIII. Aprilis, sepultus in Basilica sua.
S. Maurus obijt XXI. Nouembris, sepultus ad S Stephanum.

S. Io-

S. Ioannes obijt VI. Iunij, ſepultus ad S. Stephanum. A
S. Probus obijt XII. Ianuarij, ſepultus ad S. Stephanum.

Epiſcopi Veronenſes ex Calendario incerti temporis, & ordinis.

S. Alexander obijt IIII. Iunij, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Andronicus obijt XIIII. Nouembris, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Blaſius obijt XXII. Iunij, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Cerbonius obijt X. Octobris, ſepultus ad S. Proculum.
S. Felix obijt. . . . . . . ſepultus ad S. Stephanum.
S. Felicinus obijt XIX. Iulij, ſepultus ad S. Stephanum. B
S. Gaudentius obijt XII. Februarij, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Innocentius obijt XIIII. Martij, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Lucidus obijt XXVI. Aprilis, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Luperius obijt XV. Nouembris, ſepultus ad S. Proculum.
S. Lupicinus obijt XXII. Maij, ſepultus ad S. Zenonem maiorem, cum hoc elogio.

HIC. CRESENTIANI. MARTYRIS. OSSA. QVIESCVNT
ET. CVM. LVCILLO. TV. LVPICINE. SIMVL
CAELESTIS. PATRIAE. CONSORTES. ATQVE. SEPVLCHRI
VERONAM. PRAESVL. DICIT. VTERQVE. SVAM

S. Lupus obiit II. Decembris, ſepultus ad S. Stephanum. C
S. Manius obiit III. Septembris, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Maximus obiit XXIX. Maii, ſepultus ad S. Maximum in Baſilica ſua.
S. Moderatus obiit XXIII. Auguſti, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Petronius obiit VI. Septembris, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Saluinus obiit XII. Octobris, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Senator obiit VII. Ianuarii, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Seruulus obiit XXVI. Februarii, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Siluinus obiit XII. Septembris, ſepultus ad S. Stephanum.
S. Theodorus obiit XVIII. Septembris, ſepultus in Cathedrali Eccleſia, habetq; hoc elogium.

THEODORI. CORPVS. VERONAE. PRAESVLIS. ALMI D
HOC. IACET. IN. TVMVLO. CONSCENDIT. SPIRITVS. ASTRA

S. Vindemialis obiit XXVIII. Februarii. ſepultus ad S. Stephanum.
Syagrius viuebat anno Chriſti CCCXC.
Simplicius viuebat anno Chriſti D. obiit XX Nouembris, ſepultus ad S. Stephanum.
Verecundus viuebat anno Chriſti DXX. obiit XXII. Octobris, ſep. ad S. Petrum in arce.
Valens viuebat anno Chriſti DXXX. obiit XXVI. Iulii, ſepultus ad S. Petrum in arce.

DE BARBARIS QVI ROMANVM IMPERIVM exciderunt. Cap. VIII.

E



SEPTENTRIONALIS regio quanto magis ab æſtu ſolis remota eſt, & magis frigoribus vexata, tanto ſalubrior corporibus hominum, & propagandis conſeruandiſque gentibus eſt commodior, perinde atq; contra meridies omnis, quò ſolis eſt feruori propinquior, eò morbis & infirmitatibus eſt magis obnoxius & hominibus educandis minus aptior. Ex qua regione innumerabiles gentes ſæpe egreſſæ, quæ non ſolum reliquam Europam, ſed & Aſiam & Africam afflixêre, præſertim quum terras aſperas, incultas, & infrugiferas colerent, quare iis ſæpe neceſſe erat, diuiſione facta, patrias regiones relinquere, & ad nouas quærendas ſedes commigrare. Hinc hi Barbari egreſſi qui Romanum imperium ſepe

A ſępe vexârunt, & demum exciderunt. Quorum præcipui fuere antiquioribus temporibus Cimbri, Teuthones, Ambrones, Daci, Getæ, & Scythæ; recentioribus vero Gothi appellati, quorum qui Orientales regiones tenebant Oſtrogothi, qui Occidentales Viſegothi vocati. Præter eos fuerunt omnium ſæuiſſimi Hunni, Vandali, Alani, Franci, Burgundiones, Gepidæ, Heruli, & Longobardi. Primi omnium poſt Cimbros & Teuthones, Daci ſub Cæſare Dictatore quum ſe in Pontum & Thracias effudiſſent, ab Auguſto tribus eorum ducibus cæſis, coerciti ſunt. Vſque ad Domitianum quieuere. Sub quo Decebalo in eos regnante, Romanum exercitum bis Oppio Sabino Conſulari primum, deinde Cornelio Fuſco Pręfecto prætorio, cui belli ſummam Domitianus commiſerat, oppreſſi ciciderunt. Eos Traianus Imperator difficili ſane & periculoſo bello victos, eorumque rege Decebalo occiſo in
B deditionem acceptos, in prouinciæ formam redegit. Dacis ſubactis, Septentrio quieuiſſe videtur vſque ad Marci Imperatoris tempora, quibus diuturno bello Germani fatigati acceptam pacem vſque ad Maximinum, quem vt ſęuiſſimum, ita fortiſſimum principem Romana Reſpublica tulit, ſeruauere. Ab hoc etiam ingentibus aſperrimiſque pręliis victi, quum parum abeſſet, quin Germania omnis in prouinciæ formam redigeretur, bello ciuili, in quo & occiſus eſt, impeditus fuit. Tanta clade affecti paululum vſque ad Philippi imperium quieuere. Sub quo quid primum Romano orbi acciderit ſequenti capite exponam.

DE PHILIPPO IMPERATORE VERONÆ OCCISO Cap. IX.

C GORDIANO adoleſcente nobiliſſimo Imperatore prope Ctheſiphontem in Perſarum regionibus per inſidias militum vi interfecto, Imperium Romanum ſuſcepit vir obſcuriſſimi generis Philippus, qui tum occiſi principis prætorio præfectus erat, natione Arabs è colonia Romana Boſtra. Qui cum Romam veniſſet filium Philippum Iuniorem imperii participem, Cæſarē atque Auguſtum appellatum, declarauit. Sub hoc Scythæ & Dacis proximi Getæ facta tum primum inruptione Romani imperii limites transgreſſi, vrbes & agros Romanos vaſtare, prędas abducere, cędes vndique facere, incendia ſuſcitare, domos, villas, tuguria euertere, metum haud inanem inferebant. Expeditioni in Getas propere pręficitur Marinus dux limitis Dacici & Sarmatici; qui ingreſſus bellum, ſtatim ab Illyrico, & Parmonico Mœſico, Dacicoque exercitibus Impera-
D rator eſt appellatus. Quod quum nuntiatum Romæ eſſet, Philippus aduocato Senatu, plurimum de Marini ingratitudine queſtus eſt. Decius vir Conſularis & tum nobilis hortatus eſt principem, ne timeret quod Marinus pœnas daturus eſſet, qui paulo poſt cæſus ſeditione militari pœnas luit. Confirmatus Imperator Decii vaticinio contra Getas cum ſupplemento copiarum ipſum Decium miſit, qui quum ad exercitum perueniſſet, concordi adſenſu eum milites Illyriciani Imperatorem acclamauerunt, renuentem ac repugnantem ſtrictis enſibus coëgerunt. Dux rerum experientia cautus, ne à principe accuſari poſſet, neue locum calumniis præberet, fidiſſimo nuntio literas ad Philippum dedit, quibus ſe excuſabat, ſuppliciter exorans ne turbato animo ferret, promittens abdicaturum ſe dignitate ad quam inuitus tractus eſſet. Philippus vero homo nequam (quem, vt ſcelera ſua tegeret, cultum Chri-
E ſtianę pietatis ſimulaſſe ferunt) expeditionem nouis ſcriptis legionibus contra Decium parauit, & quum poſſet per duces bellum gerere, ipſe eductis copiis profectus eſt, minis ingentibus palam adſerens ſe Decium cum ſcelerato exercitu perditurum. Quare quum Veronam veniſſet, ibique aliquantulum commoratus eſſet, tumultu militari à Decii ſtudioſis excitato, Veronæ medio capite ſupra ordines dentium pręciſo, interfectus eſt. Cuius nece Romę cognita, filius eius quem ibidem contra Decium pergens reliquerat, ſtatim à prętorianis occiſus eſt, atque ita pacifica Reſp. ad Decium recidit. Sunt, vt dixi, qui à Chriſtiana pietate Philippum non abhorruiſſe tradant, inter quos in hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius eſt, quorum tamen teſtimonijs hominis perfidia fidem facile abrogare poteſt. Vtrique autem inter Diuos à Senatu relati ſunt.

DE

DE ALIQVOT ROMANIS IMPERATORIBVS, GALLIENO Augusto, & muris Veronæ restitutis. Cap. X. A



NTERFECTIS Philippis, Decius qui Imperator appellatus fuerat, quum aduersus Getas qui bellum Romanis excitauerant cum filio audacius quàm consultius pugnaret, cæsus cum toto exercitu ab iis est, corpusque paludis voragine absorptum nusquam inuentum. Post eum Gallus, & Volusianus filius imperium adepti infelicissime illud per annos duos rexere. Nam cum Getis & Scythis victoribus tributo annuo transegere primi, qui Romani maiestatem Imperii fœda pactione sugillarent, & Armeniam amisere à Persis Tyridate Romanorum amico expulso. B Post hos Æmilianus trimestris Imperator ad internecionem penè Getas vicit. Mox Valeriano ab Alpino exercitu Imperatore nobilissimo creato, qui Æmiliano fauerant, ne ciuili bello Rempublicam externis quassatam conflictarent, Æmilianum necârunt, soloque ducis capite re pacta, nullum Principem maiore vnquam fauore Orbis terrarum accepit, quam Valerianum, nullusque calamitosior ad hanc diem imperio præfuit, vel quòd à Sapore Persarum Rege acie victus, siue dolo suorum, siue eius imprudentia id acciderit, miserabili captiuitate apud eos consenuit, vel quòd Gallienum filium post se reliquit. Qui omnium mortalium nequissimus Caligulæ, Vitellio, & Heliogabalo simillimus per luxum & socordiam orbem terrarum pene perdidit, externis hostibus adeo Romanis insultantibus, vt & fœminæ Imperium in Gallieni contemptum occuparint. Tum enim Scythæ, Getæ & C Germani qui vsque ad patris eius captiuitatem quieuerant, ea audita, Gallienoque luxui & popinis vacante orbem terrarum grauissimis bellis, ferro & igni acerrime vexarunt. Diuisi enim, pars Asiam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, Græciam, Macedoniam, Achaiam, & Thraciam; pars vero Occidentem sæuis populationibus deuastabant. ita vt, quum Germani in Italiam descendissent, Rauennam vsque peruenirent. Quare toto terrarum orbe exitialibus bellis laborante, Veronenses qui tum primis Germanorum impressionibus obuii erant, murorum vrbis suæ restitutionem à Gallieno deprecati sunt, qui ad eam diem senio & vetustate collabi faciente iacuerant. Tum Gallienus Imperator, nobilissimæ vrbis & Germanorum Gothorumque primis incensionibus expositæ excidium veritus, muros vrbis à solo reparauit, nouosque factos de suo nomine dedicari iussit, quo tempore etiam Porta, quæ nunc Bursarea dicitur, eo in quo nunc est loco firmata fuit, vt ex antiquo D eius epigrammate manifestum est. Muri vero vrbis de nouo facti dedicati sunt anno Christi CCLXVII. Beatissimo Zenone tunc vrbis nostræ Episcopum agente.

DE CC. MILLIBVS ALEMANORVM HAVD LONGE à lacu Benaco à Claudio Imperatore occisis. Cap. IX.



ON sine diuina numinis prouidentia sub Gallieno Verona nouis muris cincta fuisse memoratur. Nam eodem ipso tempore CC. & eo amplius Alemanorum millia alpes transgressa agros Veronensem, Brixianum, ac Tridentinum misere vexabant, vrbiumque ipsarum direptioni imminebant. Contra quos exer- E citum Romanum Claudius fortissimus princeps, qui Gallieno occiso Augustus acclamatus fuerat quum eduxisset, haud procul à lacu Benaco, in Silua quæ Lugana dicitur, dimicans tantam multitudinem fudit, vt ægre pars dimidia superfuerit, qui tamen intra biennium morbo periit, & diuus appellatus est. Post quem Romanum Imperium Aurelianus fortissimus & ipse Imperator accepit. Atque tam Claudii quàm Aureliani virtute factum est, vt tyrannis omnibus qui sub Gallieno emerserant extinctis, Barbaris vndiq; victis, vel intra suos terminos migrare compulsis, vel ad internecionem cęsis, pax orbi Romano, & à bellis quies paululum restitutæ fuerint, atque vetus imperii decus pene abolitum reformatum sit. Res autem Romanæ vsque ad Diocletiani imperium quieuerunt. Nam quod sub Caro Sabinus

A binus quidam Romanũ imperium inuaserit, & à Carino prælio victus in campis Veronensibus occisus sit, vt Aurelius Victor tradit, inter notabilium rerum exempla ponendum nõ est.

DE BELLO CIVILI INTER MAXENTIVM, & Constantinum exorto, & Veronæ oppugnatione. Cap. XII.

DIOCLETIANO Iouio, & Maximiano Herculeo Augustis imperio abdicantibus, ex Cęsaribus in eorum locum Imperatores creati sunt, Constantius & Galerius Maximianus, diuisusq; est inter eos Romanus Orbis, vt Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, Orientemq; Galerius obtinerent. Constantius postea dignitate Augusti contentus, Italiæ atq; Africæ administrandæ solicitudinem recusauit. Quibus Galerij imperio prouin- B cijs adiunctis, duos sororum filios Galerius Cæsares creauit; Seuerum, cui Italiam, & Africam; & Maximum, cui Orientem concessit, ipse in Illyrico mansurus. Interim Carthagine in Africa contra Seuerum Alexander, & in Illyrico contra Galerium Valens Imperatores appellantur. Haud multo post Constantius Augustus, Eboraci in Britannia moritur, cunctis qui aderant, & præcipue Croco Alemanorum Rege, qui auxilij gratia ad Constantium venerat, adnitentibus, legitimis exclusis, Constantinus ex obscuriore matrimonio eius & Helenæ filius suffectus est XI Kal. Augusti. Quo Romæ nunciato, prætoriani tumultu excitato, Maxentium Herculei Maximiani filium qui sexto ab vrbe lapide in villa sua, via Lauicana sita, morabatur, Augustum & ipsi acclamauerunt. Maxentium ferunt rei indignita- C tatem haud passum fuisse, quum non solum noui homines Seuerus, Maximus, Alexander, & Valens, sed etiam spurius Constantinus fratribus legitimis prælatus, ad imperij fastigium euecti essent, ipse vero Imperatore nobilissimo genitus, omnibus postpositus priuatam agere vitam cogeretur. His igitur magnis ad concupiscendum imperium facibus instinctus, Romæ vt dixi à prætorianis Imperator appellatus, purpuram contra Seuerum Cęsonem, cui Italia à Galerio commissa erat, assumpsit. Aduersum Maxentij & prætorianorum metum, Seuerus Cæsar Romam à Galerio missus, cum exercitu valido venit, obsidensq; vrbem militum suorum scelere desertus est, à quibus proditus iussu Maxentij necatus. Ita auctæ Maxentio opes, confirmatumq; in omni Italia vsq; ad alpes imperium. Qui quum contra Alexandrum, qui in Africa tyrannidem arripuerat, bellum mouisset, eo cæso Africam suo C adiunxit imperio. Galerius vero non longe post Cæsaris Seueri cædem Licinium militiæ socium Augustum creauit, à quo Valens in Illyrico cæsus est. Verum Galerio Maximiano per ea tempora mortuo, quum Maximinus in Oriente se ipse Augustum renunciasset. Romanum Imperium à quatuor Augustis tum tenebatur. Hispania, Gallia, Britannia, & Germania à Constantino; Italia & Africa à Maxentio; Illyricum à Licinio; Oriens à Maximino. Primus omnium Constantinus quinto imperij sui anno quum aduersum Maxentium bellum ciuile commouisset, ex Gallijs per Rhetias & Noricum alpesq; Tridentinas Veronæ imminentes exercitum duxit. Veronam quum venisset, quæ prima ex Norico descendentibus se se offert, atq; tum à Maxentianæ partis duce Pompeiano tenebatur, obsidione vrbem cinxit. Repugnantibus autem & acriter insistentibus Magnentianis postremo non si- E ne maximo labore eam cepit & diripuit. Accidit hæc nostræ vrbi clades Anno Christi. CCCXXIII. vrbe Verona in deditionem accepta, eius exemplum cæteræ quoq; ferè omnes Galliæ vrbes sequutæ sunt. Copias vero vniuersas quum aduersus Maxentium eduxisset, exercitus aliquot proelijs fudit, ipsumq; postremo Romæ in nobiles omnibus exilijs sæuientem superauit, imperioq; omni exutum occidit. De hac Veronensium clade à Constantino vt Maxentio bellum inferret illata, meminit incertus auctor in panegyrico, quem ei ob hanc ipsam adeptam victoriam dixit, ita: *Probauit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis alpium iugis, munitissimo licet muro, ac situ tenentes oppidum, ausi fuerunt, te imminente resistere, ac portas claudere, non credentes illi quidem, vt audio, te ipsum adesse. Quis enim crederet tam cito à Rheno ad alpes Imperatorem cum exercitu peruolasse? Sed tamen*

P *qui*

qui non ſolum præſenti numini tuo, verum etiam nunciato nomini credere debuiſſent, luerunt A
illico igitur dementiæ ſuæ pœnas, quum oblatam ſibi à clementia tua veniam recuſaſsent. Neq;
enim vallo foſſaq; obſeſsio inchoata eſt, nec cuniculis agendis, nec machinis admouendis, nec in-
cutiendo ariete tentati, quaſſatiq; ſunt muri, ſed ſtatim iniectæ faces portis, ſcalæ propugnacu-
lis, nec ſolum fundis eminus, teliſq; miſsilibus pugnaciſsimoq; perfecto, ſcilicet vt quam Colo-
niam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus euerteret. O miſerabilem Veronenſium ca-
lamitatem, quos non tamen ſua, quam inteſtina ſetallitum preſsit obſidio. Quippe Atheſis ille
ſaxis aſper & gurgitibus verticoſus & impetu ferox oppugnationem prohibebat, omnemq; retro
regionem euehendis copijs tutam defenſamq; præſtabat.

DE CONSTANTINO MAGNO IMPERATORE, ET IIS QVI post eum Romanum Imperium tenuere. Cap. XIII. B



ONSTANTINVS Auguſtus, quum imperio trans alpes potitus, ſecum de
ſumma rerum decertantes Maxentium & Licinium, qui diuerſis in locis im-
perabant, multis proeljs victos tandem interfeciſset, ſolus totum Roma-
num imperium Auguſti ſub nomine multis annis feliciter obtinuit, bella
contra Barbaros frequentia poſt ciuiles ſeditiones ſedatas feliciſſime con-
fecit, vnde etiam primus Romanorum Principum Magni cognomen inue-
nit. A bellicis ad pacis ſtudia conuerſus, optimum principem egit, leges ſanctiſſimas tulit,
litteris impenſe ſemper ſtuduit, Chriſtianæ religionis, quam mirum in modum propagauit, C
obſeruantiſſimus fuit. Vetus Byzantium ſiue cupiditate nouæ condendæ vrbis ductus, ſi-
ue quo facilius Perſarum toti Orienti imminentium motus reprimere poſset, inſtaurauit,
imperatoriamq; vrbem & nouam Romam appellari voluit. Quam denique ipſi Romæ pa-
rem in omnibus fecit, altero Imperatore imperij Orientem verſus parto, ſenatu, conſuli-
bus, præfectis vrbis, & prætorio, & cæteris antiquæ Romæ magiſtratibus ei communicatis.
Ita Romano imperio, quod vnum erat diuiſo, orientalis tunc primum occidentaliſq; Ro-
manorum Imperij nomina audita. Orientalis Conſtantinopolis, Occidentalis vrbs Roma
capita fuere. Hiſpaniæ, Britannia, Gallia, Germana, Italia, & Africa, Occidentali; reliquus
orbis Romanus, vt Illyrium, Oriens, Aſia, Syria, & Aegyptus, & reliquæ prouinciæ Orien-
tali Imperatori paruere. In hac porrò diuiſione vrbs noſtra Verona cum reliqua terra Ita D
lia Romanorum Occidentis, qui Romæ imperabat, Auguſto ceſſit. Ita Romano Imperio
diuiſo, Conſtantinus moriens Remp. Romanam tribus filiis pacatiſsimam reliquit, ex quibus
Conſtantinus iunior omnia trans alpes obtinuit. Conſtantius vrbem regiam Conſtantino-
polim, & à freto Propontidis Aſiam & Orientem omnem. Verum Conſtantino iuniore
paulo poſt occiſo, Romanum imperium duobus tantum fratribus ceſsit. Hinc fere ſemper,
& præſertim poſt Iouiani obitum duo Imperatores Romani fuere, quorum alter in Occi-
dente Romæ, alter in Oriente Conſtantinopoli manebat. Nam poſt Conſtantium, Iulia-
num, & Iouianum vnicos Romanorum Imperatores, Conſtantinopoli quidem & Oriente
imperarunt Valens, Gratianus, Theodoſius, Arcadius, Theodoſius Iunior, Marcianus, Leo,
Zeno, Anaſtaſius, Iuſtinus Magnus, Iuſtinianus, & reliqui; Romæ vero in Occidente Valen- E
tinianus, Gratianus, Valentinianus iunior, Honorius, Valentinianus Tertius, Auitus, Ma-
iorianus, Seuerus, Authemius, Glicerius, Nepos, & poſtremus omnium Auguſtalus, quo à
Gothis pulſo, Italia, quæ tunc ſola ex omni Romanorum occidentis imperio ſuperfuerat, in
Gothorum poteſtatem ſub Odouacre rege peruenit. Nam paulo ante ſub Valentiniano Ter-
tio & reliquis Occidentis Imperatoribus Franci & Burgundiones Galliam, Gothi & Alani
Hiſpaniam, Vandali Africam, Hunni & Getæ Illyricum & Dalmatiam cum reliquis Occi-
dentalis imperij prouincijs, Romano Imperatori Occidentali eripuerant, ita vt ſola tantum
ſupereſset cum vrbe Roma Italia. In qua Auguſtulo nouiſsimo Occidentis Imperatore à Go-
this abdicare coacto Italiæ regnum Gothorum Rex Odouacer ſuſcepit.

DE

A *DE VALENTINIANO IMPERATORE. Cap. XIV.*



ALENTINIANVS Imperator post Iouiani mortem ab exercitu Romano in Asia creatus, quum Constantinopolim venisset, fratrem Valentem Imperii participem declarauit. Cui Orientali Imperio tradito, ipse Occidentale administrandum suscepit. Et Mediolanum veniens ibidem aliquandiu moram traxit, ita vt ibi & primum consulatum inierit, & multa terræ Italiæ negocia transegerit. Rebus deinde in certam formam compositis, Veronam venit florentissimam tunc Italiæ vrbem, in qua multa imperialia negocia transegisse memoratur. Eius ad vrbem nostram aduentus, mentio est in Codice Theodosiano, B in quo extat rescripti cuiusdam Data sic. Datum Veronæ.

DE SYAGRIO VERONENSI EPISCOPO. Cap. XV.



VB Theodosio Imperatore, qui post Valentinianum Romani imperii gubernacula moderatus est, Veronensi pontificatui præfectus est Syagrius, vir illis temporibus vt sanctitate vitæ, & nominis claritate, ita etiam facundia, & studio propagandæ conseruandęque Christianæ pietatis excellentissimus. Hic est ille Episcopus ad quem extant diuini Ambrosii Mediolanensis Præsulis epistolæ duæ. In quarum priore hominem grauiter ille ac C seuerè admodum arguit, de attentato ab eo in caussa sacræ puellæ cuiusdam iudicio, docetque quamobrem illam ipse ad se reuocauerit. In altera vero testimonio sacrarum litterarũ ostendere nititur, quanta semper apud veteres habita castimoniæ ratio fuerit, quantoque ira diuina aduersus eius violatores exarserit, eosque vlta sit. Hic in sermonibus suis ad populum illud admonere crebro solitus erat, vt Dei potentiam metuerent, sapientiam admirarentur, bonitatem diligerent, eique assiduè gratias, pro innumerabilibus ab eo acceptis beneficiis agerent. Idem cauendum diligentissime à Diaboli insidiis monebat, ibique maxime eas suspectas habendas, vnde abesse maxime existimarentur. Fugiendas vero quantum posset libidines animi scelestissimas ac durissimas dominas, hominumque illorum sermones attentè audiendos, qui vitæ sanctimonia clari, de vita beata, deq; damnatorum sup- D pliciis differentes, audientium se animos ab impietate auerterent, maxime vero vitiorum omnium caput superbiam detestabatur, quæ vna nos Deo & hominibus inuisos redderet, humilitatem vero summopere commendabat, ex qua veram animo pacem & tranquillitatem gigni asseuerabat. Vixit vir pius circa annum salutis nostræ CCCXXC.

DE GOTHIS IN OSTROGOTHOS, ET VISEGOTHOS DIVISIS Cap. XVI.



X qua orbis terrarum regione Gothi egressi fuerint supra demonstraui. Hos Romanum imperium sæpe lacessentes Claudius, Aurelius, Probus, & E Diocletianus Imperatores ingentibus præliis attritos intra suos fines vlterius Istrum sæpe conclusere. Ipsos deinde cum aliis barbaris Istrum & Rhenũ transire ausos, tempore quo Constantinus bella ciuilia gerebat, idem princeps jis sopitis primum, deinde Iulianus Cæsar, postremo Valentinianus magnis affecere cladibus, atque intra suos fines eos diu continuerunt. Sub Valente bellum cum Romanis aliquamdiu intermissum repararunt. Tunc autem in duas factiones diuisi erant. nam jis, qui ad Occidentem incolebant, & lingua eorum Visegothi vocabantur, præerat Fritigernus: jis vero qui ad Orientem & Ostrogothi dicebantur, Athanaricus rex iura dicebat. Quo tempore Hunni diu in propriis & inaccessis montibus clausi, repentina rabie & furore perciti, palude Mœotide egressi relicto patrio solo, bellum Gothis intulerũt,

in quo Ostrogothi vectigalibus factis, agrique parte mulctatis, Visegothorum quos aliquot A
præliis vicerant, & patriis sedibus agrisque eiecerant, Transdanubianas regiones sibi ipsis vindicauere. Visegothi natali solo ab Hunnis pulsi, Danubio traiecto à Valente Imperatore sine vlla fœderis pactione & armorum depositione, intra Romani Imperii limites suscepti sunt. Qui eis partem Thraciæ ad habitandum concessit, arbitratus se eorum opera in reliquis barbaris oppugnandis vsurum. Gothi per auaritiam Maximi Thraciarum Ducis fame ad rebellandum coacti, Thracias omnes populari ceperunt. Eam ob rem Valens jis bellum indixit. Superatis autem prima congressione Romanis, Gothi per omnem Thraciam diffusi sunt. Imperator Valens vniuerso exercitu aduersus eos educto, Romanæ legiones vsque ad internecionem à Gothis cæsæ sunt. Ipse Imperator quum sagitta saucius fugeret, atque ad cuiusdam villulæ casam deportatus esset, superuenientibus Gothis, domoque B
incensa, viuus crematus est. Eo occiso, Theodosius dux rei militaris peritissimus, à Gratiano Augustus appellatus, atque Orientali imperio præpositus est. Is Gothos Valentis cæde superbiores factos, Thraciamque omnem & Illyricum igni ferroque vastantes, Hunnos insuper, Alanos & Ostrogothos, qui traiecto Istro Pannoniam, Mœsiam Daciamque deuastabant aggressus, cæcidit, eisq; trans Istrum redire compulsis, Romanas prouincias liberauit. Postremo ne paruam Romani exercitus manum assiduis bellis consumeret, pacem cum Athanarico rege Visegothorum fecit, eumque Constantinopolim euocauit; vbi quum paulo post obiisset, Visegothorum vniuersa gens rege defuncto, Theodosio ipsi Romanoque imperio se dediderunt, quorum opera bellis ciuilibus Maximi & Eugenii item multis externis vsus est. Theodosio mortuo, Visegothi puerorum Imperatorum Arcadii & Honorii ætatem ne- C
gligentes, contra fœdus regem sibi elegerunt Halaricum, qui strenue sub Theodosio inter Gothos militauerat. Quo duce quum à Romanis auctore Stilicone bello persequerentur, jis victis, vrbem Romam captam incenderunt. Vrbe egressi Campaniam, Lucanos, Brutios, & magnam Græciam ferro, incendiis, & rapinis acerbe vexarunt. Mortuo apud Cosentiã Halarico, Ataulphus ab jis Rex factus, pacem cum Honorio fecit. Atque Italia discedens, cum Visegothis omnibus in Gallias Halarico & Visegothis olim destinatas ab Honorio sedes profectus est. Vbi pluribus bellis gestis, quum Visegothi Gallias Francis, & Burgundionibus reliquissent, ipsi Alanis adiunctis, superato Pireneo in Hispaniam profecti sunt; quam, Vandalis pulsis, qui paulo ante eam Romanis eripuerant, vsque ad nostra sæcula tenuerũt, & quamquam à Sarracenis maiori eius parte primum mulctati, eam tamen postea omnem D
paulatim receperunt. Vandali ex Hispania à Visegothis & Alanis pulsi Africam Romanis sub Valentiniano Tertio Augusto abstulere. Quo tempore Hunni Attila rege cum Ostrogothis Danubium egressi, vniuersum Romanum orbem quatiebant.

DE OSTROGOTHIS QVI ITALIAM INVASERE. *Cap. XVII.*



ALENTINIANO III. Imperatore insidiis Maximi occiso, quum Alani & Vandali Africam, Visegothi Hispaniam, Franci, & Burgundiones Gallias, Hunni reliquas Occidentalis Imperii prouincias occupassent, sola in E
Romanorum principum potestate reliqua erat Italia. In qua rerum confusione & tumultu intra XX. annorum interuallum, decem Imperatores fuerunt variis & ipsi bellis & seditionibus à barbaris conflictati & occisi. Quo tempore Hunnorum & Atilæ vniuersæ Italiæ rabie imminẽti, Romani Scythas, Alanos, Herulos, Gepidas, & alias quasdam Geticas nationes in Italiam sui præsidio euocatas in societatem adsciuerant. Vnde ab Halarico Antalaque Getarum tunc ducibus ingentia sunt mala perpessi, barbarorum præsertim florentibus in Italia rebus. Nam Romanorum adeo principum ea tempestate defecerat dignitas, vt sub decente societatis & fœderis nomine à peregrinis & barbaris vim passi, ita violarentur, vt impudenter ac nefarie ad pleraque cogerentur

A gerentur inuiti, & non obtemperantes à barbaris necarentur, quum illi æquum iam ducerent, omnibus Italiæ agris vt sibi concederentur, quorum tertiam antea partem Augustuli tunc imperantis patrem Orestem iusserant impartiri. Hunc Romani idcirco Augustulum vocabant, quia puer admodum imperium susceperat, quod vtique Orestes pater, vir quidẽ sapientissimus gubernabat. Quum Orestes tertiæ agrorum partis quam Gothi poscebant cõcessionem se facturum esse omnino negasset, à Gothis interfectus est. Quo tempore Odoacer quidam natione Herulus inter Italicos milites Orestis quondam armiger erat. Qui Gothis omnia pro eorũ arbitrio se executurum obtulit, si Romanorum principem se constituerent. Hac ratione quum sibi tyrannidem comparasset, Augustulo ipso Imperatore sine offensione alia vlla permisso in priuati hominis morem vitam vt duceret, ac tertia Italiæ B parte barbaris contributa, ad decimum annum in Italia tyrannidem stabiliuit, imperiique sui sedem Rauennam primum, dein Veronam constituit: Odouacrem enim diu Veronæ resedisse auctores habeo qui scribant.

Per idem tempus Ostrogothi Orientales Gothi, qui Hunnicæ inruptionis tempore sub Valente, quando Visegothi agris mulctati sunt, & finibus suis pulsi, vlterius Istrum Hunnorum vectigales remanserant, paulo ante, post Attilæ Hunnorum regis, cui seruierant, mortem, Istro traiecto Imperatoris permissu Thraciam incolebant. Hi aduersus Orientales Romanos Theodorico duce, viro tunc quidem Zenonis Byzantii imperantis beneficio patricio & Consulari, arma substulere. Imperator autem Zeno, qui optime disponere præsentia percallebat, Theodoricum potius vt Italiam peteret, monuit, & Odoacre tyranno eie-C cto, Italiæ principatum sibi Ostrogothisque pararet; id illi longe plurimum conducturum affirmans pręstanti, ac senatorio viro, vt tyranno deuicto, Romanis, & Italicis cęteris imperitaret, quàm si secus vt imperatore inconsiderantius velit armis decernere, ac tantum inire dubiæ belli fortunæ discrimen. Theodoricus imperatoris persuasione, & consilio delectatus, à Thracia Italiam versus iter cum vniuerso Ostrogothorum populo suscepit. Qui quum in Italiam venisset, Odoacrem primo prœlio victum Veronam fugere compulit. Vbi exercitu reparato quum iterum superatus esset, Rauennæ se inclusit. Quam quum diu Rex Theodoricus obsedisset, aliquot finitimis vrbibus captis, pacem cum Odoacre Rege his conditionibus fecit, vt ambo ęquo iure Italiæ imperium obtinerent. Verum non longe post, Theodoricus per insidias Odoacrem occidit, dictitans sibi ab eo paratas clam insidias D ante fuisse. Tum omnium Italicorum animis sibi conciliatis, Gothorum omnium solus, & Italicorum imperiũ diu tenuit. Romani vero Imperatoris nec insignia quidem, nec nomen sibi descripsit, sed quo ad vixit Rex appellatus est. De eius in Italiam ingressu, atque victoria, Odoacrique cæde in vetustissimis annalibus ab illorum temporum auctore cõscriptis sic inueni: Fausto V. C. consule, ingressus est rex Theodericus in fossato pontis Sontii V. Kal. Septembris, & fugit Odoacer de fossato, & abiit Veronam. Eo anno ingressus est Odoacer rex in fossatum Herulis in pineta existentibus, & occisus est Libilla magister militum, & ceciderunt plurimi ab vtraque parte, & clausit se Rauennam Odoacer rex VI. Idus Iulias, & regressus est Rex Theodericus in Ticino XI. Kal. Septembris.

Albino V. C. Consule. Regressus est rex Theodericus ad Rauennam, & venit ad fossa-E tum Palatioli IIII. Kal. Septembris. Hoc consule quoque facta est pax inter Theodericum Regem & Odoacrem III. Kal. Martias, & ingressus est Rauennam rex Theodericus. III. Nonas Martias, & occisus est Odoacer Rex à rege Theoderico in Palatio cum commilitonibus suis.

DE

A

DE REGE ITALIÆ ET GOTHORUM THEODORICO Amalo. Cap. XIIX.



HEODERICVS Theodemiri filius summo loco inter Gothos è gēte Amala ortus, post Odoacri (vt dixi) cędem rerum diu in Italia potitus est. Qui suis ita præfuit subditis, vt omnibus ornamentis, quæ vero Imperatori congruerent, se communiret. nam & iustitiæ studuit plurimum legibus firmiter obseruatis, & à circumiectis & finitimis barbaris, Italiæ agros ad securitatem tutatus est, quippe qui ad magnanimitatis & sapientiæ summum fastigium peruenisset, atq; adeo vt in subiectos nec nimium quippiam ad iniuriam exerceret, nec cuiquam sibi id forte insinuanti assentiretur, præter id vnum, vt Gothi agrum quem Odoacer suę dederat factionis hominibus inter se partirentur. Fuit autem fama quidem tyrannus, re tamen, prę se veri Imperatoris specimen ferebat, vt qui vel eorum qui à principio ea in dignitate probatiores fuissent, nemine inferior fuerit, & Gothos item ac Italos pari quadam ac summa beneuolentia suapte humanitate persequebatur, ita vt omnes quod vtique difficillimum est eius imperium oblectaret. In ciuilibus enim & publicis rebus tractandis varia nimirum sunt mortalium vota, & sępe id accidit pręsens imperium his quidem & de improuiso vt placeat, quibus voluptati sunt quę geruntur, vel vt mœrore afficiantur, quibus aliter longe ac sentiunt, res ipsę procedunt. Hic quamquam pręcipuam regni sui sedem Rauennam esse voluisset, Veronam tamen ita frequentauit loci amœnitate delectatus, vt à Germanis deinde vsque ad nostram memoriam Theodericus Verónensis vocetur. Muros enim vrbis Veronę vetustate nimia collabentes restituit, Thermas nouas fecit, Aquęductum in loco qui dicebatur Castellus, idest iuxta Theatrum & Ecclesiam S. Syluestri reparauit. Maximum palatium de nouo à fundamentis condidit ingenti porticu circumdatum, forum & Basilicas multas vt Ioannes Diaconus tradit, restituit. Boetium quoque tunc Veronę, & Symmachum Romę existentes ipse Rauennę condemnauit, quod eius exitii pręcipua causa fuit, quum septē & triginta regnasset annis. qui vtique vt hostibus horribilis fuit, ita & subiectis immodicum sui desiderium moriendo reliquit. Mortis autem illi hęc (vt dixi) caussa fuit. Symmachus & eius gener Boetius à suis maioribus gentis nobilitatem adepti inter Romanos & Senatorios viros prīcipes erant, & consulatus vtrique dignitate perfuncti, philosophię supra cęteros & ęquitati studuerant, multisque tam ciuium, quā externorum inopię succurrendo, saluti fuere. Hi postquam ad ingentem gloriam euasere, deterrimos quosque in sui inuidiā excitarunt. A' quibus delatoribus Theodericus Rex persuasus Symmachum Boetiumque res perinde nouantes, exilio prius relegatos cum Ioanne Papa occidit, eorumque bona omnia publicauit. Sed paucis post diebus cenanti, quum mirę magnitudinis piscis ministri decoctum caput apposuissent, Symmachi nuper occisi caput illi est visum pręfixis & extantibus inferiore in labro dentibus & toruè intuentibus oculis furibundè sibi & acerbius comminari. Vnde monstri nouitate deterritus, membrisque pręter modum tremebundus & rigens, in cubiculum statim citato gradu secessit, & quum lecto decubuisset, parumper quieuit. Elpidio deinde Medico omnibus quemadmodum accidissent diligentius explicatis, patratū à se in innocentissimos scelus deflebat, atque ex accepta calamitate dolore ingenti affectus haud longe post mortuus est. Fuit etiam patrio instituto Arrianę sectę cultor, quam depressis vndique Catholicis Omousianis dum vixit mirum in modum extulit & fouit. Quare iusto Dei judicio condemnatus mala morte pro meritis luit pœnas. Eius etiamnum nomen Veronę mali ominis caussa Diatricus appellatur.

B C D E

DE

A

DE BEATA PLACIDIA. Cap. XIX.



O tempore, quo Gensericus Vandalorum in Africa rex vrbem Romam cœpit, & diripuit, inter reliquos captiuos, quos secum in Africam duxit, fuere Valentiniani III. Augusti vxor Eudoxia, & duæ eius filiæ virgines Honoria & Galla Placidia. Ex quibus Honoriam Transimundo filio suo vxorem dedit. Galla vero Placidia haud multo post in Italia remissa libera, Olybrio Occidentis Imperatori nupsit. Quo mortuo viduitatem & castitatem professa, se ipsam diuinæ tradidit philosophiæ, atq; Hierosolymam vsq; profecta, ibidem in Dei timore aliquot tempus mansit. Reuertens autem in Venetiam applicuit, Veronamq; B quum venisset, à Rege Italiæ Theoderico & vniuerso Veronensium populo honorificentissime suscepta est, multisq; & magnis muneribus donata. Quum autem aliquanto post tempore Rauennam proficisci pararet, à ciuibus rogata, per integrum annum Veronæ substitit, vbi diuina virtute plura miracula, & prodigia faciebat. Nam inter reliqua nobilis matronæ Orabilis filiam Drudam graui ægritudine vexatam, sine vlla medica ope, solis precibus liberauit, atq; non longe post leui febre correpta, Veronæ pie quieuit VI. Idus Octobris. Cadauer in Ecclesia S. Stephani in Castello sumptuoso funere conditum. Quæ basilica olim Veronæ Cathedralis erat. In qua, præter vnum & XX. Sanctorum Episcoporum Veronensium corpora, iacent etiam cadauera SS. XL. Martyrum Veronæ sub Diocletiani persequutione, C Cæsorum: item IIII. SS. Innocentium corpuscula. Ibidem etiam sepultus est Marcianus illustris in Italia patricius, qui Cos. fuit anno Christi CDLXXII. sub Leone Imperatore. In eodem porro sepulchro in quo beata Placidia, tumulatus etiam est nostræ vrbis Episcopus S. Simplicius, quem per hæc tempora vixisse constat. Qui vir humanarum ac diuinarum rerum peritissimus, quum doctrina ac rebus multis egregie gestis Ecclesiam Veronensem magnopere illustrasset, amplificassetq; circa annum Domini D. beato fine quieuit.

DE SANCTIS VERONENSIBVS EPISCOPIS VERECVNDO, ET VALENTE. Cap. XX.

C 

LORVERVNT per hæc tempora Iustino Seniore & Iustiniano Magno Augustis, Theoderico Vero & Atalarico Regibus in Italia Gothorum Sancti Veronenses Episcopi Verecundus & Valens, quemadmodum ex eorum Epitaphijs intelligi potest. E queis Verecundus vir pius, religione, doctrina, & morum grauitate vrbem nostram mirum in modum illustrauit. Obijt vero in pace XI. Kal. Nouembris. Fl. Anicio Maximo V.C. sine collega Cos. Iustino seniore Augusto, & Theoderico Italiæ rege anno Christi DXXIII. Sepultusq; est in æde omnium vetustissima S. Petri in arce supra theatrum vetus fabricata, cuius tumulo hoc incisum est epitaphium.

HIC REQVIESCIT. IN PACE SANTCAE.
MEMORIAE. VERECONDVS
EPISCOPVS.

E Vacauit tum Veronensis sedes mensem. I. dies XV. Verecundo in Episcopatu Veronensi omnium votis VI. Idus Decembris eiusdem anni suffectus est S. Valens. qui quum ijsdem artibus & studijs quibus sancti prædecessores sui Veronenses Pontifices, vixisset, populumq; in vera religione annos VII. menses. VII. & dies XVIII. rexisset, VIII. Kal. Augusti, post consulatum Lampadij & Orestis VV. CC. Anno Christi DXXXI. Iustiniano Magno Imperatore, & Athalarico Italiæ rege migrauit ad Dominum. Corpusculum cum solemni funeris pompa in æde S. Petri in arce prope prædecessorem suum collocatum est, quum annos plus minus XLV. vixisset. Quæ omnia ex eius sepulchri inscriptione ita liquent exarata.

HIC

 A

HIC. REQVIESCIT. IN PACE. SANCTVS
VALENS. EPISCOPVS. QVI. VIXIT. ANNOS
PL. M. XXXXV. ET. SEDIT
EPISCOPATVM. ANNOS
VII. MENSES VII. ET DIES
XVIII. ET. RECESSIT. SVBP.
VII. KAL. AVGVSTAS.
P.C. LAMPADI. ET.
ORESTIS. VV. CC. IND. VII.

DE REGIBVS GOTHORVM POST THEODERICVM. Cap. XXI. B



ANNO Salutis DXXVII. mortuo rege Gothorum & Italiæ Theoderico, eius ex filia Amalasuntha nepos Athalaricus adhuc puer, regnum Italicum suscepit, quod mater vtiq; præstantissima illi administrabat. Hoc octauo imperij anno etiam moriente, res Gothorum in Italia ad matrem eius Amalasuntham redactæ sunt. Quæ quum sola & sine viro esset, minus tutum arbitrata se in coelibatu manere, Theodahatum consobrinum suum Amalafridę Regis Theoderici sororis filium, latinarum litterarum sectæq; Platonicæ peritum, rei vero bellicæ prorsus ignarum, potissimum cui nuberet, delegit. Quem & maritum & in regni communionem suscepit. Is autem vbi regnum obtinuisset firmassetq; præsentium beneficiorum immemor, veterum vero simultatum quæ illi cum Amalasuntha intercesserant memor, illam paulo post potestate omni exutam in carcerem coniecit. Quam quum in insula lacus Vulsiniensis relegasset, haud longe post etiam nefarie occidit. Quæ res vt Italos præ cæteris omnibus, ita & Gothos ferè vniuersos ingenti moerore affecit. Erat enim mulier illa omni virtutum genere ornatissima. Huius cædem vlturus Iustinianus Imperator, qui tum Romanis Orientalibus præerat, bellum Gothis in Italia commorantibus & Theodahato regi intulit anno imperij nono. Quod per decem & octo annos continuos Bellisario & Narse ducibus gestum est. In cuius principio Theodahato à Gothis occiso, Vitiges inter ipsos nobilissimus Rex creatus est. Hic Romam obsedit, & multa proelia fortissime cum Bellisario gessit, à quo postremo cum omni ferè Gothorum optimatibus Rauennæ captus Byzantium ad Iustinianum Imperatorem transmissus est. C D

DE IDOVALDO ALIAS THEVDIBALDO Gothorum Rege. Cap. XXII.



GOTHIS ingenti proelio victis & Vitige eorum rege apud Rauennam à Bellisario capto atq; Constantinopolim ad Iustinianum perducto, Gothorum, qui superfuerant, reliqui in vnum congregati, Theodebaldum aliàs Idoualdum Visegothorum nobilissimum virum & virtutibus præditum & cæteris in rebus industrium Verona, cui tunc præerat, accitum, & ad castra venientem, communi omnium consensu Regem delegere, vesteq; purpurea indutum, cum omnium astantium acclamatione & plausu Gothorum regem & dominum proclamarunt, simul precati vt rebus Gothicis penè deperditis recte consulat, eaq; probe disponat. Theuda hic Visegothorum nobilissimi post reges principis sorore Veronæ genitus fuerat. Hac itaq; ratione Theodebaldus rex à Gothis creatus bellum instaurare, vrbes dirutas restituere, & militum numerum tot cladibus attritum supplere festinabat. Verum in ipso quod instruebat belli apparatu Bellæ cuiusdam Gepidis vi occisus est. Cui suffectus est Ataricus Rogus, quo paulo post vita functo, Totilas quidam Ildoualdi regis nepos, qui tum Taruisij in præsidio erat, rex factus est. Qui quum rei militaris peritissimus esset, instaurato bello, Gothicum excidium quod tunc E

sextum

A sextum annum agebat illud decem annis, quibus in imperio præfuit, protraxit. Italiam fere
omnem à Romanis duce Belisario occupatam recepit: Vrbem bis cepit, & incensa magna murorum parte diruit. Postremo in proelio fortiter cum Narse, qui Belisario successerat, pugnans occisus est. Sub huius regno Veronæ, quæ tum in Gothorum ditione erat, res memorabilis accidit, quæ libro III. à Procopio refertur.

DE VERONAE OBSIDIONE PER ROMANOS BELLO GOTHICO. Cap. XXIII.

ATARICO Rege per fraudem à Gothis cæso, Totilas Gothorum (vt dixi)
suscepit imperium. Iustinianus interim Imperator de Atarici interitu cer-
B tior factus, deq; suscepto per Totilam principatu, ducum suorum imperi-
tiam, & socordiam increpabat, quod in tantis discordijs hostium, tantisq;
revolutionibus ipsi opportunitatem rerum agendarum & aciem nacti nihil
protinus effecissent. Quibus increpationibus moti Ioannes Bessasq;, & Vita-
lius ac cæteri omnes, qui per Belisarium relicti ad custodiendam Italiam cum exercitibus fue-
rant, quando is capto Vitige Constantinopolim ad principem profectus est, dispositis per
singulas vrbes custodijs, Rauennam conueniunt, vbi Constantinus & Alexander belli du-
ces stationem habebant, consilioq; ad inuicem habito, potius fore & longe commodius vi-
sum, Veronam quæ in Venetis est prius ductari, eaq; cum Gothis ibidem manentibus in po-
testatem redacta, aduersus Totilam & in agrum Picenum deinde contendere. Sic itaq;
C ad hominum duodecim millia contractum exercitum præfecti vndecim numero Veronam
duxere. Ad quam vbi stadijs sexaginta est proxime ventum, medijs in campis castra loca-
runt, qui ea regione patentissimi sunt, & ad vrbem Mantuam pertinent. Erat tum forte
Marchianus quidam nomine, vir sanè præcipuus, qui à Verona non procul locum veluti præ-
sidium incolebat, & Iustiniani Imperatoris studiosissimus erat. Vnde Veronam Romanis
prodere nimio studio nitebatur. Erat præterea illi ex portarum custodibus quidam à pue-
ritia cognitus; ad hunc ex amicis nonnullos dimisit, qui hominem pecunijs suadendo
corrumperent, vt Imperatoris exercitum intra vrbem reciperet. Quod ferme vbi custos ille
se facturum promisit, eosdem nuntios Marchianus ad præfectos Romani exercitus mittit,
conuenta vt his per se facta renuntiarent, & secum vna nocte vt in sequenti Veronam vr-
D bem inirent cohortarentur. Visum itaq; demum præfectis illud conducere, vt eorum ex nu-
mero vnus cum paucis quibusdam præcederet, & si custos fores aduenientibus aperiret, his
protinus occupatis exercitum inde securius intra vrbem exciperent. Sed quum subire nemo
id discriminis vellet, Arthabazes solus Armenius genere & bello egregius ad id rei confici-
endum non inuitus se obtulit. Is vero Persas quondam ductauerat, quos Belisarius cum Bli-
scane quodam è Persia Byzantium paulo ante transmiserat, Isaurorum delecto præsidio. Is
itaq; ex vniuerso exercitu viris centum delectis, nocte iam intempesta, qua proxime muros
accessit, & vbi custos ex conuento portam aperuit, nonnullis ibi in custodiam collocatis,
exercitum ad se euocauit: muro deinde milites Romani inscenso, quos forte depræhende-
E runt custodes de improuiso inuadentes obtruncarunt. Quod malum Gothi vbi primum v-
niuersi sensere per portas alias ab hac longe diuersas fuga euadunt. Non procul Veronæ à
muris rupes quædam eminentior extat, vnde quæ intra vrbem geruntur conspici omnia,
veluti è specula possunt, & hominum in ea numerus haud difficulter iniri, prospectusq; lon-
gior subiectos in campos patet. Eò se Gothi quum recepissent, nocte tota conquieuerunt;
Romanorum vero exercitus qui stadijs inde aberat XL. haud dum vrbi progrediendo ap-
propinquarat. Romanorum ducibus ipsis de rebus vrbanis bonisq; Veronensium ciuium
diripiendis inter se altercantibus. Vbi itaq; dies illuxit & Gothi è summo rupis quam insede-
rant vertice diligentius cognouissent, quotinam hostium per vrbem diuagarentur, quantum
ve exercitus alius ab vrbe distaret, cursu citato per easdem portas, quibus euaserant, repetunt

vrbem: non enim ingressi antea hostes portas has occuparunt. Romani itaq; cognito Gothorum in vrbem iam reditu, pari omnes consensu in muri propugnacula fuga statim se receperunt, & superuenientibus ingenti multitudine barbaris, cum hisq; conserentes bello manus Romanorum ex agmine milites pleriq; & Arthabarzes ipse mira de se opera edendo, ac fortius decertando, hostes in se effuse ruentes validius impugnabat. Romani demum exercitus principes Veronæ rebus etsi haud dum partis inter se distributis, cum cæteris copijs Veronam eundum esse tandem decernunt. Cuius portas quum clausas inuenissent, & hostes simul se summa vi defendentes, celeri cursu mox retrocedere, profectionemq; facere fugientibus similem, tametsi suos conspicarentur supra muros pugnantes, suppliciterq; petentes ne se destituerent, sed ibidem tam diu opperirentur, quoad ipsi fuga se ad eos & incolumes recepissent. Sed quia misericordiam haudquaquam recipit timor, Romano iam abeunte exercitu, qui circa Arthabazem erant, quum præ hostium multitudine aperta vi pellerentur, suorum desperatis iam auxilijs, è muro se statim saltu præcipitant, & vtcumq; his licuit euasere. Ex quibus qui forte molli ac leni solo perlabebantur corpore inoffenso, agmine vno Romanorum se ad castra receperunt, quos inter & Arthabazes fuit. Qui vero confragrosis in locis ceciderant, ad vnum omnes interiere. Romani deinde traiecto Rodano Fauentiam se receperunt, quæ vtiq; est Æmiliæ ciuitas à Rauenna stadijs CXX. disuncta. Totilas vero vbi ea, quę Veronæ facta erant, perdidicit, Gothorum vim magnam ad se euocauit, qui quum præsto fuissent, ad quinq; millia hominum contracto exercitu in hostem ductauit. Ita Procopius libro III. Cæterum quum Totilas Romanos ingentibus affecisset cladibus, atq; quin eos Italia pelleret parum abesset, coactus Imperator Iustinianus Belisarium iterum in Italiam contra Gothos misit. Qui vario euentu diuturnam cum Gothis & Totila bellum gessit, donec accepto Narse successore Constantinopolim reuocatus est.

A B C

DE NARSE ET FINE BELLI GOTHICI.
Cap. XXIV.


ELISARIO Byzantium ab Imperatore bello Gothico in Italia maxime vigente reuocato, successor fuit Narses dux bellica virtute præstantissimus. Hic Longobardorum, Herulorum, & Hunnorum mercenarijs auxilijs adiutus, ex Illyrico per Venetorum regionem in Italiam transgressus, bellum aduersus Totilam in Italia renouauit. Totilas Narsis aduentu cognito vt Romanum exercitum transitu prohiberet, Francos Venetiam tunc incolentes solicitauit contra Romanos, ipseq; quòd roboris in Gothorum exercitu erat, delegit, ac Teiam in re militari præstantissimum his copijs præfecit, Veronamq; transmisit Gothorum ditionis tunc vrbem, vt quoad posset & ipse Romanis transitum impediret. Teias autem vbi Veronam peruenit, aditus hostibus omnes ea è regione obstruxit, locaq; omnia circa Padum imperuia fecit, infestaq; hosti & commeatibus reddidit, aditibus vndiq; interseptis. Romani vero locorum peritis ducibus secundum mare itinere facto, superatis impositione pontium fluminum ostijs, Rauennam haud difficulter Gothis elusis sunt profecti. Vbi de summa rerum cogitari cœptum. Cęterum post aliquot leuia & varia prælia dies ad pugnam cum Totila statutus, in quo supremo demum conflictu habito, Gothisq; ingenti proelio superatis, rex Totilas interfectus est. Occiso Totila, Valerianus Romanorum exercitus dux circa Veronam, & hanc obsessurus redacturusq; Romanorum in potestatem, castra locauit. Gothi vero, qui in eius loci præsidio, erant hostium ex insperato aduentu perterrefacti, cum Valeriano in colloquium venerunt, & simul se illi polliciti sunt vrbem ac suos non longe post dedituros. Quam rem Franci quum accepissent, qui in Gothorum auxilium venerant, præsidia quæcunq; in Venetis Gothi, aut loca haberent præoccupare, con-

D E

A conuentaque omnia inter hos facta de Verona vrbe tradenda, promptius impedire, eaque terra Romanos, vt sibi debita, enixe arcere & dignum denique ducere per se hanc esse recuperandam. Vnde Valerianus re infecta discedere cogitur. Ex Totilę autem copiis qui nuper è prœlio integri euasere, flumine Pado traiecto, cũ his qui in Picẽtibus erant adiuncti Teiam sibi regem constituunt. Is post Totilam Gothorum Rex factus, omnibus in vnum contractis exercitibus, aduersus Narsem Romanosque, vniuersis viribus bellum instaurauit, in quo Gothis ad internecionem penè deletis Rex ipse fortiter dimicãs occisus est. Qui vero ex prœlio etsi non multi superfuere, Romanis instantibus, nec fugę spatium permittentibus, crebris tamen oppressi incursionibus, vbi in loca aridiora se coegissent, victos sese esse professi sunt. Hi statim nuntios ad Narsem misere primores eorum, pacis conditiones petentes. Qui ab eo has accepere, vt eas terras, quas in Italia iam ante obtinuerant, tamquam proprias B libere & sine formidine colerent, & nullo Rege creato, Romanorum Imperatori obedirent, eique tributa annua penderent, bellum vero cum Romanis nulla occasione, nec quauis de caussa in posterum gererent, sed deductis ex vniuersę Italiæ vrbibus eorum prę sidiis, eam liberam Imperatoris potestati permitterent. Hunc igitur in modum ea tempestate Gothi ictis cum Romanis fœderibus diuersi mox abire. Siquidem qui infra Padum loca incolerent, in Tusciam Liguriamque quocumque animus ferret, vel forte singuli insueuissent mox abscessere. Alii vero vno agmine profecti, fide iure iurando data acceptaque, Pado traiecto, per Venetiam in castellis & oppidis dispersi sunt, in quibus antea permansissent duodeuicesimo eius belli anno exacto. Quo tempore & Verona cum reliqua terra Italia è Gothorum manu in Imperatoris Constantinopolitani potestatem venit Italiam pro eo tunc Narse ob- C tinente. Annus autem in quo bellum Gothicum finitum est, Veronaque in Romanorum Orientalium iterum ditionem deuenit fuit à Christi Natali D. L I I I. A' regno vero Odoacri quo barbari primum exactis Occidentis Imperatoribus Italia potiti sunt L X V I I. Atque ita Verona post primum fœdus à Venetis & Cenomanis anno vrbis D X X I X. cum Romanis ictum tempore belli Gallici Cisalpini vsque ad Augustuli imperium in Romanorum societate primum, deinde ditione annos plus minus fuit D C C. Ab anno vero quo colonia Latina deducta est vsque ad eundem Augustulum anni sunt DLXIII. Odoacrio, Theoderico, & reliquis Gothorum regibus vsq; ad Teiam seruiuit annos LXXVII. Gothis anno Domini DLIII. omni Italiæ principatu à Narse deiectis.

D *ITALIÆ DVX NARSES. Cap. XXV.*



OTHIS Italiæ imperio deturbatis, ea in victoriæ præmium patricio Narsi ab Imperatore Iustiniano concredita est, qui Ducis Italiæ titulo vsus, eidem annos XVI. præfuit. Quo temporis interuallo Francos, Gallias incolentes, qui à Gothis clam sollicitati cum infinita multitudine sub eorum rege Theodeberto alpibus superatis in Italiam traiecerunt. Ingentibus prœliis superatos Italia omni expulit; duos eorum nobilissimos duces Buccilinum, & Amingum, quos idem Theodobertus Francorum Rex in Gallias reuertens in Italia reliquerat, oc- E cidit. Ex quibus Buccilinus, quum pęne totam Italiam igni, ferroque vastasset, & in Campania hiemare disposuisset, in loco, cui Tanneta nomen est, graui bello à Narsete superatus, extinctus est. Amingus vero, dum Vidino Gothorum duci contra Narsem rebellanti auxilium ferrẽ conatus fuisset, ab eodem superatus interficitur. Quo tempore tertius Francorum Dux Leutharius Buccilini frater, dum multa præda Italica onustus in Gallias reuerteretur inter Veronam, & Tridentum iuxta lacum Benacum obiit. Quo mortuo & Italia à Francis liberata, Narses Sindualdum Herulum Brentorum Regem rebellantem bello superatum laqueo suspendit. Et postremo per Dagisteum magistrum militiæ virum fortissimum vniuersam Italiam pacatissimam reddidit. Cuius virtuti bellicæque felicitati quum plerique Romanorum inuiderent, vt homini nouo ad tantos honores euec-

cto, eum Iustino Imperatori, qui Iustiniano mortuo in imperio successerat, fictis criminibus A
accusauerunt. A quo quũ ex Italia non sine exprobrationibus, & iurgiis reuocatus esset, administratione omni priuatus, contumeliis quoque à Sophia Augusti irritatus, Longobardos, qui tunc cum Hunnis Pannoniam incolebant, quorum præcipue auxilio Gothos Italię principatu eiecerat, in Italiam, vt eam Imperatori eriperent euocauit, atque omnibus modis ad eam inuadendam solicitauit. Qui sub eorum Rege Albuino Pãnoniam Hunnis relinquentes cum vxoribus & liberis omnique supellectile in Italiam descenderunt anno Domini DLXIIX. Quam breui temporis spatio, pulsis Imperatoris Orientalis præsidiis, ferè omnem occuparunt. Quorum prima impressione Verona ab his possessa est. Narses primo belli Longobardici impetu de Campania Romam reuersus, ibidem moritur. Cuius corpus locello plumbeo Constantinopolim delatum est. Cæterum quinam hi Longobardi fuerunt: B
& qua ratione Regnum Longobardicum in Italia fundarint sequenti, libro exponam.

FINIS LIBRI QVARTI.

ONV-

A ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FR. EREMITÆ AVGVSTINIANI

ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER V.

B *QVÆ GENS LONGOBARDI FVERVNT. Cap. I.*



ONGOBARDORVM gens, quæ feliciſſimè ducentis in Italia regnauit annis, ex Germaniæ Magnæ populis originem duxit: quę quum ante Vvinnilorum nomine appellaretur, poſtea ab intactę ferro barbæ longitudine ita vocitata eſt. Eorum enim lingua long longum, bard barbam ſignificat. Eam Tacitus in libro de Germanorum moribus inter vetuſtiſſimos Germanicos populos refert. Hęc è Scandinauia Balthici Maris peninſula nouarum ſedium quęrendarum gratia, ob multitu-C dinem egreſſa traditur. Cuius regionis populi quum in tantam multitudinem creuiſſent, vt amplius eos continere ager ipſe non poſſet, morem veterum Germanorum ſequuti, omne in tres partes multitudine diuiſa, quænam ex illis natale ſolum relictura eſſet, vt nouas ſibi ſedes procuraret ſorte quæſiere. Ea igitur pars, cui fato euenit, auitos agros patriamque relinquere, & alienas prouincias ad habitandum quęrere, duobus creatis longi itineris ducibus fratribus Ibore & Agione ætate ſimul & nobilitate florentibus ad exquirendas quas incolere terras poſſent, ſedeſque firmas ſtatuere, ſuis & patriæ nouiſſimo vale dicto, iter ſuſcepere. Peregrinationis ducibus mater Gambara ſeſe adiunxit, mulier inter Barbaros ingenio, conſilio, & auctoritate præſtans, cui plurimum omnes confidebant, tamquã mulieri, quę naturę ornamen-D tis neſcio quid diuinitatis etiam addidiſſet.

DE LONGOBARDORVM MIGRATIONIBVS, REGIBVSQVE primis. Cap. II.



ONGOBARDI igitur qui & Vvinnili magna multitudine egreſſi ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique littore, & magna Germanici Maris peninſula Scandinauia, ex qua etiam Gothi, Alani, & Vandali exiere, regionem, quę Scoringa vocabatur, primum obtinuerunt, Auſonio & Olybrio Cos. anno ſalutis CCCLXXIX. Gratiano & Theodoſio Seniore Romanis E Imperatoribus. Quę loca aliquot annis pacifice poſſedere. Vbi proximos Vandalos ſe crebris incurſionibus laceſſentes ingẽtibus prœliis cæciderunt. Deinde, ob frugum inopiam, quum fame coacti eſſent Scoringiam relinquere in prouinciam Mauringam fertilioris agri profecti ſunt. Ibi eorum ducibus Ibore & Agione mortuis imperii ducum pertęſi cæterarum gentium more Regem ſibi crearunt primum Agionis filium Agelmundum nobiliſſimo genere ortum. Quo à Bulgaris in pręlio occiſo, Longobardorum ſecundus Rex fuit Lamiſſo. Poſt quem III. Leth. IIII. Gildeochus & V. Gedeochus rerum in Longobardis potiti ſunt. Sub Gedeocho Longobardi ex Mauringa egreſſi, fatis his ad Italiam iter monſtrantibus, noſtro cœlo vicinioribus regionibus propinquantes in Rugulandiam

ideſt

idest Rugorum regionem, venerunt. Quæ, Rugis cum eorum rege Feletheo ad internecionem ab Odouacre Herulo Gothorũ in Italia Rege paulo ante cæsis, cultoribus vacua erat, regio alioqui fertilis, aerisque clementioris. Gedeocho in Rugulanda VI successit Rex Claffo, cui VII Tado, sub quo Longobardi Rugulandam relinquentes in campos patentes trans Istrum consedere, qui barbare Felden nominabantur. Vbi Erulos ingentibus prœlijs attritos vectigales sibi fecere. Post Tadonem Longobardis VIII præfuit Vachao, qui Gepidas vicit, & Sueuos debellauit. Deinde IX Valtarithus Longobardorum Rex fuit. Omnes autem hi Reges Adilingi fuerunt. ita enim apud eos nobilissima hæc familia vocabatur. A

DE LONGOBARDORUM IN PANNONIAM ADVENTU. *Cap. III.*

B



ALTARITHO vero septimo regni anno mortuo X Andoinus regnum adeptus est. qui haud ita multo post Longobardos in Pannoniam adduxit, eamque Hunnis expulsis occupauit. Cum Gepidis multa & præclara bella gessit, quibus Andoini filius Alboinus Turismondum Gepidarum regem interfecit. Post Andoinum XI Longobardorum Rex fuit celebratissimus Alboinus, qui diu in Pannonia maxima cum belli laude regnauit. Qui quum rei militaris peritissimus esset, multa & præclara bella fortissime confecit, Gepidas Cunimundo eorum rege occiso omnino debellauit. Narsi contra Gothos pro Imperatore Iustiniano Augusto in Italia bello laboranti auxilia misit. Quæ per Maris Hadriatici sinum in Italiam transuecta non modicum victoriæ momentum attulerunt. Eorum C siquidem fortitudine & pugnandi peritia factum est, vt Totila rege occiso, Gothicum nomẽ in Italia deletum fuerit. Quo bello feliciter à Narse confecto, multis muneribus donati in Pannoniam reuersi sunt. Omnique tempore quo Longobardi Pannoniam tenuere, Romanis Imperatoribus aduersus ipsorum hostes auxilia semper sedulo subministrarunt. Mansere autem in Pannonia Longobardi annis plus minus XL.

DE LONGOBARDORUM IN ITALIA ADVENTU. *Cap. IV.*



GOTHIS (vt dictum est) deletis, quum Narses multam sibi dignitatem in Italia D comparasset, procerum Romanorum aduersum se inuidiam concitauit. A quibus apud Imperatorem Iustinum accusatus, quum ex Italia successore Longino accepto reuocatus esset, odio metuque exagitatus obtemperare cõtempsit. Sophiæ quoque Imperatricis iniuriis lacessitus, Neapolim Campaniæ ciuitatem successit. Vnde legatos statim ad Longobardos in Pannoniis agentes direxit, suadens, vt aridissimis, inclementiorisque cęli Pannonicis agris relictis, ad possidendam Italiam omnibus bonis diuitiisque refertissimam venirent, simulque multa pomorum genera aliorumque fructuum copiam, quorum Italia ferax est, illiciendæ gentis caussa ad eos misit. Longobardi autem lætis & optatis nuntiis exciti sub Rege Alboino iter in Italiam parantes Saxones in itineris E possessionisque partem exciuere. Quibus ex Saxonibus plusquam XXX millia virorũ cum vxoribus simul & paruulis se adiunxere. Tunc Alboinus sedes proprias, Pannoniam videlicet propinquis Hunnis contribuit, hac conditione tamen interposita, vt si aliquando Longobardis reuerti necesse foret, suos rursus agros reciperent. Longobardi igitur relicta Pannonia cum vxoribus & filiis omnique suppellectile in Italiam profectionem edicunt, quum in Pannonia annis XVII. habitassent. De qua egressi sunt mense Aprili Indictione prima altero die post Paschatis solemnitatem, quæ eo anno Kal. Aprilis fuit. quum iam annus à partu Virginis DLXIIX. ageretur. Quum autem Alboinus cum omnibus copiis vulgique ingenti multitudine ad extremos Italię fines peruenisset, Venetiæ partes primum inuasit.

A Carnisq; & Iapudibus obtentis ibidem primum ducem cōstituit Gisulphum fratris sui filium, qui sub ducis Fori Iulij nomine uniuersam Venetiam gubernaret. In Venetia igitur Alboinus oppidum Fori Iulij primum, deinde Taruisium, Vicetiam, nostramq; vrbem Veronam & reliquas Venetiæ vrbes præter Patauium, Montem silicis, & Mantuam, nullo qui resisteret existente, occupauit, Imperatorisq; Orientalis præsidia ex omnibus profligauit. Quum autem biennij spatio uniuersam Venetiā vsq; ad Abduam fluuium obtinuisset, tertio aduentus sui anno ineunte Insubres, Tuscos, & Ligures omnes Mediolano, Ticinoq; captis, subegit, omnemq; Italiam, quæ cis vrbem & Anconam est, Rauenna & vrbe ipsa exceptis, in deditionem accepit. Atq; in ea Longobardos suos, & qui cum ijs venerant Gepidas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, Noricos, & Saxonum partem magna Italici agri parte antiquis cultoribus adempta, suisq; distributa, collocauit. Ex quo tempore Longobardorum in Italia regnum fundatum maximis belli pacisq; artibus celeberrimum annis ducentis sub XX. regibus perdurauit. Quorum imperium ab Alboino statutum sequentes reges omni paulatim fere Italia præter urbem tantum in deditionem accepta, mirum in modum adauxerunt, atq; in eam quam modo explicabo rationem, vniuersam Italiam constituerunt.

B

DE REGNI LONGOBARDICI RATIONE. Cap. V.

QVVM Longobardi præter Vrbem, Rauennam, & aliquot præterea paucas vrbes Italiam omnem Græci Imperatoris præsidijs pulsis obtinuissent, in hanc ferè rationem regnum suum in Italia constituerunt. Rex qui toti Longobardorum genti præesset Ticini regni sede locata, ibidem commorabatur. Huic quotquot in Italia erant Longobardi parebant. Italia deinde omnis in quinq, præterea Diœceses siue administrationes distincta erat, quarum tres à ducibus, duæ a Marchionibus regebantur. Duces erant Beneuentanus, qui Campaniam, Brutios, Samnites, & Lucanos obtinebat. Spoletanus, qui Vmbriam omnem, & Tusciam regebat, & Foroiulianus qui Carnis & Iapudibus imperabat. Ex Marchionibus alter Picenum, alter vero Venetiam obtinebant. A' quibus ijs prouincijs & Marchiæ nomina indita, reliqua Italia Regi immediate parebat. Qui in singulis alicuius nominis Vrbibus, vt Mediolano, Bergomo, Brixia, Tridento, Verona, & alijs eiusmodi præfectos destinabat, qui Ducis titulo dum viuerent summo cum imperio his vrbibus præessent, eorumq; arbitrio ciuitates ipsæ regebantur, ijs omnibus immunitatibus & priuilegijs, eaq; viuendi ratione adempta, quæ sub Romanorum & Gothorum imperijs habuerant. Hinc sæpe in Longobardorum antiquis historijs ducum Veronensium mentio est. vt etiam & cæterarum vrbium. Verona igitur Anno Christi DLXVIII. à Longobardis capta est, postquam Colonia Latina deducta fuerat, & in Romanorum iura transierat Anno DC. In cuius gentis potestate sub ducum imperio annos CCIIII. permansit, donec victis Longobardis, ipsorumq; in Italia imperio deleto, cum reliqua Italia in Francorum potestatem deuenit.

C

D

E

DE ALBOINI COEDE. Cap. VI.

ALBOINVS igitur quum magnam Italiæ partem obtinuisset, regni sui caput Veronam ipse constituit, quamquam reliqui qui post sequuti sint Reges, id Papiam transferre curauerint. Qui postquam in Italia tres annos & sex menses regnasset, Veronæ coniugis suæ Rosimundæ insidijs interfectus est. Cuius cædis ipse caussa fuisse ita memoratur. Quum in conuiuio vltra quàm oportuisset Veronæ lætus resideret, poculo quod de capite Cunimendi regis Gepidarum soceri sui à se quondam in bello occisi fecerat, reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, eamq; vt cum patre suo alacri-

alacriter biberet inuitauit. Qua iniuria irritata mulier, viro insidias Helmigis & Peredei præcipuorum aulicorum opera parauit. A quibus dormiens meridie occisus est. Cuius corpus maximo cum Longobardorum fletu sub scala, quæ palatio contigua erat, Veronæ conditum est. Cuius sepulchrum ducentis annis post Giselbertus dux Veronensis aperiens ensem eius & reliqua regia ornamenta quæ in eo inuenerat abstulit. Alboino mortuo Helmigis & Peredeus eius interfectores cum coniuge Rosimunda Rauennam ad Longinum Fabricium, qui Exarchi sub nomine pro Imperatore Italiæ præsidebat confugere, omnesq; haud longe post misere perierunt. Longobardi interim Veronæ concilio gentis congregato, Clephem virum nobilissimum Regem crearũt, qui Ticini primus regni Longobardici sedem locauit, qui altero imperij anno occisus est. Post cuius mortem Longobardi annis X. sine rege fuerunt, sed vnusquisq; ducum suam obtinebat ciuitatem. In his Zabanus Ticinum, Alboinus Mediolanum, Vallaris Bergomum, Albaris Brixiam, Comus Tridentum, Gisulphus Forum Iulij, Autharis Clifonis filius Veronam, & reliqui XXX. numero suas vrbes regebant.

DE EPISCOPO VERONENSI SOLACIO, ET ERECTIONE Monasterij S. Mariæ in Organo Veronæ. Cap. VII.



IN interregno Longobardico quum Dux Autharis Veronam obtineret, Tiberio vero Constantino Iustini iunioris successore Romanis apud Constantinopolim imperante, Veronæ Episcopus Solacius fuit. Sub quo Abbate feroce monasterium S. Mariæ in Organo exstructum est, vt ex vetustissimo fundationis eiusdem cœnobij diplomate à Pelagio Papa primo edito intelligi potest, quod ex eiusdem archiuo habui. Ita autem scriptũ est.

Pelagius vniuersalis Episcopus Paulo dilecto in Domino filio Sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ Patriarchæ perpetuam in Domino Salutem. Cum magna nobis solicitudine insistit cura pro vniuersis Ecclesijs Dei, ac pijs locis vigilandum, ne aliquam necessitatis iacturam patiantur, sed magis propriæ vtilitatis stipendia consequantur: conuenit nos tota mentis aperitione Ecclesiarumq; locorum earundem stabilitatem integritatem maxime procurare, vt Deo Omnipotenti sit acceptabile id quod pro eius sancti nominis honore & gloria studemus confirmare. Vnde quia postulastis à nobis, quatenus Patriarchatus S. Aquileiensis Ecclesiæ cœnobium quod Ferox Abbas extra muros ciuitatis Veronæ in loco, qui dicitur ad Organum construxit, quod vestræ subiecit ditioni cum omni suo honore & suis pertinentijs totum confirmaremus, inclinati vestris precibus, & per interuentum atq; petitionem Serenissimi Tiberij Constantini Imperatoris, consentiente quoq; Solacio Veronensis Ecclesiæ Episcopo, vobis vestrisq; successoribus apostolica auctoritate concedimus, & per huius nostri priuilegij paginam cœnobium S. Mariæ ad Organum confirmamus, Statuentes quoq; ipsum vobis monasterium cum omnibus terris cultis & incultis, seu decimationibus, cum omnibus atensionibus vel appenditijs quæsitis vel inquirendis, nec non ipsius loci Ecclesiæ ab assuetis ordinationibus consecrationem & omnium sub iure nostro atq; dominio, vestrorumq; successorum subiacere atq; pertinere corroboramus, statuimus, & apostolica censura sub diuini judicij obtestatione & anathematis interdicto, vt nullus vnquam nostrorum successorum Pontificum, nullusq; Episcopus, nullusq; magna vel parua persona quamlibet ordinationem Abbatis facere præsumat, nisi nostro consensu nostrorumq; successorum. Si quis vero quod non optamus temerario ausu nostri huius apostolici priuilegij transgressor extiterit, sciat se auctoritate Dei Omnipotentis, & Apostolorum Petri & Pauli, & nostra qui eorum vice fungimur maledictum & anathematizatum. Qui vero pro intuitu custos & asseruator huius priuilegij extiterit benedictionis gratiam à nostra sede, & à misericordissimo Deo nostro consequi mereatur in secula seculorum.

Scriptum per manus Laurentij presbyteri S. R. E. Bibliothecarij mense Martio Indict. III. Bene Valete.

Ego

A *Ego Pelagius Rom. Sedis Pontifex ss.*
Ego Solacius Veronensis Episcopus.
Ego Ferox Abbas Monasterij.

DE ALIQVOT LONGOBARDORVM REGIBVS, ET DILVVIO. Cap. VIII.

LONGOBARDI cum per annos decem sub ducum imperiis fuissent, tandem communi gentis congregato concilio, Autharim Veronensem ducem Clephonis regis filium Regem crearunt mense Martio anno Domini DXXCIII. Hic vxorem duxit Theudolindam Garibaldi Baioariorum regis filiam, quam in campo, qui Sardis dicebatur, supra Veronam suscipiens, Veronæ magno apparatu nuptiis celebratis, cunctis lætantibus Idibus Maij desponsauit. Quo tempore Insulcognatus Regis Autharis Veronæ Dux apud ipsam vrbem est interfectus. Caussa cædis in obscuro est. Sub rege Authari Francorum Rex Childebertus ingentem exercitum in Italiam misit, qui auspiciis Cedini læuam partem ingressus Veronam vsque peruenit, multaque oppida tam Veronensis quàm Tridentini agri crudeliter diripuit: in quibus præcipua fuere Tesana, Maletunum, Sermosanum, Appianum, Fagitana, Cimbra, Brixianum, Brentonicum, Malsesene, Mase, duo in Alsuca, & aliud propè Veronam. Hæc opida quum Franci diripuissent, ciues omnes captiuos duxerunt. Verum fame ac morbo coacti tertio quàm in Italiam venerant mense ad sua rediere. Post Autharim porro quartus in Italia Longobardorum Rex fuit Fl. Agilulphus ex Duce Taurini creatus anno DXXCIIX. Qui quum annos XXV. regnasset, filium Adoualdum regni successorem reliquit. Porrò sub rege Agulpho anno Domini DXC ingens, vt Paulus Diaconus ex Beato P.P. Gregorio scribit, fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum, & Galliæ Cisalpinæ, cæterisque terræ Italiæ regionibus, quale maximum post Noè tempora creditur non fuisse. Agri multi aquis submersi, villarum, opidorum, hominum, & pecorum magnus fuit interitus. Itinera disiecta sunt, & viæ dissipatæ, tantumq; Athesis fluuius excreuit, vt circa Basilicam Beati Zenonis Martyris, quæ nunc Oratorium eius dicitur, tuncque extra vrbis muros sita erat, vsque ad supremas fenestras aqua pertingeret, quamquā sicut Beatus Gregorius, qui postea Pontifex Romanus fuit, scripsit, in eandem Basilicam aqua minime introierit. Vrbis quoq; nostrę muri ex ea parte ipsamet inūdatione subruti sūt. Quo anno etiam Athesis vetere vado relicto, nouum sibi, quem etiam nunc tenet, alueum quæsiuit. Facta est autem inundatio hæc Kal. Nouembris. Tantæ quoque coruscationes & tonitrua tunc fuerunt, quantæ vix media æstate fieri possent. Post duos etiam menses vrbs Verona magna ex parte incendio concremata est. Ita Paulus Diaconus libro historiæ Longobardicæ III. cap. XI. Vnde porrò id incendium Veronæ exortum fuerit, adhuc mihi incompertum est. Casu id accidisse existimo, non hominum vi, quando hoc tempore vrbs ipsa ligneis tota ædificiis compacta fuerit.

DE IVNIORE EPISCOPO VERONENSI, ET SYNODO Marianensi. Cap. IX.

PER hæc tempora Episcopatum Veronæ gerebat Iunior, quo Romæ S. Papa Gregorius florebat. Hunc in historia Pauli Diaconi Longobardica numeratum inuenio inter decem Episcopos, qui Concilio Mariano interfuerunt, quo in concilio Seuerus Patriarcha Aquileiensis peccatum suum & fassus & detestatus est, quod antea Zmaragdi patricii suasu vnà cum aliquot suæ ditionis Episcopis in Manicheorum sectam consensisset, ac Rauennam ab eo perductus cum Ioanne Episcopo Rauennate amicitiam, fœdusque confirmasset, qui Ioannes à Vigilio & Pelagio Romanis

pontificibus & Romana Ecclesia desciuerat. Hanc vero rem diffuse libro III. cap. XII. historiæ Longobardicæ tradit Paulus Diaconus. *His diebus* (inquit) *defuncto Helia Aquileiensi Patriarcha, postquam XV annos sacerdotium gesserat, Seuerus huic succedens regendam suscepit Ecclesiam. Quem Smaragdus Patricius veniens de Rauenna in Grados per semetipsum è Basilica extrahens Rauennam cum iniuria duxit cum alijs tribus ex Histria episcopis, Ioanne Parentino, Seuero, & Vindemio. Quibus comminans exilia, atque violentiam inferens communicare compulit Ioanni Rauennati Episcopo trium capitulorum damnatori, qui à tempore Papæ Vigilij & Pelagij à Romanæ Ecclesiæ desciuerat societate. Exacto verò anno à Rauenna ad Grados reuersi sunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri episcopi eos receperunt. Smaragdus autem Patricius iuste correptus successorem Romanum Patricium accipiens Constantinopolim remeauit. Post hæc facta est Synodus decē Episcoporum in Mariano, vbi receperunt Seuerum Patriarcham Aquileiensem dantem libellum erroris sui, quia trium capitulorum damnatoribus communicauerat Rauennæ. Nomina vero episcoporum, qui se ab hoc schismate cohibuerunt, hæc sunt: Petrus Altinas clarissimus, Ingenuinus Sabionensis, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronensis, Horuntinus Vicentinus, Rusticus Taruisinus, Fonteius Feltrinus, Agnellus Acilanus, Laurentius Bellunensis, Maxentius Iuliensis, & Hadrianus Polensis. Cum patriarcha autem communicauerunt episcopi: Seuerus, Ioannes Parentinus, Ioannes Patricius, Vindemius, & Ioannes.* Atq; hæc Paulus Diaconus scripsit. Cæterum Iunior hic Episcopus multa alia gessisse memoratur.

DE RELIQVIS LONGOBARDORVM REGIBVS. Cap. X.



ANNO Domini DCXXIII. Adalualdo Longobardorum Rege se ab regni primoribus abdicare coacto, regnum Longobardicum in Italia VI. suscepit Arioaldus, cui VII. successit Rotharis, qui multa Italiæ oppida vi à Romanis cepit, & leges Longobardorum, quas sola memoria & vsu retinebat in vnum edidit, edictumq; opus ipsum appellauit. Post quem VIII. rex fuit Rodoaldus, deinde IX. Aribertus, post X. Gundibertus. XI. Pertarithus. XII. Grimoaldus. XIII. Garibaldus, & XIIII. Cunibertus. Contra hunc tyrannidem in Italia inuasit dux Brixianus Alahis, qui non longe post prælio superatus occisus est. Ansfridus quoq; dux Foroiulianus, quum à Cuniberto defecisset, Veronæ captus erutis oculis relegatus est. Cuniberto anno salutis DCCV. XV. successit filius Luitbertus. Quo occiso regnum obtinuit XVI Ragumbertus, post XVII Aribertus iunior, deinde XVIII. Asprandus. Postremo XIX Luitprandus. sub quo ossa Sanctissimi Patris Aurelij Augustini ex Sardinia Ticinum translata sunt. Hic etiam Rex multas Aemiliæ & Piceni vrbes, quæ in Græcorum ditione adhuc supererant, occupauit. Hoc tempore Veronæ Theolapius quidam prophetiæ spiritu clarus florebat, qui inter multa miracula, quæ in dies edebat, diuino spiritu agitatus, futura multa prędicere solebat. Obiit autem Rex Luitprandus XXIIX regni sui, Christianæ vero salutis DCCXLIII. Fuit vero vir multa sapientia præditus, in consiliis prouidus, pius admodum pacisque cultor, & omni virtute ornatus.

DE PATERNO EPISCOPO VERONENSI. Cap. XI.



VIXIT etiam Veronæ regnante Luitprando Episcopus Paternus vir in diuinis scripturis eruditissimus, omniq; virtutum genere cumulatus. De quo in vetusta hac inscriptione, quæ in columella incisa est sub ara maxima Basilicæ S. Georgij in Valle Pulicella, mentionem fieri inueni.

A IN . N . DOMINI . N . CHRISTI
DE . DONIS . S . IOANNIS . BAPTISTAE . DEDICATVM
EST . . . . SVB . DOMINO . N . LVITPRANDO
REGE . ET . SVB . PATERNO . DOMINO . EPISCOPO
ET . CVSTODIBVS . EIVS . VIDAIANO . ET
TANCOL . PRESBYTERIS . ET . REFOL
GASTALDIO . GONDELIF
INDIGNVS . DIACONVS . SCRIPSI

DE RELIQVIS LONGOBARDORVM REGIBVS, ET REGNI *Longobardici excidio. Cap. XII.*

B LVITPRANDO in regno successit XX. Hildebrandus eius fratris filius. Quo paulo post abdicare coacto Rachis Rex XXI. creatur. Cui monasticam vitam Cassini professo frater successior fuit nomine Arstulphus. post quem nouissimus Longobardorum Rex fuit Desiderius creatus anno Domini DCCLVI. Hic cum contra Romanos & Papam Hadrianum hostilia arma mouisset à Francis Duce Carolo Magno, qui in Romani pontificis auxiliũ euocatus alpibus superatis in Italiam inruperat, prælio victus, mense Maio captus est anno Domini DCCLXXIV. & in Galliam relegatus. Quo anno Ticino regni Longobardici metropoli in deditionem accepta, Longobardorum regnum defecit, Italiaque Francis cessit C anno postquam Longobardi eam cum vrbe nostra occupauerant CCVI.

DE ADELGISO ET VERONÆ A FRANCIS EXPVGNATIONE. Cap. XIII.

CVM Longobardorum Rex Desiderius prælio à Francis superatus Ticini obsideretur, eius filius Adalgisus, de cuius virtute plurimum Longobardi confidebant, Veronę omnium terræ Italiæ vrbium tunc munitissimę, valido cum exercitu se conclusit, Ticinensis obsidionis euentum expectans. Quum ingenti comparato exercitu, iam Francis formidabilis videretur, Carolus Magnus Francorum Rex, qui tum Ticinum obsidione premebat parte exercitus ad vrbis expugnationem relicta, ipse cum Francorum lectissimis Veronam D oppugnare est adorsus. Quam quum expugnasset Adelgisius etiam spe frustratus, patriæq; rebus iam desperatis, relicta Italia, ad Constantinum Imperatorem Constantinopolim profectus est, vbi in patriciatus ordine, atque honore consenuit. Papia vero cum omni Italia in deditionem à Francis accepta, Carolus Magnus Francorum Rex, Longobardorum regnum suo adiunxit imperio, seque deinceps Francorum & Longobardorum regem vocauit. Qui Veronæ muros restitui iussit: Veronensiumque priuilegiis quę sub Longobardorum regno habebant confirmatis, Vicarium ibidem reliquit, qui Comitis sub nomine vrbem regeret, eamque Francis conseruaret. Fuit autem Verona sub Francorum Imperio annis ferè CXIV. à Caroli Magni vsque ad Arnulphi tempora, sub quo quum Itali à Francis defecissent, Regnum Italicorum imperio cum reliqua Italia, vt postea dicam, adiunctum est.

E DE CAROLO MAGNO IMPERATORE, ET EIVS FILIO *Pipino Rege Italiæ, atque de Basilicæ S. Zenonis maioris exædificatione. Cap. XIV.*

ANNO Dominicæ Natiuitatis DCCC. ineunte VIII. Kal. Ianuarij die ipso Natalis Domini Leo Papa III. populi Romani scito Clerique rogatu, quum Imperij Romani maiestas, omnia sibi Barbaris vẽdicantibus, obsolesceret, nec in fœmina Hirene. Byzantii tum rerum potiente, quamquam altæ indolis, multum præsidij inesse videretur, Carolum Magnum Pipini filium Francorum Regem ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanorum Imperatorem auito in Occidente imperandi more restituto, pri-

mus appellauit, inunctumque Augustum consecrauit anno ex quo in Italia imperare desitum erat, atque ab Augustuli nouissimi in Italia ante Gothos imperatoris erectione CCCXXV. mense IIII. Tunc autem orbis Romanus, more maiorũ, duos iterum Imperatores habere cœpit, Orientalem, qui Constantinopoli manebat, & Occidentalem, qui Romę in Italia, Germania, & Galliis rerum potiretur. Quo tempore vrbs nostra in Occidentalium Imperatorum, qui ex Regibus Francorum legebantur, ditione permanebat. Carolus porrò magnus Imperator Augustus renunciatus, maiorem filium nomine Pipinum, Longobardorum, & Italiæ regem creauit; qui ante patris obitum moriens, Veronæ, vt fama constans est, iuxta Basilicam S. Zenonis à se conditam sepultus est. Hic, vt ex vetustissimis eiusdem cœnobij monumentis liquet, rogatu Episcopi nostri Rotaldi, S. Martyri Zenoni vrbis nostræ patrono, nobilissimam illam exstruxit cũ monasterio Basilicam, quam Monachis colendam tradidit, multisque magnis & regijs prorsus muneribus donauit. A B

DE S. ANNONE EPISCOPO VERONENSI. Cap. XV.



EMPORE quo Carolus Magnus Francorum Rex Longobardorum gentem superauit, Veronamque vrbem cum reliqua Italia suo adiunxit imperio, circa annum Domini DCCLXX acceptissimus Deo vir Hanno ex parentibus Veronensibus ortus, non minus religione quàm generis nobilitate clarus, ad Episcopatum Veronensem ex presbytero eiusdem Ecclesiæ omnibus cleri populique suffragijs lectus est. Hic sororem habuit nomine Mariam, fœminam piam & altæ indolis, quæ, quòd vrbem multiplici itidem inuentorum ab se remediorum genere subleuasset, consolatricis sibi apud populum cognomen inuenit. Quæ post mortem inter Diuas relata, Veronę etiam cum summa populi veneratione colitur. Cæterum Episcopus Hanno ædem S. S. Virginum Tuscæ sororis diui Proculi, quondam Veronensium Episcopi, & Teuteriæ eiusdem discipulæ errexit, & vtriusque cadauer marmoreo ibidem in sepulcro honorifice collocauit, haud longe ab Ecclesia S S. XII Apostolorum. Quum autem de Ecclesia nostra optime vir sanctus meritus esset, obijt sub eodem rege Carolo Magno circa annum Domini DCCLXXX. Cuius corpus postea in Cathedrali conditum est sub Diui Andreæ ara cum hoc elogio. C

VERONAE PRAESVL CAELI QVI FVLGET IN ARCE
HIC SITVS EST HANNO SANCTVS PATER INCLITVS VRBIS D
FLORVIT, B. HANNO CIRCA ANNVM DOMINI DCCLX.

DE ALDONE, ET RATOLDO EPISCOPO VERONENSIBVS & Pacifico Archidiacono eiusdem Ecclesiæ. Cap. XVI.



VB eodem Carolo Magno Veronę Episcopatum haud dubie post S. Hannonem gessit Aldo, quem Ratholdus, de quo mox dicam in quodam diplomate, antecessorem suum in Episcopatu Veronensi fuisse scribit. Sub quo Ecclesiæ Cathedralis bona & facultates regnorum mutatione dilapidata, amissa & deperdita fuisse quæritur idem Ratoldus in instrumento erectionis consecrationisque Basilicæ S. Georgij propè Cathedralem factæ à Maxentio Patriarcha Aquileiensi. Cuius in episcopatu, vt ex ijsdem monumentis conieci successor fuit Ratoldus Veronensis, qui quàm laudabiliter in obeundo pontificali munere se gesserit, mireque Christianam pietatem in ciuitate nostra sua diligentia promouerit, testimonio multa eius egregie facta esse possunt: inter quæ illud præclarum memoratur, quod Pipini Caroli Magni Imperatoris filij, tunc Italiæ Regis opibus adiutus, nobilem illam, quam videmus Basilicam in Diui Zenonis honorem miro spectandam artificio, condi curauit, Diui Zenonis sacris reliquiis in eam translatis. Vir enim fuit religiosissimus, & rerum Ecclesiasticarum E

siasticarum

A ſiaſticarum cuſtos perquam diligens. Eius multam mentionem fieri inueni in archiuis Canonicorum noſtræ Eccleſiæ, ſub annum XLI. Regni Caroli Magni, & Bernardini Italiæ Regis primum, qui fuit annus ſalutis DCCCXIII. Item in Tabulis ædis S. Peri in arce Veronæ, in quibus anno ſalutis DCCCXL. eum vixiſſe refertur. Ex quibus rebus intelligitur, eum plurimo tempore Veronenſi Eccleſiæ præfuiſſe. In huius etiam pontificatum, vt ex iiſdem inſtrumentis obſeruaui, incidit vir magnæ pietatis, eruditioniſque archidiaconus Pacificus. Cuius acumen ingenii inuictaſque res referunt vetuſta, quæ de eo adhuc exſtant, marmorea epigrammata. Huic Epiſcopus Rotaldus conceſſit, vt in domo ſua fabricaret Eccleſiam S. Georgij, quam conſecrauit Maxentius Patriarcha Aquileienſis. Cui conſecrationi interfuiſſe memorantur Vido Cardinalis S. R. E. legatus, ipſe Rotaldus Veronenſis Epiſcopus, Reginaldus Vicentinus, Lupus Taruiſinus, Oual-
B dericus Tridentinus, Georgiuſque Mantuanus Epiſcopi. Sigifridus Archidiaconus Aquileienſis Eccleſiæ, Pacificus ipſe, & alii multi anno regni Francici Caroli Imperatoris XLI. Ind. VI. XVI. Kal. Octobris.

DE RELIQVIS POST CAROLVM MAGNVM Imperatoribus. Cap. XVII.

POST Carolum Magnum ſapientiſſimum & nobiliſſimum Imperatorem imperij Francici Occidentalis iura ſuſcepit eius filius Ludouicus pius, cui filius Lotarius, eique eius natus Ludouicus iunior Auguſti ſucceſſere. Quorum præſtan-
C tiſſimorum principum pietas, religio, magnificentia, atque cum ſumma omnium virtutum gloria fides, ex jis ſatis donationibus conceſſionibuſque intelligi poſſunt. Quę non ſolum in archiuis Baſilicarum noſtræ vrbis, vt Cathedralis, S. Zenonis, S. Mariæ in Organo, S. Petri in Arce, & aliorum extant, ſed per totum orbem Chriſtianum, & præcipue in Italia, ego ipſe obſeruaui. Omnes enim in Italiam venerunt, atque tam in noſtra vrbe, quæ ipſis maximè ſemper cordi fuit, quàm in aliis ciuitatibus, diu commorantes hęc & alia multa, quæ temporum iniuria amiſſa ſunt, religioſis locis conceſſere.

DE ALIQVOT EPISCOPIS VERONENSIBVS. Cap. XIIX.

D RATOLDVM in pontificatu Veronenſi procul dubio ſubſequutus eſt Landericus vir pius & eruditus, vt illorum temporum Epiſcopos fuiſſe ſatis conſtat. De quo mentionem exſtare vidi in decreto quodam Lotharii & eius filii Ludouici Iunioris Imperatorum, quod eſt pio antiſtiti S. Zenonis conceſſũ anno Imperii Lotharii XXXIV. Ludouici vero Imperatorum IV. Ind. I. Chriſti vero anno DCCCLIII. Landerico Notkerium, & huic Bilongum in Epiſcopatu Veronenſi ſucceſſiſse ex eo ſatis intelligitur, quòd eorum per hæc tempora Epiſcoporum mentio exſtat his verbis in Lexico Pacifici Archidiaconi. *Huic actioni interfuerunt Ianzo Archidiaconus, Petrus Prior, Lamboldus Vicecomes, Ermanchius Vice-*
E *dominus, Eriembertus, Landericus, & Azo Iudices, Rezo, Amalbertus, & Valterius familiares D. Racherij Epiſcopi Veronenſis.* Et paulo poſt: *Præceptum eſt, vt hæc in conſidentium & circumſtantium legeretur conſpectu, & inter legendum propertius fuit indicatus præcord. Gotfredi Clerici, de hinc Ghiſelli iudicatus quoq; Notkerij & Bilongi Epiſcoporum, qua ſcriptura pari & manifeſtatione decretum, vt ſi vllus aliquando Veronenſis Epiſcopus de ordinatione & prouiſione Archipresbyteri vel Archidiaconi, &c.* Horũ autem Epiſcoporum, quamquam tam nomina, quàm tempora difficulter, tamen ex antiquitatis tenebris eduxerim, acta tamen nominaque inuenire potui.

DE RELIQVIS FRANCORVM IMPERATORIBVS. Cap. XIX. A



LVDOVICO iuniore anno salutis DCCCLV. sine liberis vita functo, Imperator renuntiatus est eius patruus Carolus Caluus pij Ludouici Imperatoris filius. Cui post biennium mortuo filius successit Ludouicus III. Balbus. Post quem Carolus III. cognomento Crassus, Romanum in Francis suscepit Imperium. Hic omnium post Carolum Magnum Imperatorum potentissimus fuit. Vniuersæ enim Italiæ, Gallis, & Germaniæ imperitauit. Quo anno salutis DCCCXXCVIII. sine liberis vita functo Francorum imperium in varias partes scissum paulatim corrui atque labefactari cepit. In Germania enim Arnulphus eius fratris filius, in Galliis vero Otho Roberti filius, in Italia autem Berengarius & Vido regni insignia susceperunt. Quod qua ratione factum fuerit, nunc exponam. B

DE BERENGARIO SENIORE ET VIDONE ITALIÆ Regibus. Cap. XX.



CAROLVS III. Caluus potentissimus Imperator tamquam alter Alexander multos & magnos dum vixit belli duces, & rei militaris peritissimos apud se habuit. Inter quos præcipui nominis fuere duo Italici, Berengarius Sberardi ducis Foroiulii filius, & Vuido Lamberti filius Dux Spoletanus. Hi viuente adhuc Carolo fœdus inter se inierunt, vt eo sine liberis moriente, alter Galliam quam Franciam Occidentalem vocabant, alter vero Italiam occuparent, atque alter alterius opibus in imperio adipiscendo adiuuaretur. Berengarius Italiam, Vido Franciam delegit. Non longe post Carolo III. Imperatore sine liberis vita functo, Berengarius vt proposuerat Italiam inuasit principe tunc orbatam, Ticinique regio diademate suscepto, Veronam imperii sui sedem firmauit. Vido verò à Francis quum victus esset, Othone prelato, videns se Francorum iuribus imparem esse, spe Francici regni amplius obtinendi amissa, Berengarium Italico regno, cuius ordinationi iureiurando assẽserat, pellere, idque sibi vendicare proposuit. Ingenti itaque exercitu Francorum congregato, Picenis quoque & Vmbris, quibus Dux fuerat contra Berengarium clam sollicitatis, bellum aduersum eum excitauit. Prælio vero inter vtrumque exercitum ad Trebiam commisso, Berengarius victus & in fugam actus, bellum denuo reparauit, iterum in Brixianorũ campis acie à Guidone educta, quum eius viribus par esse nequiret, Arnulphum, qui Carolo III. in Germaniæ regno successerat, in auxilium suum contra Vidonem euocauit, spondens se vectigalem eius futurum, si Guidone eius auxilio oppresso, ipse regnum Italicum obtineret. Hic sæuissima in Italia bella ciuilia exorta, clades, direptiones vrbium, cædes, incendia multa facta sunt. Hisque malis annis fere LXX. misera Italia & Vrbs nostra vexata fuit, dum inter duos principes de Italiæ imperio diu decertatum esset. Quod bellum postea septuagesimo & amplius anno post, victo Berengario iuniore, ab Othone Magno Imperatore Italiaque omni pristinæ libertati asserta, confectum est. C D E

DE ARNVLPHO GERMANORVM REGE, QVI IN BERENgarij auxilium Italiam ingressus est. Cap. XXI.



BERENGARII Regis nuncijs Arnulphus Magnus Germaniæ Rex excitatus ingenti cum exercitu Italiam contra Vidonem ingressus est. Qui à Veronensibus, qui Berengario fauebāt honorificentissime susceptus Bergomum profectus est, vbi Ticino & Mediolano in deditionem acceptis, Vidonem in Picenum & Vmbriam fugatum persequutus est, Romamque profectus à Formoso Papa Imperij diadema suscepit.

A suscepit. Verum non longe post morbo correptus, quum ægritudine ad medicorum desperationem vsq; laboraret, in Germaniam reuersus non longe post mortuus est, atq; ita Italia iterum seditionibus intestinisq; discordijs exposita est. Nam Berengarius occupata Verona, Guido verò in Lombardiam reuersus, bellum ciuile rursum excitarunt, quod Vidonis morte haud ita multo post tum finitum esse videbatur, nisi id Lambertus Guidonis filius Italiæ Rex ab aduersa Berengarij factione acclamatus denuo suscitasset. Qui ingenti exercitu Italicorum comparato vniuersam ferè occupauit Italiam, Berengario Veronæ tamen se continente. Qui quum aliquot Italiæ proceres contra Lambertum concitasset, hiq; ie bellum ei intulissent, prælio victi & capti sunt. Verum Lamberto paulo post suorum insidiis exstincto, quum nulla iam publica amplius arma essent, tellusq; ei resistere auderet, re-
B gnum Italicum solus potentissime obtinuit, Romamq; profectus à Papa Sergio III Romani imperij diadema suscepit anno Domini CXXIII. Quo tempore Hungari gens effera ex claussis & inaccessis montibus egressi Hunnis expulsis Pannoniam occuparunt. Hinc Germaniam omnem primum, deinde vniuersam Italiam aggressi, omnia ferro flammisq; consumebant, Italorum quoque ingenti exercitu in campis Veronensibus superato, Lombardiam omnem acerbissime vexabant, Veronam, Ticinum, Mediolanum, Brixiam, & reliquas huius prouinciæ vrbes obsederunt. Postmodum ingenti pecunia à Berengario suscepta ad propria reuersi sunt. Quumque Germaniam incursionibus & populationibus vexarent, ab Othone Rege victi & ad internecionem vsq; cæsi sunt. Hoc tempore Hungarico bello toti Italiæ & præcipue Veronæ imminente, murorum vrbis pars constructa est, vt etiam supra docui.
C

DE BELLO CIVILI INTER BERENGARIVM, & Ludouicum Reges. Cap. XXII.



BELLO Hungarico in Italia confecto, quum Berengarius pacificè Italiæ imperium obtineret, Italicenses optimates, quibus eius potentia inuisa erat, Ludouicum Bosonis prouinciæ regis filium, Ludouici Imperatoris ex filia Hermingarda nepotem ex Gallijs in Italiam accersiuere, vt Berengarium opposito æmulo regno Italiæ deturbarent. Huius rei auctor fuit Eporedire Marchio Adelbertus ipsius Berengarij socer & hostis. Ludouicus igitur ab
D Adelberto & alijs ducibus sollicitatus in Italiam cum exercitu venit, cunctisque ad eum deficientibus Italiæ principibus, Berengarius trepidus Veronæ, quam vrbem fidissimam semper habuit, se conclusit. Quam quum Ludouicus pulso Berengario tum cepisset, sibi ea in regiam statuit, tum propter vrbis amænitatem, tum propter eiusdem inexpugnabilem situm, Adelardo Episcopo Veronense suadente. Prętorium vero fecit in arce S. Petri prope eius ędem. Quumque ibi tutus se commorari arbitraretur, Berengarius qui in Germaniam fugerat, à suæ factionis ciuibus euocatus, coactis vndique copijs Veronam peruenit, vbi clam portarum custodibus sollicitatis auroque corruptis vrbem ingressus est, arceque occupata Ludouicum cepit, quem luminibus priuatum perpetuo carcere condemnauit, Regnumque Italicum solus iterum recepit. Hanc rem Luitprandus Ticinensis, qui per hæc tempora
E vixit, in historiarum sui temporis libro II. ita tradit. Ludouicus quum Italia etiam occupata ex Tuscia Veronam venisset, ibidem nihil hæsitans degebat, nihilque mali suspicans. Berengarius interim dato precio, custodes ciuitatis corruperat, collectisque viris fortissimis in ipso noctis conticinio ciuitatem ingressus est: quam fluuius Athesis sicut Romam Tiberis mediam percurrit. Super quem ingens marmoreus miri operis miræque magnitudinis pons est fabricatus. A' lęua autem parte fluminis, quæ est Aquilonem versus, ciuitas posita est difficili atque arduo colle munita, adeo vt si ea pars ciuitatis, quam fluuius ipse dexteram alluit, ab hostibus capiatur, ea tamen viriliter possit defendi. In huius verò collis summitate pretiosi operis Ecclesia est fabricata & in honorem Beatissimi Petri Apostolorum principis consecrata, vbi & propter amœnitatem Ecclesiæ locique munitionem Ludouicus manebat.

Beren-

Berengarius igitur noctu ciuitatem ingressus clam Ludouico suis cum militibus pontem A
pertransiens in ipso auroræ crepusculo huc vsque aduenit. Qui clamore strepituque militum excitatus, sciscitatur quid esset, & in Ecclesiam fugit, nullusque eum præter Berengarij militum vnum vbi esset agnoscit. Qui misericordia motus noluit hunc prodere, sed celare. Timens vero idem ne ab alijs proditus proderetur, vitaque mulctaretur, Berengarium adiit, eumque ita conuenit. Quandoquidem tanti te Deus habuit, vt sanum proprias in manus traderet hostem, debes & tu eius monita, immo præcepta magni facere. Inquit enim estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Intellexit itaque Berengarius vt vir non incallidus hunc quo ipse lateret scire locum, eumque hac sophistica responsione decepit. Putasne me insulse, quem mihi Dominus tradidit hominem, immo Regem velle occidere? Nunquid & Dauid sanctus Regem Saulem à Deo sibi in manus traditum seruauit, non quòd occidere non potuit, sed quia noluit? His sermonibus miles induratus locum ostendit in quem confugerat Ludouicus, qui captus, & ante Berengarij præsentiam adductus his à Berengario sermonibus increpatur. Quousque tandem abutere Ludouice potentia nostra? Num inficiari potes, te illo tempore meis præsidijs mea diligentia circumclusum, commouere etiam contra non potuisse, meque misericordia inclinatum, quæ tibi nulla debebatur, te dimisisse. Sensistine inquam te perjurum in istis esse victum? Confirmasti sane mihi te ipsum nunquam in Italiam ingressurum. Vitam tibi, sicut ei qui te mihi prodidit promiseram, concedo, oculos vero tibi auferri non solum iubeo, sed compello. His dictis Ludouicus luminibus priuatur, Berengariusque pacificè Italico regno potitur. Ita Luitprandus & Regino. Anno Dominicæ incarnationis CXIIII Ludouicus Bosonis filius Berengarium Italia expulit, atque omne illud regnum suæ ditioni subegit. Cernens autem nullum esse aut posse nocere, vltra quam oportebat, de securitate præsumens ea quæ pacis ac quietis sunt cępit cogitare. Absoluto itque exercitu cum perpaucis Veronam ingressus est, adhortante Adelardo eius vrbis Episcopo. Ciues autem hoc Berengario statim notum fecerunt, qui eo tempore in Baioaria exulabat. Ille nil moratus contractis vndique copijs Veronam peruenit, atque improuidum virum dolo cepit, & captum luminibus priuauit. Siquidem ciues qui partibus eius fauebant, portas ciuitatis ei aperientes, eum nocturno tempore intra muros receperunt, & sic de improuiso Ludouicus non solum regno sed etiam oculis priuatus est. Tandem itaque Berengarius regnum Italię multis cędibus cruentatum, infaustis infortunatisque pręlijs diu quęsitum ita obtinuit.

DE NOVISSIMO BELLO CIVILI INTER BERENGARIVM, & Rodulphum Burgundionum regem. Cap. XXIII.



CVM aliquot Italię proceres Berengario rebellarent, auctoribus Oderico & Gileberto Comitibus, Adelbertoque Marchione Berengarius ipse Hungaros Veronam magna mercede aduersum rebelles conduxit, quorum tunc duo Reges erant Dursat & Bugat Berengario amicissimi. Hi commisso cum Berengarij hostibus prælio, eos insigni clade superarunt, qua Odelricus occisus, Adelbertus vero & Gilebertus capti sunt. Ex his Adelbertus incognitus clam fuga elapsus est. Gilebertus verò perhumane à rege tractatus liber paulo post dimissus est. Quem ad propria reuersum, Adelbertus cęterique qui cum illo Berengario rebellauerant, beneficij vitęque receptę immemorem clam ad Burgundionum potentissimum Regem mittunt, vt eum contra Berengarium in Italiam euocaret. Qui eorum monitis acquiescens ingentibus instructus copijs in Italiam venit, ab omnibusque susceptus. Nihil Berengario ex omni Italia pręter Veronam superfuit. Italiamque triennio potentissime fortissimeque occupauit. Qui quum alijs quidem cordi, alijs vero Italicorum odio esset, ab his qui Berengarij partibus studebant, aduersus eum ciuile bellum paratum est. In quo Berengarius

A garius ingenti prælio superatus Veronam concite fugit. Bello confecto quum Italiam omnẽ obtinuisset, Ticinique aliquantisper commoratus esset, eum cupido inuasit in Burgundiã reuertendi. Igitur regni Italici cura proceribus suę factionis commendata, in Burgundiam reuersus est. Post cuius discessum non longe post Veronę Imperator Berengarius insidijs Flamberti cuiusdam, quem de sacro fonte susceperat, interfectus est Anno Domini C ∞ XXIII. mense Decembri regni & imperij sui Italici anno XXXVI. Quod non sine magnis bellis, discordijs & intestinis seditionibus viriliter tenuerat. Cadauer in porticu Basilicę S. Petri in arce sepultum est. Vnam tantum filiam Ghisellam reliquit, ex qua & Adelberto Eporedię Marchione Berengarius Iunior natus est. In huius porrò Imperatoris gestis enarrandis diutius immorari placuit, quòd omni fere imperij sui tempore Veronę manserit, vrbemque ipsam nouis ędibus, foris, palatijs, & basilicis auxerit, maximisque insuper priuilegijs
B ornauerit. Quid vero de eius cęde scribat illorum temporum auctor Luitpandus Ticinensis, nunc subscribam.

DE CÆDE REGIS BERENGARII Cap. XXIIII.

LVITPRANDVS libro II. historiæ suæ. *Post Rodulphi Regis Burgundionum* (inquit) *discessum malo Veronenses accepto consilio, vitæ Berengarij insidiari moliuntur. Quod Berengarium non latuit. Auctor autem ac repertor tam sæui facinoris Flambertus quidam erat, quem sibi, quoniam ex sacrosancto fonte filium eius susceperat, compatrem Rex effecerat. Pridie vero quàm occideretur, eumdem ad se Flambertum venire præcepit, cui ita dixisse fertur. Si mihi tecum hactenus non & multæ & iustæ caussæ amoris essent, quoquo modo quæ dicuntur credi possent: Insidiari te vitæ meæ ajunt, sed non ego credulus illis. Meminisse autem te volo quantæcunque tibi accessiones & fortunæ & dignitatis fuerunt, eas te non potuisse nisi meis beneficijs consequi. Vnde & hoc animo in nos esse debes, vt dignitas mea in amore atque fidelitate tua conquiescat. Neque vero cuiquam salutem ac fortunas suas curæ fuisse vnquam puto, quantæ mihi fuit honor tuus. In quo mea omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem omnem fixi. Vnum hoc sic habeto. Si à te mihi seruatam fidem intellexero, non mihi tam mea salus cara, quàm pietas in referenda gratia iocunda. His expletis aureum non parui ponderis poculum rex ei porrexit, atque subiunxit. Amoris salutisque meæ caussæ quod continetur bibito, quod continet habeto. Vere autem & absque ambiguitate post potum introiuit in illum Sathanas. Beneficij quippe præsentis & præteriti immemor insomnem illam in regis necem populos instigando protulit noctem. Rex autem & nocte illa quemadmodum solitus erat, iuxta Ecclesiam non in domo, quæ defendi potest, sed in tuguriolo quodam manebat amœnissimo, sed & custodes nocte eadem non posuerat, nihil suspicans mali.*

C

D

Se primum quatiens strepit Gallus
Quum vigiles facit mortales, solito sonat
Et pulsata Deo canit iam tunc ænea machina
Inuitatque docens bene lectum grauem spernere
Laudes huic modo reddere qui vitam tribuit,
E *Dedit & nobis Superam bene sanctam quærere patriam,*
Hic Rex Ecclesiam petit, ac laudes Domino canit,
Flambertus properans volat, quo cum multa simul manus,
Vt Regem perimat bonum.
Rex eorum vigil inscius audit dum strepitum
Nihil formidans properat citus
Hoc quid visere sit, videt armatas militum manus,
Flambertum vocat eminus. Quid turbæ est ait en bone vir?
Quid nunc quid populus cupit armatas referens manus?
Respondit vereare nil te non vt perimat

Sed pugnare libens cupit, hac cum parte tuum petit, moxq; tollere spiritum A
Deceptus properat, fide miser hac in medios,
Simul tunc captus male ducitur:
A tergo hunc ferit impius: romphæa cadit heu pius
Felicemque suum Deo commendat spiritum.

Denique quàm innocentem sanguinem fuderit, quamque peruersè peruersi egerint, nobis reticentibus, lapis ante cuiusdam Ecclesiæ ianuam positus sanguinem eius cunctis transeuntibus ostendens insinuat. Nullo quippe delibutus aspersusque liquore discedit. Nutrierat sibi Rex Berengarius familiariter lauteq́; iuuenem immo heroem quendam Milonem nomine memoria satis ac laude dignum. Cuius si Rex fretus consilijs esset, fortunas sibi omnes non tantum aduersari sensisset, nisi quia forte & hoc Diuinæ prouidentiæ consilium fuit, vt aliter fieri non posset. Is sane nocte eadem, qua rex Berengarius occisus est, adhibitis sibi copijs nocturnas ei vigiliarum custodias voluit exhibere. Rex vero promissionibus Flamberti deceptus, Milonem se non solum custodire non siuit, verum etiam atque etiam vehementer prohibuit. Milo autem sicut vir fidelis ac rectus ac beneficij sibi à rege collati non immemor, quem defendere, quia defuit, non potuit, cito acriter vindicare curauit. Tertia quippe post regis necem diem, Flambertum eique in tam nefario scelere conniuentes vi captos suspendio vitam finire præcepit. Fuerunt sane in hoc viro nonnullæ perfectæque virtutes, &c. B

DE ALIQVOT EPISCOPIS VERONENSIBVS. Cap. XXV.

C



SVB rege Berengario Veronæ Episcopus fuit Adelardus, qui anno à Christo nato DCCCXCI diploma impetrauit ab eodem Berengario Rege, quod adhuc extat, ne ciui cuiquam fraudi esset, qui quatefacti eo anno ingenti terremotu Theatri eius quod est intra vrbem ad latus ac radices collis ac penè diruti impendentes subiectis ædificijs minas esset demolitus. Eius præterea adhuc Veronæ pontificis anno Domini C ∞ XIIII mentionem exstare vidi in diplomate Berengarij Regis concesso Monasterio S. Mariæ in Organo Veronæ. Cuius morte principem in Ecclesia Veronensi locum Adelbertus obtinuit vir doctissimus, & in exponendis literis sacris exercitatissimus. De quo & Nokterio successore mox suo mentio exstat in quodam decreto Hugonis Imperatoris, quod est pro antistite D. Zenonis, & scriptum est anno salutis DCCCCXXVI. In quo vterque Episcopus Hugonis Regis Consiliarius vocatur. Sub hoc Episcopo occiso nefarie Rege & Imperatore Berengario, Rodulphoque Burgundionum rege absente sæuissima Hungarorum gens in Italiam à Berengario contra hostes suos euocata Salardo duce totam Italiam consumpsit, Veronamq; magno impetu inuasit, eiusque suburbijs ferro flammaque consumptis, in his basilicas Diuorum Zenonis, Proculi, Stephani, Nazarij, & Celsi incendio consumpsit. In qua trepidatione Abbas Diui Zenonis & Monachi cum eo corpus eiusdem Diui penes se conditum, quod ne furto subriperetur magnopere metuerunt, vna cum calice, cruceque aurea maximi pretij Pipini dono monasterio concesa in ædem Diuæ Mariæ maioris in eius sacrario asseruanda deportarunt. Verum Veronæ rebus aliquot post annis in tranquillo iam constitutis, contra Canonicorum voluntatem in priorem Basilicam sunt reportata, vbi vsque in hodiernam diem suis in locis integra asseruantur. Post Adelbertum Notkerius alius Veronæ Episcopus ordinatur, qui & ipse magna in pontificatu sanctitate se gessit, ob eamque rem magna apud ciues in veneratione fuit. Cuius mentionem exstare vidi in aliquot diplomatibus archiui Canonicorum in decretis Othonis Imperatoris. Mortuus est autem ætate iam grandæuus IIII Idus Augusti anno salutis DCCCCXXIIX, atque in Cathedrali sepultus est prope altare in Diui Andreæ nomine consecrato. Quum ante patrimonium suum omne Ecclesiæ testamento reliquisset, vt ex eius elogio intelligi potest ibidem his verbis in marmorea tabula inciso.

Præsulis

A *Præsulis hoc tumulo requiescit corpus humatum*
NotKerij largus qui fuit atque pius.
Nempe suo quicquid potuit largitor habere
Contulit ipse gregi, mente benigne pura.
Prædia namque, domos, camporum rura paterna
Ecclesiæ cessit, nil relinquendo sibi.
Omnibus impendens Charitatis luce repletus,
Omnia cælorum æthereandus adit.
Consonet in gremio gaudentem Summa potestas,
Illum cum sanctis collocet atque suis.
B *Virgo Dei genitrix, cuius se posse putauit*
Saluari precibus, suscipe vota sui.
Obijt IIII. Idus Augusti anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXVII.
Indictione prima.

Mortuo Berengario Veronæ Principatum suscepit Milo, de quo paulo ante verba feci.

DE RODVLPHO BVRGVNDO ET HVGONE ARELATENSI Italiæ Regibus. Cap. XXVI.



C POST Berengarij mortem, Rodulphus Burgundionum rex in Italiam reuersus, Italicum imperium obtinuit. Quumque ob morum asperitatem prouincialibus grauis esset, non longe post, consensu omnium Italię principum Lambertus Archiepiscopus Mediolanensis Hugonem potentissimum & sapientissimum Arelatensium in prouincia regulum, quem Comitem appellabant, in Italiam contra Rodulphum euocauit. Quod vbi cognouit Rodulphus ipsorum vim metuens relicto regno Italico in Burgundiam reuersus est. Hugo interim prouincię comes suscepta legatione in Italiam nauigauit. Vbi Ioannis Papę X & omnium Italię principum consensu regni Italici principatum assumpsit anno Domini C∞ XXVI. Regnauitque in Italia annos XXV solus, cum filio vero Lothario XV, quem regni consortem Ticini appellauerat. Fuit rex Hugo religiosus admodum, pius, & multis virtutibus ornatus, quas omnes vna quę in eo maxime viguit luxuria defædabat. Imperium Italię strenue ac pruden- D ter rexit, multas aduersum se coniurationes paratas sapienter detexit.

DE HILDVINO ET RATHERIO EPISCOPIS Veronensibus. Cap. XXVII.



NOTKERII Iunioris in episcopatum successor fuit Hilduinus Gallus Laodicensis olim Ecclesiæ Episcopus, qui sua sede expulsus, ad Hugonem regem propinquum suum in Italiam venit. Eum autem honorifice susceptum Veronensi Episcopatui tunc Pastore vacanti præfecit. Verum non longe post Lamberto E Archiepiscopo Mediolanensi mortuo, in eius locum Hilduinus ipse Mediolani ab Hugone Rege Archiepiscopus ordinatus est. Cuius abdicantis locum statim Ratherius suscepit natione Lotharingus (Galliæ autem Belgicæ prouincia est Lotharingia) monachus Lobrensis cœnobij vir religionis summæ, & præcipuæ ingenuitatis, diuinarumque & humanarum rerum doctissimus. Hic mortuo Stephano Leodicensi Episcopo à Carolo Simplice Francorum Rege Hludouici Balbi filio ex Ioannis X. Pont. Max. auctoritate Romæ in eius locum Episcopus creatus fuerat anno Domini DCCCCXXI. eius competitore Hilduino, de quo paulo ante dixi, abrogato, qui profusa largitione Episcopatum Leodicensem à duce Lotharingiæ Giselberto ambierat. Quumque Episcopatum ipsum integre sanctèque septennio administrasset, sibi subrogato Faraberto, in Italiam cum eodem Hilduino venit,

de quo etiam paulo ante mentionem feci. Vbi ab Hugone Italiæ Rege Ticini honorifice susceptus, paulo post Episcopatui Veronensi post Hilduinum præpositus est Anno Domini DCCCCXXIX. Cæterum quuum anno Domini C ∞ XXXII. Arnoldus Baioanorum & Carentanorum dux in Italiam contra Hugonem regem venisset, & per Tridentinas alpes itinere facto, à Comite Veronensium Milone, Ratherio Episcopo & cæteris Veronensibus (quos ipsum inuitauisse fama erat) honorifice susceptus esset, Hugo aduersus eum & Veronenses exercitum duxit. Cuius potentia, militum fortitudine, & altero prælio aduersè commisso, territus Arnoldus, relicta Verona, in Germaniam clam fuga elapsus est, arce Veronæ prius expugnata, Milonisque Comitis fratre & cæteris, qui in ea erant, secum captiuis abductis. Post cuius fugam Hugo Vrbem cepit, Ratheriumque Episcopum, quòd Baioanorum rebus nonnihil studuisse visus esset, Ticini in exilium relegauit. Vbi multa edidit sui ingenij monumenta: inter quæ librum eleganter de suis ærumnis conscripsit, atque vnà cum Comprouincialibus Episcopis Anthropomorphitarum sectam, quæ paulo ante sua tempora exorta Galliam Cisalpinam vexabat, extinxit. Hi scripturæ testimonijs male intellectis adducti, vt Gratianus Distinct. XXIIII. Cap. III. auctor est, rustica quadam simplicitate in Deo membra naturæ humanæ stolidè nimirum asserere conabantur, nescii diuinarum scripturarum, in quibus Spiritum Sanctum esse Deum incorporeum, qui nec membris distinguitur, nec corporis mole censetur, refertur. Quo tempore Lambertus Arelatensis Archiepiscopus Hugonis regis potentia cognita, cui propinquus erat, Ecclesia sua dimissa, ambitione inflatus in Italiam ad regem Hugonem venit. Qui vt regnum tutius Italicum retineret, eidem tanquam affini suo contra Canones Ecclesiasticos, Veronensem Ecclesiam tum pastore suo orbatam, Tridentinam, & Mantuanam commendauit Ecclesias, seu, vt verius dicam, in escam dedit. Quibus non contentus, Tridentinam prouinciam etiam occupauit. Veronensem vero Episcopatum haud longe post cuidam indigno vendidit. Ratherius verò ab Hugone Rege ab exilio aliquot annis post relaxatus, ad Episcopatum suum reuersus est, eo, cui illum Lambertus vendiderat, expulso: vbi vitam sanctè ac laudabiliter egit, multasque res pro diuina pietate, ac commissi sibi populi salute gessit vsque ad tempora Berengarij II. sæuissimi in Italia Tyranni, qui Lothario Hugonis filio in regnum successerat. Hic Episcopum Ratherium, qui propter incorruptam & dignam pontifice Christiano dicendi libertatem detestabiles eius mores vitamque publice exagitauerat, iterum Veronensi Episcopatu mulctatum exilio damnauit. Qui in Gallicam Lotharingiam patriam suam veniens à Brunone Archiepiscopo Coloniensi, qui post Archidux Lotharingiæ fuit, Leodicensis Episcopus iterum post Farabertum, qui eidem Ratherio successerat, anno Domini DCCCCLIIII ordinatus est. Quem Episcopatum tantum triennio rexit. Anno salutis C ∞ LVI factione Reginerij Loagecolli Comitis Montensis eiectus est, suffecto in eius locum ipsius Reginerij fratris filio nepote Baldrico. Ratherius autem in Italiam rediens Othonem magnum Imperatorem adiit, qui per ea tempora Berengarium II. pretio victum regno Italico exuerat: à quo satis benignè susceptus, tertiò Episcopatus Veronensis eidem restitutus est, quem cum multis annis administrasset, audita Othonis I Imperatoris morte, factione quorundam malignorum ciuium tertiò eodem Episcopatu exactus, iam senex tædioque rerum humanarum affectus in Galliam ad monasterium suum Lobiense reuersus est, vbi non longe post, quum omnem vitam suam sanctissimè transegisset, octogenario maior mortuus est anno C ∞ LXXIIII, Othone Iuniore Imperatore, & Bonifacio VII. Pontifice maximo, Sacerdotij sui Veronensis anno XLVI. Ex quo verò primo Episcopus Leodicensis ordinatus fuerat LIIII. Cadauer in Lobiensi fano conditum est. De eo vulgatum illud monostichum refertur.

Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul.

Hujus Episcopi multa mentio est apud Sigebertum Monachum Gemblacensem in Chronicis, & Luitprandum Ticinensem, qui per hæc tempora vixit, in historia temporũ suorum. item Veronæ in archiuis S. Petri in arce S. Stephani, & Canonicorum, quibus eum Veronæ Episcopum adhuc fuisse liquet anno C ∞ LXVII. Ind. XI. Othone Imp.

DE

A

DE REGE BERENGARIO IVNIORE. Cap. XXVIII.



VGO Rex Italiæ imperio pacifice potitus, filium Lotharium regni consortem appellauit, vnaque multis annis regni habenas prudenter sanè & summa cum laude moderati sunt. Quo tempore Berengarius atque Anscarius fratres Adelberti Eporedire Marchionis filij, opibus, dignitate, & bellica virtute florebant. Berengarius porrò Imperatoris Berengarij ex filia Galla nepos erat. Ascarius vero matrem habuerat Ermegardam Adelberti Tusciæ Marchionis filiam. Ex ijs Berengarius homo vafer, callidus, ingenio promptus & in
B consilijs prouidus erat. Anscarius vero in omne facinus promptus res nouas suasu fratris contra Hugonem moliri videbatur. Cuius mentem vt deliniret rex Hugo, eum Spoletinorum & Camertium Regulum creauit, ratus hac benignitate insitam eius animo ferociam posse mitigari. Verum quum in consueta pertinacia persisteret, misso ab Hugone validis cum copijs in eum exercitu, in prælio fortiter pugnans extinctus est. Berengarius vero frater, qui Eporediæ princeps erat, fratris clade cognita, Hugonisque Regis insidias veritus, clam in Sueuiam ad ducem Hermanum fugit. Hugo interim Rex grauis Italicis principibus quum videretur, Berengariũ clam inito cõsilio ex Sueuis vocant. Qui aliquot instructus militum copijs in Italiã veniens à Lamberto Archiepiscopo Arelatensi primo suscipitur, eo pacto vt ab eo Archiepiscopatum Mediolanensem acciperet. Nam tunc Tridentinam, Veronen-
C sem, & Mantuanam vorabat Ecclesias. Lamberti exemplum sequuti cæteri Italię proceres, relicto Rege Hugone, omnes ferè ad Berengarium conueniunt. Quorum princeps fuit Milo Veronensium Regulus, qui Berengarium ipsum Veronæ suscepit, atque contra Hugonem fortius animauit. Quum autem omnes Italici principes Berengarium sequerentur, Hugo Rex eius insidias veritus in prouinciam reuersus est, pace cum Berengario facta, eiusque filio Lotharij Regis fidei commendato. Vbi non longe post obijt. In Italia vero nomine tenus regnum Lotharius, re vero ipsa Marchio Berengarius, obtinebat. Quo etiam anno Domini C ∞ L. obeunte regia insignia omnia suscepit Berengarius Iunior. Qui quum in arce Gardæ agri Veronensis Adalherdam viduam relictam Lotharij Regis & Rodulphi Burgundionis filiam diu obsedisset, coactus à rege Germanorum Othone Saxone
D obsidionem reliquit. Qui in Italiam contra Berengarium eiusdem reginæ auxilio venit, eamque ab obsidione liberatam Veronæ vxorem accepit, atque cum ea regnum Italicum pulso Berengario suscepit anno Domini C ∞ LI. Anno vero sequenti expulso Berengario, & Italia omni constituta, in Germaniam reuersus est, duce Chunrado totius Italiæ rectore relicto. Cuius consilio Berengarius in Saxoniam ad Regem Othonem sponte profectus quamquam difficulter, postremo tamen totius Italiæ curã ac regimen ab Othone rege obtinuit, præter Marchiam Veronensem, & Aquileiensem, quas Otho Rex Henrico fratri suo tradidit regendas. Berengarius vero in Italiam summa cum potestate reuersus, quum annos aliquot clementer admodum Italiæ præfuisset, post in omnem sæuitiam, libidinem, auaritiam & immanitatem lapsus Romanam sedem, omnesq; Italicos principes acerrimè vexare
E cœpit, omnesque sibi inimicissimos reddidit. Vnde coactus Ioannes Papa XII, qui tunc pontificatum maximum gerebat, Legatos Io. Diaconum Cardinalem, & Azonem Proliscrimenium S. R. E. ad Othonem Regem Germanię misit, vt contra Berengarium filiumque eius Adelbertum, quem regni socium appellauerat, auxilium Romanę sedi mitteret, & Italiæ afflictæ quantocyus subueniret. Papæ legatos secuti sunt in Saxoniam Valbertus Mediolanensis Archiepiscopus; Valdo Nouocomensis Episcopus; Marchio Othbertus, & plerique alij nobilissimi Italiæ Viri, eiusdem rei gratia Othonis auxilium contra tyrannum implorantes, quorum precibus commotus Rex piissimus Otho in Italiam ingenti cum exercitu venit; vbi prælio magno commisso, Berengarium, & Adelbertum superatos Italia expulit. Romamque profectus ab Apostolicę Sedis Præsule Io. XII Imperator Augustus consa-

lutatus

lutatus est summo totius Romani Senatus, Cleri, Populique, & Italiæ Principum consensu. A
Quo facto dum in Germaniam reuerti parat, Berengarius & Adelbertus viribus reparatis, multisque Italię opidis, in quibus & Arx Gardæ fuit, munitis, iterum Italiam fere omnem occupauit. Vnde Imperator Otho coactus faciendam ipsius expeditionem parauit. Berengarium pręlio victum, & intra opidum quoddam conclusum cepit, in Germaniamque cum victa vxore relegauit; Arcem Gardę diruit: Adelbertum vero multis, & varijs pręlijs superatum, bellumq; pertinaciter reparantem tandem omnibus copijs exsutum Italia fugere cōpulit. Vnde & non longe post exul mortuus est circa Annum Domini C ∞ LXVIII. Atque hac ratione non sine Dei beneficio Italia omnis Othonis Imperatoris opera libertati tyrannis pulsis restituta est, & vrbs nostra nouum Reip. gerendę genus Cęsaris sub nomine constituit, quod quid fuerit, sequenti libro ostendam. B

FINIS LIBRI QVINTI.

ONV-

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FR. EREMITÆ AVGVSTINIANI ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER VI.

DE C. VALERIO CATVLLO. Cap. I.

B



ETVSTISSIMVS omnium nostrę ciuitatis litteratorum, quorum ad nos memoria peruenit, Catullus poeta celeberrimus fuit. Neminem enim ante eum Veronę fuisse inueni, cuius monumenta ad nos peruenerint, vel quem aliquid litteris mandasse traditum sit. Pręclarus hic poeta, quemadmodum Eusebius in Chronicis scribit, Veronę natus est, quo tempore M. Terentius Varro, & M. Tullius Cicero in vrbe clarebant. Cęterum non humili aut obscuro loco natus est, siquidem eius pater (auctore Tranquillo in Cęsare capite LXXIII.) Iulij Cę-

C saris hospitio vsus est. Patrię suę Veronę sępe mentionem facit in suo poemate, vt ad libellum suum.

Poetæ tenero meo sodali
Velim Cæcilio papyre dicas
Veronam veniat, noui relinquens
Comi moenia, Lariumque littus.

Et ad Mallium

Quare, quod scribis, Veronæ turpe Catullo
Esse, quod hic quisquis de meliore nota.

Item de Caelio & Quintio.

D *Caelius Auphilenum, & Quintius Auphilenam*
Flos Veronensium depereunt iuuenum,
Hic fratrem, ille sororem, hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum verè dulce sodalitium.
Cui faueam potius? Caeli tibi, nam tua nobis
Prospecta exigitur vnica amicitia,
Quùm vesana meas torreret flamma medullas
Sis felix Caeli, sis in amore potens.

Et in Egnatium se Transpadanum vocat ijs versibus

Si Vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tyburs,
E *Aut parcus Vmber, aut obesus Etruscus*
Aut Lanuuinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, vt meos quoque attingam.

Valerius autem Catullus primo traditur à Mallio Romam deductus, quum adhuc in tenera ętate ageret, paulo mox ingenij facilitate & doctrina adeo Romę acceptus, atque ciuibus gratus fuit, vt M. Tullij patrocinium meruerit, quod ipsum eleganti epigrammate ingenuè testatus est, quo gratias Ciceroni patrono egit.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post alijs erunt in annis,

Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus. A

Mallium & eius nuptias, magno studio celebrauit. Fratrem habuit, cuius pręproperam & importunam mortem deflet ad eundem Mallium, cum quo se excusat parum sibi licere amores (vt antea) decantare, quoniam fratrem amiserit, ex quo studium inquit suum scribendi carminis abiecisse. Sic enim ad Mallium:

Sed tibi ne mea sint ignota incommoda Malli,
Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe queis verser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas. B
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Iucundum quum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi, non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amariciem.
Sed totum hoc studium luctus fraterna mihi mors
Abstulit, hei misero frater adempte mihi,
Tu mea tu moriens fregisti commoda frater,
Tecum vnà tota est nostra sepulta domus.

Inter cęteros amicos Furium, & Aurelium, dilexit. Cinnam quoque & Cornificium, C Fabullum, & Veranniũ, quem alicubi & Veranniolum blanditer appellat: puellam pręterea Ipsithillam ciuem suam, & Clodiam P. Clodii Ciceronis inimici sororem Quintiq; Metelli vxorem amauit, quam ficto nomine Lesbiam dicit, vti Apuleius testatur in oratione ad Claudium Maximum Proconsulem. Villam sumptuosam, quemadmodum eius ingentes reliquiæ adhuc indicant, habuit in peninsula lacus Benaci Sirmione, quam eo carmine celebrauit.

Peninsularum Sirmio, insularumque
Ocelle. &c.

Eruditorum omnium tam nostri quam vetusti sæculi consensu *docti* cognomen accepit, ita enim peculiari epitheto Catullus ab Ouidio & Martiale censetur. Atque hunc quidem ex antiquis Ouidius, ex nostratibus vero doctissimus Petrus Victorius Virgilianę maiestati opponit. Tantum nominis apud eruditos ac laudis est consequutus. Sed & versus ipsius, quamquam vt duriusculi notantur, quod etiam vterque Plinius asserit, sectatores tamen in his habuit complures, sicuti Pompeium, Saturnium, & Sentium Augurem, qui Catulli Epigrammata ac Licinij mira diligentia & studio sunt æmulati. Valerius etiam Martialis Catullum sibi pręponit. Ita enim ad Macrum: D

Nec multos mihi præferas poetas,
Vno sed tibi sum minor Catullo.

Opus suum ad C. Cornelium nepotem, de quo mox dicam, misit. Diuiditur autem in libros tres, vt primus *Lyricos*, secundus *elegias*, tertius autem *epigrammata* contineat. Elegiam de coma Berenices, ex poeta Callimacho in latinos numeros conuertit, eamque ad Ortalum amicum misit, quę in elegiarum adhuc libro legitur. Catullus à Quinctiliano & Diomede inter Iambicos reponitur, ab alijs inter lyricos. In Atticis vero noctibus vt elegantissimus & mundissimus ab eruditissimo Gellio laudatur, qui eius etiam carmen vt venustissimum celebrat. Neque illud omittendum, fuisse ab ipso Catullo & alia composita, nam & à latinis Grammaticis afferuntur versiculi aliquot, quos in eius opere haud inuenies, ex quo deprauatum adhuc inuersumque alicubi Catulli carmen existimatum. Tum illud in primis quo Aegnatinis ineptijs illudit, quod ex ipsa lectione constare omnibus potest. Scripsit & carmen Ithyphalicum, vt refert Terentianus Maurus ad Nouatemum, qui hos Catulli versiculos citat. E

Et fer-

A *Et ferme modus hic datur à plerisque Priapo,*
Inter quos cecinit carmen quoque tale Catullus.
Hunc tibi locum dedico, consecroque Priape,
Quà domus tua Lampsaci est, quaque Priape.
Nam te præcipuè in suis vrbibus colit ora
Hellespontiaca cæteris ostreosior oris.

Iulium Cæsarem maximè Formianum Mamurram, & Nonium Strumam iambicis nominatim proscidit, ex veterum consuetudine, vt C. Lucullus iambicorum auctor, Luciliusque, & Næuius. Animaduersione porrò dignum illud videri potest, quod Tranquillus in Cæsare scribit. *Valerium* (inquit) *Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem,* (B) (idest testibus præsentibus affirmantem poenitere se, quod ea scripsisset. hanc enim esse vim in his rebus verbi *Satisfacio* satis ex Amphitryone Plauti, & Terentij Adelphis, & Cicerone pro Roscio comoedo intelligi potest) *eadem die adhibuit cœnæ. Hospitioque patris eius, sicut consueuerat, vti perseuerauit.* Mortuus autem Romæ est iuuenili admodum ætate, annum circiter XXX agens, vt quidam tradunt. Quo tempore P. Maro in vrbe Cremona studijs operam dabat. Vulgata quoque de Valerio Catullo carmina Ouidij Amorum lib. III. Eleg. XIIII exstant.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Et Martialis.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
C *Quantum parua suo Mantua Virgilio.*

Ouidius in elegia, qua deflet Tibulli mortem.

Obuius huic venies edera iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo docte Catulle tuo.

Catulli carmina Antonius Parthenius Lacisius Veronensis commentarijs illustrauit primum, deinde paulo post M. Antonius Muretus Gallus ipsum peritissime interpretatus est. Veronæ vero Ciues nostri, quum editissimo curiæ loco insignium virorum Veronensium simulacra collocarent, statuam quoque Catulli inter reliquas posuerunt. Hi viui magno decori vrbi nostræ fuere & nunc memoriam adeo insignem adepti sunt. C. Valerij Catulli Plinius vterque, Ouidius, Martialis, & reliqui posteriores scriptores honorificentissime
D frequenter meminerunt.

C. CORNELIVS NEPOS.

Constantissimo Ciuitatis nostræ testimonio C. Cornelium Nepotem virum doctissimum & antiquitatum omnium peritissimum Veronensem fuisse traditur. Cui in summa curia cum reliquis Veronensibus illustribus etiam statua posita est ex publica auctoritate. Eum Plinius libro III. cap. XIIX Padi accolam vocat, & alibi sæpius de eo mentionem facit. Ortum siquidem in Vico Veronensium Hostilia ad Padi ripas sito, vt Tacitus auctor est libro XIX historiæ Augustæ. Pius quoque Papa II. in Asiæ descriptione eum
E Veronensem aperte fuisse scribit. Ad hunc Catullus opus suum misit tanquam ciuem suum.

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arido modò pumice expolitum
Corneli? tibi. namq; tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum, quùm ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iuppiter, & laboriosis.
Quare habe tibi quicquid est libelli,
Qualecunque quidem ora per virorum

Plus vno maneat perenne seclo.

Hic in vrbe Ciceronis & Cæsaris tempore vixit, peruenitque vsque ad Augusti principatum, scripsit disertissimè illustrium virorum vitas. Quarum tantum Pomponii Attici exstat; quæ cæterarum facile specimen potest indicare. Eius illustrium Virorum libri XVI. citantur à Charisio grammatico. Scripsit accuratissimè rerũ Romanarum chronicon, (vel de temporibus librum, in quo breui explicatione omnis æui memorias complexus est) quod à Solino citatur. De eius subinde suprascriptis versibus, meminit Catullus. circumferuntur periochæ, sub eius nomine excusæ, Daretis Phrygij de bello Troiano, tũ soluto sermone, tum carmine heroico latinè facta. quodque fuerit Poeta testatur Plinius iunior epistola III lib. IIII. Item periocha VI librorum Daretis sermone soluto eodem volumine impressa. At certe quæ versibus exarantur imposturarũ plena. Mentio etenim eo libello de Imperatore Nerone habetur. Et Nepos adhuc Augusto imperante decessit. Verum Nepotem etiam fuisse poetam ex Plinio iuniore epistola III. libri VIII colligitur.

C. *ÆMILIVS MACER.*

C. Æmilius Macer poeta illustris, qui sub Augusti principatu de auium generatione, de Serpentibus, de natura viribusque herbarum carmine libros conscripsit, Veronensis etiam, vt in chronicis Eusebius auctor est, fuit. Hic citatur apud Plinium in auctorum catalogo, qui in librum IX. & X. naturalis historiæ multa ex Macro transtulit. Aemilii Macri poetæ coæui sui librorum meminit Ouidius his versibus libro de tristibus.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior æuo
Quæque nocet serpens, quæ iuuet herba Macer.

Quem etiam Troianum bellum scripsisse in Amoribus innuit, quum in elegia ad eum scripta ita cantet.

Carmen ad iratum dum tu producis Achillem
Primaque iuratis induis arma viris,
Nos Macer ignauæ Veneris cessamus in vmbra,
Et tener arsuros grandia frangit amor.

Demum elegiam hac ad Macrum apostrophe concludit.

Nec tibi qua tutum vati Macer arma canenti
Aureus in medio Marte tacetur amor.
Et Paris est illic, & adultera nobile crimen,
Et comes extincto Laodamia viro.
Si bene te noui, non bella libentius istis
Dicis, & à vestris in mea castra redis.

De Apibus, Seruius super Virgilium IIII. Georgicorum, & primo Aeneidos. Theriacon, Charisius. Circunfertur liber quidam de herbarum virtutibus carmine hexametro, excusus sub Aemilii Macri nomine, sed alius omnino est ab Aemilio Macro poeta Veronensi, de quo scribunt Ouidius, & Volaterranus libro XVII vrb. comm. Alterius etiam Macri mentionem facit Plinius Cæcilius Libro III. epistola V. Huius diuina opera, vt plurimorum reliqua, maiorum iniuria temporumque malignitate, hodie desiderantur. Huic tanquam Veronensi maiores nostri in edito curiæ loco cum reliquis viris illustribus nostræ ciuitatis statuam marmoream locarunt. Cæterum Aemilius Macer Veronensis poeta, vt Eusebius idem auctor est, obiit in Asia.

A

L. VITRVVIVS.

INTER ceteros eruditos nostrę ciuitatis in summa Curię fronte primum locum obtinet Vitruuius. Nam architecto architectum gratificari voluisse existimo. Quem Veronensem fuisse, maiorum constans & per manus tradita opinio, & hę litterę in postibus arcus castri veteris incisę confirmare videntur. L. VITRVVIVS. L. L. CERDO. ARCHITECTVS. Cęterum an is Vitruuius quidem Veronensis, an is qui decem libros de architectura Cęsari Augusto scripsit, fuerit, incompertum. Ego hunc nostrum Veronensem alium ab eo fuisse semper existimaui. Ille enim Marci, hic Lucij pręnomen, ille Pollionis,
B hic Cerdonis cognomen habuit: ille, quantum ex eius scriptis elicitur, Romanus & ingenuus, hic Veronensis & libertus fuit. Cęterum quiquis hic noster fuerit, architecturę peritissimus, quantum ex eius arcus vestigijs intelligi potest, fuit, ideoque haud indignus, qui in reliquorum illustrium virorum albo exscriberetur. Eius pręterea complura & egregia opera Veronę fuisse proculdubio existimandum, & si quid coniectari licet, quum sui operis arcus castri veteris antiquissimus sit, à vero haud abhorreret, ab eodem quoque Amphitheatrum, & Theatrum condita fuisse.

C. PLINIVS SECVNDVS.

C VERONENSEM seniorem Plinium fuisse, quamquam à plerisque in dubium res clarissima reuocetur, ita apertum & manifestum est, vt nihil clarius esse existimem, rem omnem, veterumque scriptorum verba accurate consideranti. Ipse in primis in præfatione librorum historiæ naturalis ad T. Vespasianum Cęsarem Augusti Vespasiani filium se apertè Veronensem fuisse testatur, quum his verbis, Catullum conterraneum suum vocat. *Namque tu solebas putare esse aliquid meas nugas, vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum, Agnoscis & hoc castrense verbum. Ille enim vt scis permutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit quam volebat existimari a Veraniolis suis, & Fabulis.* Si enim ipse Nouocomensis (vt quidam tradunt) fuisset, non recte conterraneum dixisset. Ex Ptolomæo enim in terrarum dimensione manifeste liquet, Comum in Insubrum finibus ad Septemtrionem,
D Veronam vero in Venetia inter se supra mille & centum stadia distantes diuersa regione collocatas. Quod item ex Plinij geographia planissimè patet. Qui Comum in decima Italæ regione, Veronam vero in Venetia XI. regione diuisis quoque capitibus seclusit, quum & terræ & regiones longe diuersæ sint. Nam inepte nimium argumentantur, qui Comum Veronamque in ampla tanquam vnica Transpadanæ Galliæ prouincia, quasi parua intercapedine iunctas asseuerant. Hoc enim nomen *conterraneum* non tam latæ significationis est. Quod si esset, quum terra præter duo alia significata, teste Varrone totum elementum dicatur, qui sunt ad extremam Thulem, aut ad Orientem, nobis conterranei essent. quod perabsurdum est. Strictioris enim significati est conterranei vox, quandoquidem Varrone auctore à terra territorium deducatur. Quod ex Pomponij sententia appellatur agrorum
E vniuersitas intra cuiusque ciuitatis fines, sic dictum, quod magistratus eius loci intra has fines terrendi habet ius. Ex territorio igitur verius & signatius conterraneus inflectitur, quam ab vniuerso terræ elemento, Conterraneusq; is habeatur qui eiusdem territorij sub vno magistratu cuius est, sicuti commilitones appellantur, qui in eodem exercitu sub vno imperatore merent, non in diuerso. Sic & condiscipuli, qui in eodem gymnasio sub vno pręceptore condiscunt, & cōciues, qui in eadem ciuitate sub vno principe vel in republica degunt. Ad eundem modum conterraneus non ex diuersis & longinquis regionibus, sed ex eodem territorio, merito appellatur. Quod etiam Laurentius Valla, & post illum recentiores etiam sensere, exemplum de his Plinij verbis sumentes, quid inter conterraneum & conciuem differat: quandoquidem Plinius Catullum non conciuem sed conterraneum suum dixerit, quia

ex agro Veronensi forte non ex vrbe ipsa vterque ortus fuerit. Hac igitur de causa Plinium Catulli conterraneum Veronensem non Nouocomensem dicemus. Huic testimonio ipsam sanè vetustatem nullo æuo quamuis longo exoletam addimus, quæ nullius cauillis repudiari potest, dum vrbs Verona suis monumentis stabit. Vetustissimum enim adhuc exstat Veronę marmorei fragmẽti epitaphion parẽtibus & sorori sibiq; à Plinio ipso factum, quod inter rudera centum annis ante in agro Veronensi inuentum est, atque in angulo domus C. Ludouici Nogarolę, propè ædem S. Bernardini fixum, litterisq; maiusculis elegantissimisque, ita vt ab horum temporum lapicida effingi non potuerint, exaratum sic. A

INIV-	Quod ita	C. PLINIVS
NDV-	restituendum	C. F. SECVNDVS
AVG	censeo.	VI. VIR. AVG
RCIVIAE-		SIBI. ET. ORCIVIAE
CELLAE		MARCELLAE
RI		VXORI
ERI. PATRI		C. CELERI. PATRI
MAE. MATRI		ET. OPTIMAE. MATRI
MARCELLAE		. . . . MARCELLAE
T. F. I.		V. T. F. I.

B

Hoc firmissimo vetustatis testimonio adde maiorum nostrorum publicum consensum, & per manus traditam, atque quę ad nos manauit, opinionem. Qua ducti maiores ipsi cum cęteris viris illustribus Veronensibus simulacrum in foro statuere. Hæc porrò opinio non solum apud nostrates, sed apud exteros quoq; celebris fuit, vt apud Franciscum Petrarcham, C Blondum, Pium II. Pontificem Maximum, & reliquos multos eruditissimos viros, a quibus semper Veronensis appellatur. Ex his igitur, quę in medium attuli, proculdubio affirmare possumus Veronæ ciuem fuisse. Eius vero sororis filium C. Plinium Cæcilium secundum, de quo mox dicam, Nouocomensem quidem fuisse ortu, verum adoptionis iure & ipsum Veronensem fuisse, qui Plinia sorore C. Secundi & C. Cæcilio Nouocomi ortus ab auunculo Plinio adoptatus est, atque C. Plinius Cæcilius appellatus. Porrò autem de C. Plinio ita scribit Tranquillus in libro de viris illustribus: *C. Plinius secundus equestribus militiis industriæ functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas summa integritate administrauit. Et tamen liberalibus studiis tantum operam dedit, vt non temere quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia quæ vnquam cum Germanis gesta sunt XX voluminibus comprehendit. Item naturalis historiæ XXXVII libros absoluit. Periit clade Campaniæ. Nam quum Misenensi classi præesset, & flagrante Vesuuio ad explorandas propius causas liburnicas prætendisset, neque* D *aduersantibus ventis remeare posset, vi pulueris ac fauillæ oppressus est, vel vt quidam existimant à seruo suo occisus, quem deficiens æstu, vt necem sibi maturaret, orauerat. Hic in iis libris XX. millia rerum dignarum ex lectione voluminum circiter duo millium complexus est. primus autem liber index XXXVI. librorum sequentium, consummationem totius operis, & species continet titulorum.* Ego vero in libro cui Bibliothecæ nomen indidi, ita de eo scripsi. C. Plinius C. F. Secundus Veronensis libros XXXVII. historiæ naturalis, qui adhuc quamquam magna ex parte deprauati exstant, conscripsit. Opus varium & multiplex, vt est ipsa natura. In eis E quicquid vel Deo immortali, vel rebus creatis conuenit, aut vnquam vsu venerit scitu dignum, explicatur. diligentia maior, quam dicendi ratio. Quę & ipsa quibusdam inepte meo judicio desiderari solet. Vixit sub Claudio, Nerone, & Vespasiano Augustis præfectus classis Misenatium. Obijt sub Tito in Vesuuii incẽdio, dum eius causas indagare inconsultius aggressus esset. Pleraque alia, quæ temporum iniuria periere, scripsit. Exstant inter Plinii junioris epistolarum libros epistolæ duæ, quibus affatim eius vita, mores, studia, & obitus describitur. quæ, quum ad rem quammaxime faciant, subjicere placet.

C. PLI-

A

C. Plinius Cæcilius Secundus
Marco suo. S.

PErgratum est mihi quod tam diligenter libros auunculi mei lectitas ut habere omneis velis, quærasque, qui sint omnes. Fungar indicis partibus, atque etiam quo sint ordine scripti notum tibi faciam. Est enim hæcquoque studiosis non iniucunda cognitio. De Iaculatione equestri vnus. Hunc quum præfectus alæ militaret, pari ingenio, curaque composuit. De vita Pomponij Secundi duo, à quo singulariter amatus, hoc memoriæ amici, quasi debitum munus exsoluit. Bellorum Germaniæ XX. quibus omnia, quae cum Germanis gessimus bella, collegit. Incoauit, B *quum in Germania militaret, somnio monitus. Adstitit ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniæ latissimæ victor, ibi periit: commendabat memoriam suam orabatque, ut se ab iniuria obliuionis assereret. Studiosi tres, in sex volumina propter amplitudinem diuisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit, & perfecit. Dubij sermonis octo scripsit sub Nerone nouissimis annis, quum omne studiorum genus paulo liberius & erectius periculosum seruitus fecisset. A' fine Aufidij Basi XXXI. Naturę historiarum XXXVII. opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsa natura Miraris, quod tot volumina, multaquè in his tam scrupulosa homo occupatus absoluerit: magis miraberis, si scieris, illum aliquandiu causas actitasse, decessisse anno sexto & quinquagesimo, medium tempus distentum impeditumquè, qua officijs maximis, qua amicitia principũ egisse pernoscitur. Sed erat acre ingeniũ, incredibile studiũ, summa vigilantia. Lu-* C *cubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi, æstate à nocte multa, hyeme vero ab hora septima, vel quum tardissime, octaua, sæpe sexta. Erat sanè somni parcissimi, nonnumquam etiam inter ipsa studia instantis, & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem, (nam ille quoque noctibus vtebatur) inde ad delegatum sibi officium reuersus domum, quod reliquum temporis studijs reddebat: post cibum sæpe, quem interdiu leuem & facilem veterum more sumebat. Aestate si quid otij, iacebat in sole, liber legebatur, adnotabat, excerpebatquè. nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, vt non aliqua parte prodesset. Post solem plerumque frigida lauabatur, deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox quasi alio die studebat in cænæ tempus, super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, quum lector quædam* D *perperam ponunciasset, reuocasse, & repeti cocgisse, huic, auunculum meum dixisse,* intellexeras nempe? *quum ille annuisset,* cur ergo reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. *tanta erat parsimonia temporis. Surgebat æstate à cœna luce: hyeme intra primam noctis. & tanquam aliqua lege cogente hæc inter medios labores, vrbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studijs eximebatur. Quum dico balinei de interioribus loquor. Nam dum distringitur tergiturquè, audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere quasi solutus cæteris curis, huic vni vacabat. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur, vt ne cæli quidem asperitas vllum studij tempus eriperet, qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, quum ambularem,* Poteras *(inquit)* has horas non perdere. *nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studijs non impertiretur. Hac intentione* E *tot ista volumina peregit, Electorumque commentarios centũ sexaginta mihi reliquit; opistographos quidem, & minutissimis scriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse, potuisse se, quũ procuraret in Hispania, vendere hos cõmentarios Largio Lycinio* CD∞ *nummũm: & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi recordanti, quantum legerit, quantum scripserit, nec in officijs vllis, nec in amicitia principum fuisse? Rursus quum audis, quid studijs laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? Quid est enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere, quum me quidam studiosum vocant, qui si comparer illi, sum desidiosissimus. Ego autẽ tantũ, quantũ partim publica, partim amicorũ officia non distringunt tantũ vaco. Quis ex istis, qui tota vita litteris assident, collatus illi, non quasi somno, & inertiæ deditus erubescat? Extendi epistolam, cum hoc solum quod requirebas scribere desti-*

destinassem, quos libros reliquisset. Confido tamen hæc quoque tibi non minus grata, quàm ipsos li- A
bros futura, quæ te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum pos-
sunt æmulationis stimulis excitare. Vale. Hæc epistola V est libri III. eam vero quam ad
Cornelium Tacitum de eius obitu scripsit XVI. est lib. VI ita.

C. PLINIVS. TACITO. SVO. S. D.

PETIS, vt tibi auunculi mei exitum scribam, quò verius tradere posteris possis. Gratias
ago. Nam video, morti eius, si celebretur à te, immortalem gloriam esse propositam. Quam-
uis enim pulcherrimarum clade terrarum, vt populi, vt vrbes memorabili casu, quasi semper
victurus occiderit: quamuis ipse plurima opera, & mansura condiderit, multum tamen perpetui-
tati eius scriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum B
est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos vero quibus vtrumque. Horum in
numero auunculus meus, & suis libris, & tuis erit. Quod libentius suscipio, deposco etiam, quod
iniungis. Erat Miseni, classemque imperio præsens regebat. Kal: Nouembris, hora ferè septima,
mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata & magnitudine & specie. Surgit ille, vt è sole
solebat frigida gustata, iacens enim studebat, poscit soleas, ascendit locum, ex quo maxime mi-
raculum illud conspici poterat. Nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, Vesuvium fuis-
se postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem & formam non alia res magis quam pinus
expresserit. Nam longissimo velut trunco efflata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. cre-
do quia recenti spiritu euecta, dein senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitu-
dinem vanescebat, candida interdum, interdum sordida, & maculosa, prout terram, cineremque C
que sustulerat. Magnum, propiusque noscendum, vt eruditissimo viro visum est. Iubet libur-
nicam aptari: mihi si venire vnà vellem, facit copiam. respondi studere me malle, & forte ipse,
quod scriberem, dederat. Egrediebatur domo, accepit codicillos Retinæ classiarij imminenti pe-
riculo exterriti (nam villa eius subiacebat, nec vlla nisi nauibus fuga) vt se tanto discrimini e-
riperet, orabat. Vertit ille consilium, & quod studioso animo inchoauerat, obit maximo, dedu-
cit quadriremeis. Ascendit ipse non Retinæ modo, sed multis (erat enim frequens amænitas oræ)
laturus auxilium: properat illuc, vnde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in pe-
riculum tenet, adeo solutus metu, vt omneis illius mali motus, omneis figuras, vt deprehenderat
oculis, dictaret, enotaretque. Iam nauibus cinis incidebat, quo proprius accederet calidior, & den-
sior: jam pumices etiam, nigrique, & ambusti, & fracti igne lapides. Iam vadum subitum, rui- D
naque montis, littora obstantia, cunctatus paululum, an retro flecteret, mox gubernatori, vt ita
faceret monenti. Forteis *inquit* fortuna iuuat. Pomponianum pete. *Stabijs erat, diremtus sinu*
medio. Nam sensim circumactis, curuatisque littoribus mare infunditur Ibi quamquam nondum
periculo appropinquante, conspicuo tamen, & quum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in na-
ueis certus fugæ, si contrarius ventus resedisset, quo tunc auunculus meus secundissimo inuectus,
complectitur trepidantem, consolatur, hortatur, vtque timorem eius sua securitate leniret, defer-
ri se in balineum iubet, lotus accubat, cænat, atque hilaris, aut (quod est æquè magnum) similis
hilari. Interim e Vesuuio monte pluribus locis latissimæ flammæ, atque incendia relucebant, quo-
rum fulgor, & claritas tenebras noctis pellebat. Ille agrestrum trepidatione ignis relictas, deser-
tasque villas per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit, & E
quieuit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gra-
uior & sonantior erat, ab ijs, qui limini obuersabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diæta a-
dibatur, iam tum cinere, mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, vt si longior in cubiculo mora
esset exitus negaretur. Excitatus, procedit, seque Pomponiano, cæterisque, qui peruigilarant red-
dit. In commune consultant, intra tecta ne subsistant, an in aperto vagentur? Nam crebris, va-
stisque tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire, aut refer-
ri videbantur. Sub dio rursus, quamquam leuium exesorumque pumicum casus metuebatur.
quod tamen periculorum collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem

timor

A *timor vicit. Ceruicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum aduersus decidentia fuit. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior, densiorque: quam tamen faces multæ, variaque lumina soluebant. Placuit egredi in littus, & è proximo aspicere, ecquid iam mare admitteret, quod adhuc vastum & aduersum permanebat. Ibi super abiectum linteum recubans semel, atque iterum frigidam poposcit, hausitque. Deinde flammæ, flammarumque prænuncius odor sulphuris, alios in fugam vertunt, excitant illum, innixus seruis duobus assurrexit, & statim concidit (vt ego coniecto) crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura inualidus & angustus, & frequenter intus æstuans erat. Vbi dies redditus is, ab eo quem nouissime viderat, tertius, corpus inuentum est, integrum, illæsum, opertumque vt fuerat indutum: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior. Interim Miseni ego, & mater. sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu eius scire voluisti. Finem ergo faciam. Vnum adijciam,*
B *omnia me quibus interfueram, quæq; statim, quum maxime vera memorantur audierã, vere persequutum. Tu potissima excerpes. aliud est enim epistolam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.* Ex his porrò duabus epistolis, tota Plinij vita affatim intelligi potest. Obijt autem III. Nonas Nouembris Anno salutis XXCI. secundo principatus Titi Vespasiani Imperatoris eodem Augusto VIII. & Domitiano Cesare fratre VII. Consulibus, quum natus esset Ser. Cornelio Cethego L. Visellio Varrone Cos. principatus Tiberii Cesaris anno vndecimo.

C. PLINIVS CÆCILIVS SECVNDVS.

C HIC C. Cæcilio Nouocomensi & Plinia sorore C. Secundi natus, quum ab auunculo adoptatus esset, C. Plinius Cæcilius Secundus vocatus est, quemadmodum eo tempore consuetudinem fuisse libro de antiquis Romanorum nominibus demonstraui. Qui natura quidem Nouocomensis ciuis fuit, vnde & ipse Nouocomum patriam suam sæpe in epistolis suis scribit, verum lege & adoptionis iure Veronensis & ipse, vt eius adoptiuus pater C. Plinius Secundus, fuit. Quam rem innuens in epistola ad Falconem ipse, Catullum Veronensem inter veteres recensendum poetas quodam patriæ amore obstrictus suum tamen vocat, & libro VI. Epistola vltima ad Maximum ita scribit: ***Recte fecisti quod gladiatorum munus Veronensibus nostris permisisti, à quibus olim amaris, suspiceris, ornaris*** &c. Hinc etiam multi res ipsas minus accurate pensitantes decepti sunt, vt quod erat iunioris Plinii, Seniori at-
D tribuerint, Pliniumque seniorem è Veronense Nouocomensem fecerint. Cæterum Plinius iunior ab auunculo adoptatus, & ab eo etiam liberaliter educatus est, atque in omni disciplinarum genere eruditus, eiusque vestigia imitatus, clarissimus suorum temporum orator existimatus est. caussas enim acriter & ardenter, nec minus ornate & polite, dixit. Cui ex quatuor dicendi generibus Macrobius floridum destinauit. Scripsit ad æquales & contubernales suos epistolas, quæ passim leguntur, quibus insunt aptæ sententiæ, grauis & decora constructio, perpolita verba, & antiqua, quarum sermo est copiosus, & varius, & dulcis, atque in primis qui legendum alliciat. Fertur & breue virorum illustrium opusculum conscripsisse, in quo breui sermone ingentia ducum gesta comprehendit. Magnæ quoque in Rep. Romana dignationis fuit, vt sub Traiano principe per omnium honorum gradus vsque ad Cõ-
E sulatum euectus sit, moxque Bithyniæ proconsulatum, quem integre & sancte administrauit. In quo præclaram illam de Christianis ad Imperatorem Traianum scripsit epistolam, quæ epistolarum suarum libro X est. XCVII Cuius etiam subinde Tertullianus in apologetico, & Eusebius meminerunt. Porrò autem quos aut quales honores gesserit, ex duabus vetustis inscriptionibus de eius nomine factis intelligi potest, quarum alteram Mediolani, alteram vero Comi adhuc exstare dicunt.

Mediolani

C. PLINIVS. C. F. OVF. CAECILIVS. SECVNDVS
COS. AVGVR. LEGATVS. PROPRAET. PROVINCIAE
PONTI. CONSVLARI. POTESTATE. IN. EAM
PROVINCIAM. AB. IMP. CAESARE. NERVA
TRAIANO. AVGVSTO. GERMANICO. MISSVS
CVRATOR. ALVEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS
PRAEF. AERARI. SATVRNI. PRAEF. AERARI. MILIT
QVAESTOR. IMP. SEVIR. EQVITVM. ROM. TRIB. MIL
LEG. VI. GALLIC. X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS

A

Nouocomi

C. PLINIO. C. F
OVF. CAECILIO
SECVNDO. COS
AVG. CVR. ALVEI
ET. RIPAR. TIBERIS
. . . .

B

THEOLOGI.

S. ZENO. VERONENSIS. EPISCOPVS.

C

VETVSTISSIMIS & a Christianæ pietatis cognitione alienis Veronensibus viris illustribus,quorum ad nos perennis memoria manauit, expeditis, nunc illos singillatim referam, qui tum litteris, tum bellica virtute, tum cæteris artibus in vrbe nostra claruerunt, postquam diuina Christianæ veritatis gratia vrbi nostræ illuxit, quos per classes ex singulorũ professione distinguam, atque in primis Theologos, deinde Philosophos, post Iureconsultos, mox Medicos, post eos Astrologos, Mathematicos, Historicos, Poetas, & varia multipliciq; eruditione præditos viros. Ad hæc homines bello illustres ;postremo reliquis in artibus excellentes accurate enumerabo: ne quis non in vna arte, & scientia tantum nostros Veronenses viguisse forte existimarit. Atque à Theologis initium faciam, quorum omnium princeps & antesignanus sit beatissimus nostrę vrbis Pontifex tutelarisque diuus Zeno,quem in omnibus actionibus post Dei omnipotentis Virginisque matris appellatum auxilium summa veneratione præferam:qui quamquam ab aliquibus Græcus fuisse credatur, multorum tamen opinione Veronensis fuisse refertur. Hic quum pietate,fide, & religione clarissimus tum multiplici doctrina illustrisimus habitus est. Multa enim scripsit Christiano antistite digna, quorum hæc ad nostram peruenere notitiam. D

De Patientia, Pudicitia, Fide, Spe, & Charitate libros III.
De Iustitia librum I.
De Timore librum I.
De Spiritu & Corpore librum I.
De eo quod scriptum est: Quum tradiderit regnum Deo & Patri, Sermonem I. E
De Ædificatione domus Dei.
De Continentia.
De Baptismo libros III.
De Natiuitate Domini & Maiestate.
De Daniele Tractatus II.
In Psalmos XLI. XLII. CXXVI. & tres sequentes Tractatus VII.
De Liuore & Inuidia.
De hoc verbo: Attende tibi, ne forte fiat &c.
De Quattor Temporum ieiunio.

De

A In Psalmum XX.
De Auaritia tractatus III.
De Festo Paschali.
De Inuitatione ad fontes.
De Somno Iacobi.
De XII Cœli signis.
De Fide super Ionam.
Super historiam Susannę.
De Die Dominico.
De Abrahamo.
B De Natiuitate Domini.
De Passione Arcadij Martyris in Mauritania eo tempore occisi.
Vixit B. Zeno Pontifex Gallieni Imperatoris temporibus circa annum Domini CCLX.

PACIFICVS S. VERONENSIS ECCL: ARCHIDIACONVS.

SVMMVS Theologus, summusque multarum aliarum disciplinarum cultor fuit Pacificus Veronensis Ciuis, vir magnæ pietatis atque animi, nostræque Ecclesiæ Archidiaconus, qui Veronæ temporibus Caroli Magni, & Ludouici pij Imperatorum floruit circa annos Christi DCCCXX. Hic horologium nocturnum primus inuenit, & supra CCC volumina scripsit, bibliothecam totius orbis terrarum meo iudicio celeberrimam condidit, cuius vestigia adhuc Veronę in Monasterio Canonicorum Veronensium exstat, ducentis pænè litteris maiusculis scriptis in membranis libris ornatam. Huius acumen ingenii resque pręclarè gestę ex eius antiquo epitaphio quod marmoreo lapidi incisum adhuc in Cathedrali aquilonem versus cernitur, intelligi possunt. Quod legentibus delectationem ob insignis atque optime de Ecclesia nostra meriti viri memoriam affert. Ita enim est.

ARCHIDIACONVS. QVIESCIT. HIC. VERO. PACIFICVS
SAPIENTIA. PRAECLARVS. ET. FORMA. PRAEFVLGIDA
D NVLLVS. TALIS. EST. INVENTVS. NOSTRIS. IN. TEMPORIBVS
QVOD. NEC. VLLVM. ADVENIRE. VMQVAM. TALEM. CREDIMVS
ECCLESIARVM. FVNDATOR. RENOVATOR. OPTIMVS
ZENONIS. PROCVLI. VITI. PETRI. ET. LAVRENTII
DEI. QVOQVE. GENETRICIS. NEC. NON. ET. GEORGII
QVICQVID. AVRO. VEL. ARGENTO. ET. METALLIS. CETERIS
QVICQVID. LIGNIS. EX. DIVERSIS. ET. MARMORE. CANDIDO
NVLLVS. VNQVAM. SIC. PERITVS. IN. TANTIS. OPERIBVS
BIS. CENTENOS. TERQVE. SENOS. CODICESQVE. FECERAT
HOROLOGIVM. NOCTVRNVM. NVLLVS. ANTE. VIDERAT
E EN. INVENIT. ARGVMENTVM. ET. PRIMVM. FVNDAVERAT
GLOSAM. VETERIS. ET. NOVI. TESTAMENTI. POSVIT
HOROLOGIOQVE. CARMEN. SPERAE. COELI. OPTIMVM
PLVRA. ALIA. GRAPHIAQVE. PRVDENS. INVENIET
TRES. ET. DECIM. VIXIT. LVSTRA. TRINOS. ANNOS. AMPLIVS
QVADRAGINTA. ET. TRES. ANNOS. FVIT. ARCHIDIAC
SEPTIMO. VICESIMO. AETATIS. ANNO. CAESARIS. LOTHARII
MOLE. CARNIS. EST. SOLVTVS. PERREXIT. AD DOMINVM
NONO. SANE. CALENDARVM. OBIIT. DECEMBRIVM
NOCTE. SANCTA. QVAE. VOCATVR. A. DOMINICA

LVGENT. QVOQVE. SACERDOTES. ET. MINISTRI. OPTIMI A
EIVS. MORTE. NEMPE. DOLET. INFINITVS. POPVLVS
VESTROS. PEDES. QVASI. TENENS. VOSQVE. PRECOR. CERNVVS
LECTORES. EXORARE. QVAESO. PRO. PACIFICO

S. PETRVS MARTYR ORDINIS PRÆDICATORVM.

VERONAE quoque ortus est S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum, vir vt doctissimus ita sanctissimus, qui quum ab Innocentio IIII. Pontifice Max. circa annum Christi ∞ CDL hæreticæ prauitatis inquisitor in vniuersa Lombardia creatus esset, munusq; B sibi ab Apostolica sede contra impios homines egregiè & sanctissimè exerceret, ab ijs pro Catholica veritate tuenda, dum è Mediolano Nouocomum proficiscitur, per insidias in itinere sæuissimè interfectus est, & non longè post ab eodem Pontifice Innocentio IIII. inter sanctorum Christi Martyrum numerum pientissimè est relatus. Huius sacrum cadauer Mediolani ad Prædicatorum basilicam magna cum totius populi veneratione quescit.

PETRVS SCALIGER EPISCOPVS VERONENSIS ORDINIS PRÆDICATORVM.

NObilissima & tunc vrbis principatum obtinentes Scaligera gente ortus est Petrus, C qui ex ordine Prædicatorum, in quo diu sanctissimè vixerat, ad Episcopatum Veronensem totius cleri consensu vocatus est. Hic quum esset vir doctissimus multa ingenij sui monumenta reliquit, in quibus hæc præcipua fuisse animaduerti.

Sermonum ad populum liber I.

Commentaria in Euang. S. Matthęi.

Hic vir pientissimus quum in suspicionem quandam sinistram Principis Veronensis venisset, ab eo interfectus est, sepultusque ad Prædicatores Veronę.

MATTHÆVS BOSSVS CANONICVS REGVLARIS ABBAS COENOBII FESVLANI. D

MATTHAEVM Bossum Veronensem Canonicum regularem Diui Augustini Theologum & Philosophum consultissimum hoc hominum sapientum alto temporis ordine seruato interponere placuit, quando plura exstent eius ingenij vulgata monumenta. Huius in Epistola quadam Angelus Politianus vitam & eruditionem mirificè commendat. Scripsit autem quæ circunferuntur opera hęc.

Orationum liber I.

Recuperationum Fesulanarum epistolę CXXXIII.

Epistolarum pars secunda, qua continentur epistolæ Familiares CCXXXII.

Epistolarum pars tertia complectens epistolas C. & Sermones VI E

Lucianicæ declamationis è Greco in Latinum versio.

Opera Moralia & Christiana: idest. De Veris & salutaribus animi gaudijs dialogus tribus libris distinctus.

De instituenduo sapientia animo, siue de vero sapientię cultu lib. VIII.

De Tolerandis aduersis dialogi II.

De Gerendo magistratu, iustitiaque colenda, ad Ludouicum Bossum I. C. tractatus.

De Immoderato mulierum cultu ad Bessarionem cohortatio, vel ne fęminę ornamenta Bononiensibus mulieribus restituantur.

Vixit anno salutis ∞ CCCCLX.

HIERONYMVS FRACASTORIVS VERONENSIS PHILOSOPHVS MEDICVS ET POETA ÆTATIS ANNO LXX. DENATVS AN. CIƆ IƆLIII

Os Fracastorio nascenti defuit. ergo
Sedulus attenta finxit Apollo manu.
Inde hauri medicusque ingens, ingensque poeta:
Et magno facies omnia plena Deo.

Iul. Cæs. Scaliger



G Georgi fecit



A

LVDOVICVS CAMPANEA VERONENSIS ORDINIS PRÆDICATORVM.

VERONAE quoque summo loco natus est Ludouicus Campanea Ordinis Prædicatorum Theologus, Philosophus, & declamator disertissimus, cuius adhuc ad Prædicatores aliquot ingenii monumenta exstant.

HIERONYMVS PLVMATIVS F. EREMITA AVGVSTINIANVS.

B HIC sua ætate diuini verbi præco excellentissimus fuit. Vixit autem tota Italia celebratus triginta annis ante. Qui populis eo etiam nomine maximè acceptissimus fuit, quod præter præcipuum studium ac curam tradendæ publicè doctrinæ Christianæ, misericordissimus in egenos inopesq; homines erat, quos mira benignitate eleemosynis magnis suis concionibus conquisitis subleuauit. Montes, vt vocant, collegia, & sodalitia multa instituenda singulis Italiæ Ciuitatibus in quibus ecclesiastem ageret, sanctissimè curauit, queis Virginis pauperes nuptui traderentur, exilis vilisque plebicula pasceretur, indigentes sine fœnore mutuam pecuniam accipere possent. Post per multos acceptos ex haustosque pro Ecclesia labores Venetijs in pace quieuit. Cuius concionum liber adhuc exstare dicitur.

C

PHILOSOPHI.

POST eos Theologos Veronenses, qui aliquid litterarum monumentis tradidere (infinitos enim & doctissimos omisi, quum mihi propositum sit eos tantum in omni doctrinarum genere enumerare celebres viros, quorum memoria in scriptis extet) nunc Philosophorum Veronensium seriem adjiciam, quos tantos ac tales vrbs nostra tulit, vt ex vno Orbe, non vrbe prodijsse videantur. Hi & in inueniendis, indicandisque mortalibus naturæ arcanis, & in Aristotelis, Platonisque voluminibus explicandis maximo generi humano vsui fuere. Quorum longè latèque per omnem terrarum orbem se diffundens fama vrbem
D nostram præ cæteris omnibus terræ Italiæ summopere illustrauit. Quibus enumerandis ab eo potissimum initium sumam cui sine hæsitatione vlla reliqui omnes primas partes procul dubio reliquissent, si aliquando de primatu inter eos esset controuersum.

HIERONIMVS FRACASTORIVS PAVLI PHILIPPI FILIVS.

BONARVM artium, & omnis doctrinæ, vrbisque nostræ splendididissimum lumen nostro sæculo fuit Hieronymus Fracastorius nobilissimus Ciuis, Philosophus Medicus,
E & poeta omnium, qui post Cæsaris Augusti tempora vnquam toto terrarum orbe omnium consensu fuerint, proculdubio maximus. Hic multa elegantissime accuratissimeque conscripsit, in quibus principem locum Siphilis, ideſt libri tres, quos de morbo Gallico heroicis versibus ad Petrum Bembum diuinè edidit, tenent. Quibus nihil diuinius aut elaboratius ne a Virgilio quidem ipso fieri potuisse existimo. Edidit præterea

Comœdiam, cui titulus Ioseph.
Homocentrica, & de causis criticorum dierum per ea quæ in nobis sunt.
De Sympathia & Antipathia lib. I.
De Contagione & contagiosis morbis, eorumque curatione lib. III.
Alcon, siue de cura canum venaticorum carmine.

Obijt eximius vir ſuperioribus annis Veronæ, repentino morbo, non ſine maxima litterarum iactura, oppreſſus, cui ex. S. C. ſtatua in foro cum reliquis illuſtribus Veronenſibus erecta eſt eius imagine ad viuum expreſſa cum hoc quod ego edidi elogio. A

HIER. FRACASTORIO
PAVLLI. PHILIPPI. F
EX. PVBLICA. AVCTORITATE
ANNO. ∞ DLIX

BARPTOLOMÆVS LOMBARDVS.

BARPTOLOMEVS Lombardus Veronenſis dignus admodum eſt, qui Philoſophorum Veronenſium albo à nobis adſcribatur. Hic enim Ariſtotelicæ diſciplinę periti ſſimus cum Vincentio Madio Brixiano Philoſopho eximio communes explanationes ſcripſit in librum Ariſtotelis de Arte poetica, quas Madius ipſe poſt obitum Lombardi cum ſuis annotationibus edidit, appoſita Lombardi præfatione in Ariſtotelis poeticam, quam ad Inflammatos in Academia Patauina habuit. B

BERNARDINVS DONATVS.

BERNARDINVS Donatus Veronēſis Philoſophus egregius ſcripſit opuſculum De Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia. Vbi Georgij Gemiſti ſuper eadem re libellum in dialogum redegit, & quædam de ſuo adiecit. Ariſtotelis etiam Oeconomicorum libros duos latine aptius elegantiuſque reddidit, quàm reliqui hactenus interpretes. Idem è Galeno tranſtulit librum de cognoſcendis curandiſque animi morbis. Præterea Euſebij libros de Euangelica demonſtratione, & Oeconomicum Xenophontis. C

IOANNES FRANCISCVS BVRANA.

OPTIMVS Ariſtotelis interpres ab eruditis peripateticæ diſciplinæ exiſtimatus eſt Ioannes Franciſcus Burana Veronenſis. Hic enim priora reſolutoria Ariſtotelis latino ſermone donauit, & egregijs commentarijs illuſtrauit. Idem etiam Auerrois mediam expoſitionem in libros priorum reſolutiuorum Ariſtotelis. Item eiuſdem magna commentaria, ſiue expoſitionem maximam, & poſtremo eiuſdem expoſitionem mediam in poſteriorum reſolutiuorum libros, vir doctus latinitate donauit. D

LEONARDVS COMES NOGAROLA.

NOBILISSIMO & vetuſtiſsimo inter Veronenſes ſtemmate, atque Imperialis Comitatus titulis antiquitus donato, ortus eſt Leonardus Nogarola Apoſtolicus protonotarius, Philoſophus, & Theologus egregius, itemque Orator præſtantiſsimus, qui inter cætera eius ingenij opera nobis reliquit librum de æternitate mundi. Item de ſacroſanctis Miſſæ myſterijs commentarium vtiliſsimum.

E

LVDOVICVS COMES NOGAROLA.

HVIVS gentilis Ludouicus, vir in omni diſciplinarum genere, & præſertim Theologię, Philoſophiæque peritus, Dialogum de Nili incremento, quem cum Hieronymo Fracaſtorio habuit, edidit Idē Platonicas quæſtiones ex Plutarcho tranſtulit, ſcholijſq; illuſtrauit. Præterea Apoſtolicas inſtitutiones omnes in paruum libellum collegit. Et Ocellum Lucanum de Vniuerſi natura Latinum fecit, adiuncta epiſtola ad Adamum Fumanum Can. Veronenſem ſuper Viris Illuſtribus genere Italis, qui gręcè ſcripſerunt.

A

HIERONYMVS BAGOLINVS.

HIERONYMVS Bagolinus Veronensis Philosophus præstantissimus multa & ipse ingenij sui monumenta reliquit. Scripsit enim Annotationes in Auerrois compendium super priora resolutoria Aristotelis. Io. Grammatici Philoponi commentaria in Aristotelis libros de generatione & corruptione interpretatus est.

Item Alexandri Aphrodisęi quæstiones naturales, morales, & de Fato.

Idem annotationes & dubitationes in primum resolutiuorum Arist. edidit.

MATTHÆOLVS.

B

MATTHAEOLVS quidam Philosophus ciuis noster, cuius particularis notitia adhuc ad me minime peruenit, Memoratiuam artem scripsisse traditur. De quo nihil præterea compertum habeo.

IOANNES BAPTISTA GABIA.

AMicissimus mihi est Ioannes Baptista Gabia Veronensis, cum quo diu Romæ suauissime vixi. Cuius mores, humanitatem & doctrinam singularem, perspectissimas habeo. Hic quum trium linguarum peritissimus sit, multa è Græco & Hebræo in
C Latinum sermonem vertit in his septem tragædias Sophoclis. ad verbum latinas fecit, scholijsque illustrauit. Zosimi historiarum libros Gręcos Italico sermone, me petente, donauit. Hymnos Dauidis multos ex Hebraica veritate latinos elegantissime Flaminii more reddidit. Hic præter linguarum peritiam Theologiæ, Philosophiæ, Mathematicarum, & Astrologiæ peritissimus est, multaque in omni disciplinarum genere adornat, non modicum sibi & patriæ nostræ splendoris, cæteris vero mortalibus vtilitatis allatura. Viuit nunc Romæ, & in Academia Romana publice litteras Græcas profitetur.

MEDICI VERONENSES.

D VRBEM Veronam præstantissimorum Medicorum collegium mirum in modum exornat, in quo licet, semperque licuit multos Aesculapios, atque Machaonas admirari, qui omnium artium & philosophiæ eruditione præstantes, non modo languentia ægrotantium corpora saluti restituunt, verum anhelosa suspiratione, & gemebundo singultu laborantes homines ad vitam reuocant, fugientesque ab ore animas in pectora redire cogunt. Nec tantum hac salubri doctrina patriæ, & suis prodesse contenti, sed vniuersæ penè Italiæ, vt exterarum nationum Gymnasia, Academiasque tum legendo, tum scribendo, tum sanando compleuerunt, quorum ex ijs qui scripserunt.

BERNARDVS ALBERTI F. A CAMPANEA.

TRITAVVS meus maternus, longe omnium sui temporis præstantissimus fuit. De
E quo quum gentilis sit, ne in eo laudando videar cognationi nonnihil indulsisse, ea tantum de eo dicam, quæ Blondus Flauius Foroliuiensis centum annis antea in Italia illustranda tradidit Bernardus honesto genitus Campaniæ gentis loco non paruum Veronæ attulit ornamentum, qui medicus & Philosophus insignis tanta viguit memoria, vt Themistoclis instar nihil illi exciderit, quod aut discere, aut eum attentius legere contigisset. Scripsit autem de re medica commentarios. Principibus Scaligeris, quorum sanitatem tuebatur, gratissimus fuit, atque ab ijs ad summos honores, & amplas opes euectus est. Vixit autem circa annum Christi ∞ CCC. Auus hic fuit patris matris meæ. Obijt Mantuæ, quò se contulerat, vt illius vrbis Principi ægroto manus medicas admoueret, ibique sepultus.

IACO-

IACOBVS LAVAGNOLVS, ET AVANTIVS MEDICI. A

AVANTIVM, & Iacobum Lauagnolum nobilissimos suo sæculo Medicos his verbis in Italia illustranda commemorat Blondus Flauius Foroliuiensis vbi de Verona loquitur: Medicos genuit Verona sui sæculi præstantissimos Auantium & Iacobum Lauagnolum, cuius nomen refert & cognomen Iacobus Lauagnolus equestris ordinis vir humanitatis studijs & eloquentia exornatus. ita Blondus. Post hos Hieronymum Fracastorium in Medicorum numero tanquam omnium principem collocassem, nisi id me moueret, quod quãquam medicinæ consultissimus esset, Philosophiæ studiis, & speculatione contentus, omni praxi dum vixit abstinuit. B

IO. BAPTISTA MONTANVS.

INTER nostræ Ciuitatis igitur Medicos omnium confessione primus locus detur Io. Baptistæ Montano, Dei dono mortalibus concesso, qui accuratissime, doctissimeque multa in arte medica edidit, & è Græco Latina fecit. Inter complura autem quæ scripsit, hæc præcipue memorantur.

Metaphrasis summaria eorum quæ ad medicamentorum doctrinam attinent.
Libellus de gradibus, & facultatibus medicamentorum.
Expositio in nonum Librum Rasis ad Almansorem Regem Arabum.
Lectiones in Aphorismos Hippocratis. C
Tabula de causis fluoris alui, & siccitatis.
Tabula de alimentorum differentijs.
Libri duo; alter de fæcibus, vel excrementis alui: Alter de Vrinis.
Quæstio, quomodo medicamentũ æquale vel inęquale dicatur, videlicet calidũ, frigidum, humidum, aut siccum.
Consiliorum medicinalium centuriæ tres.
Obijt paucis annis ante Patauij, vbi publice Medicinam summa cum omnium admiratione profitebatur.

ANTONIVS FVMANELLVS. D

NVLLA ætas ingenijs producendis tum Veronæ tum alibi feracior, quam hęc nostra fuit, qua quum in omni disciplinarum genere, tum in medicina excellentes multi homines viguere, inter quos neque in postremis est Antonius Fumanellus Veronensis Medicus, qui multa in arte quam profitebatur composuit. inter quę hęc circumferuntur.

Omnium febrium dignoscendarum & curandarum absoluta methodus.
Consilium Chirurgicum de caluarię fractura, pectoris atque pulmonis vulnere, ac inflammatione.
Historia & curandi ratio pro vrinę reddendæ difficultate & angustia.
An mineralis aqua vrinæ conueniat difficultati, in quibus omnibus totius artis medicę vniuersalia ad particularium exercitationem deducuntur. E
De Balnei ferrati facultatibus, ferrique natura.
De Balneis aquæ simplicis.
Item de Balneorum aquę ferratæ facultate, & præsertim Calderianę ab auctore recognitus, quibusdam adiunctis.
De compositione medicamentorum generis cuiusque ad morbos diuersos liber.
De Pestis curatione.
Commentarium de vino eiusque facultatibus, deque quarundã quęstionũ dissolutione.

DOMI-


Pag. 15
IOANNES BAPTISTA MONTANVS VERONENSIS PHILOSOPHVS ET MEDICVS LYCEI PATAVINI PROFESSOR MEDICVS.
Ars fuit huic maior quam Coo; par fere acumen;
Nec cedit verbis large Galene tuis.
Tempora post illa hic merito quoque summus habetur,
Spiritus hunc methodi, praxis agitque virum.
Joannes Sambucus.



A

DOMINICVS MONTESAVRVS.

HVIVS præstantissimi medici, quum Veronæ triennio ante de longa & diuturna via fessus grauiter ægrotarem, ope & arte amissam recepi sanitatem. Ipse multa in medica facultate scripsit, multa etiam adornat. Hactenus Aristotelis commentarium de admirandis auditionibus in latinam linguam transtulit. Idem Galeni cõmentarium de comate secundum Hippocratis sententiam ex Græco exemplari, & antiqua versione restituit. Item Libellum Simeonis Sethi.

ALEARDVS PEDEMONTANVS.

B

HIC nobili genere Veronæ ortus septuaginta annis ante in vrbe nostra floruit. Scripsit libellum ad Hermolaum Barbarum Episcopum Veronensem de fontibus, seu balneo Calderij Veronensis agri. Item alium libellum de virtute balneorum Calderianorum, de modo bibendi aquam, de Diæta sumentium balnea, de somno meridiano, de modo succurrendi accidentibus superuenientibus.

ALEXANDER BENEDICTVS.

ALEXANDER Benedictus Medicus Veronensis, scripsit de morbis medicandis a
C capite ad calcem libros XXX.

Aphorismorum librum I.

De Peste, eius causis, & materia auxiliorum librum I.

Anatomiæ libros V.

Diaria de bello Carolino.

ALOYSIVS MVNDELLA.

ALOYSIVS Mundella Veronensis & ipse Physicus præstantissimus, scripsit epistolas medicinales XXIII variarum quæstionum & locorum super Galeni difficilium ex-
D positionem continentes.

Annotationes in examen simplicium ab Antonio Musa Brasauola conscriptum.

In omnes Galeni libros indicem, epitomes instar, egregium & vtilissimum.

FRANCISCVS PEDEMONTANVS.

FRANCISCVS Pedemontanus Veronensis Medicus, scripsit quædam de balneis, vt eius gentilis Aleardus. Item Additiones in Mesuen.

GABRIEL ZERBVS.

E

GABRIEL Zerbus Veronensis & ipse Medicus, scripsit Anatomen corporis humani, Anatomen infantis, Commentaria egregia in Metaphysicam Aristotelis. Cautelas Medicorum. Item Gerontocomium. omnia excusa.

IOANNES BAPTISTA CONFALONERIVS.

IOANNES Baptista Confalonerius Veronensis. Scripsit de vini natura, eiusque alendi, ac medendi facultate. Item de mundi efficientia, & æternitate secundum Philosophos, ad Reginaldum Polum Britannum.

IOAN-

IOANNES ARCVLANVS.

A

IOANNES Arculanus Veronensis Medicus scripsit expositionem IX. libri Rahazæ ad Almansorem paucis exceptis capitulis ab eo morte præueniente non explanatis. Item Commentarium super quartam Auicennæ. Vixit autem annos plus minus centum.

IVRE CONSVLTI.

DVO præter cætera nostro in foro sunt dignissima collegia. Alterum peritissimorum vtriusque iuris consultorum, quod feracis matris redolens bonitatem præeminentissimis virorum ingenijs antiquorum etiam memoria refloruit. Horum iam tum eximiam fœcundæ prolis indolem agnoscens Benedictus XII Pontifex Max. in amplissimam doctrinæ familiam peruenturam, publicam omnium artium Academiam constituit, omnibusque insignibus autorandi consultos Theologiæ ac Philosophiæ magistros, largo pontificiæ benignitatis munere condonauit. Alterum vero scribarum publicorum (quos Notarios vocant) ad dictata & pragmata ad testamenta peritissimè callentium est, in quo nulli datur accessus quáquam Imperiali auctoritate polleat, nisi tanquam aurum igne probatum à tanti Collegij prudentibus & doctissimis examinatoribus summa tum bonarum litterarum, tum tabellionatus, tum morum censura, ad tanti officij munus subeundum idoneus repertus fuerit, & omne tulerit punctum. Ex quo illud efficitur, vt integerrimi & probatissimi ex nobilissimis familijs non quæstus gratia, sed huius honoris ambitione dignissimo cœtu adscribi enixissimè elaborent. ita vt nostra tempestate supra sexcentos omni laude probatos viros in eo conuentu facillimè inuenias. Porrò autem tam iure consultorum quam notariorum multi, quos hic nominare ex instituto non pigebit, doctrinæ suæ posteris varia monumenta reliquerunt, quibus vrbs nostra ornatur, mortales vero ad vitam honeste atque cum virtute transigendam adiuuantur.

B

D

DOMINICVS PANVINVS.

HORVM quod sciam vetustissimus est Dominicus Panuinus abauus meus, qui centum & septuaginta annis antea Veronæ non sine summa doctrinę, & probitatis opinione vixit. Hic quum esset omnium sui temporis iure consultissimus, arbiter in ardua atque difficili caussa cum duobus alijs iurisperitis susceptus est inter Ducem Mediolani tunc Veronę imperium obtinentem, & Principes Carrariensem atque Mantuanum discutienda. in qua ita se egregiè gessit, vt summa cum partium satisfactione eius placita suscepta sint, atque exsecutioni mandata. Scripsit Consilia, quę Torellus Sarayna LL. doctor se vidisse professus est.

D

IOANNES MAIVS PATER, ET MADIVS FILIVS.

HORVM Blondus, vbi Veronam describit, ita mentionem facit. Genuit Verona Ioannem Maium iureconsultum, non incelebrem. Isque filium Madium tulit nobis adolescentibus familiaritate coniunctum, iuri differendo defendendoque addictum, qui legum peritię eloquentiam coniunxerat, ita vt scriberet ornate, pronuntiaret suauiter, & in cunctis sese (quantum nostrę ętatis natura patitur, exigitque consuetudo) bonū ostenderet Oratorē.

E

CHRISTOPHORVS LAFRANCHINVS.

PIentissimus & vtriusque iuris consultissimus suo seculo fuit Christophorus Lafranchinus nobilis Veronensis. Cuius vulgo liber circumfertur, cui titulus est De Pręcellentia Doctoris, & Militis. Hic quum esset amplis opibus honestatus, multa in pios vsus erogauit.

BAR-

A BARTHOLOMÆVS CEPOLLA.

BARTHOLOMÆVS Cepolla Veronensis I. C. patrum memoria Veronæ floruit. qui quum doctissimus sit, multa ab se edita opera publicauit, in quibus sunt.

Cautelæ iuris caussarum Ciuilium lib. I.
De Simulatis contractibus liber I.
De Prædijs Vrbanis liber. I.
De Prædijs rusticorum liber I.
De Re militari liber I.
De I. Cod. & II. de furtis lib. I.
B De Seruit. Vrb. prædio. rusticorum.
Consilia Criminalia de contradictionibus.
Consilia Ciuilia.
De Imperatore militum deligendo.
In Authenticam, sed nouorum & alia quędam.
Item Commentaria in tt. ff. de ædilitio edicto cum Legum & Parag. summarijs.

FRANCISCVS FELICIANVS LACISIVS MATHEMATICVS.

C NVNC cęterarum artium & disciplinarum peritos referam. Atque ante omnes Franciscum Felicianum Lacisium, qui quum esset Matheseos peritissimus, de Arithmetica & Geometria speculatiua, & practica commentarios lingua Italica edidit.

PETRVS PITATVS ASTROLOGVS.

PETRVS Pitatus Veronensis cum quo quamdiu Veronę fui familiarissimè versatus sum, ideoque eius mores & eruditionem perspectas habeo. Qui quum Mathematicarum disciplinarum & præsertim Astrologię peritissimus sit, multa in ea facultate scripsit, quę publicauit, multa adhuc non excusit, multa etiam interim adornat. Vulgauit verò

D Almanach nouum super additis annis V supra vltimas hactenus editas Ioannis Stoefleri ephemerides ab anno 1551. vsque ad 1556. cum Isagoge in astronomia, de electionibus, reuolutionibus, mutatione aeris, horarijs tabulis. Cum supplemento ephemeridum eiusdem.

Eiusdem Almanach nouum ad annos XI. incipiens ab anno Christi 1552. vsque ad annum 1562.

Addita Isagogica in cælestem astronomicam disciplinam.
Tractatus tres perbreues de electionibus, reuolutionibus annorum, & mutationibus aeris.
Nondum publicauit vero opera hæc iam edita.
De Anno & die passionis D.N. Iesu Christi.
E De Calendarii & Anni Iuliani emendatione.

POETÆ ET ORATORES.

EST profecto Veronensibus peculiaris quædam e cœlo indulgentia atque benignitas donata, vt quum alibi terrarum Oratores, & Poetæ, multis laboribus & sæculis fiant, hic sponte & ab incunabulis nascantur. Cuius rei testis sunt, quos supra enumeraui Poetas; Catullus, Macer, Fracastorius, & Gabia, Oratores vero Plinius, Nepos, & quos mox subiciam. Nam superiores facultatibus præstantioribus, in quibus maxime excelluerunt comprehendi, hos vero quamquam & in alijs polluerint artibus, poetice maximè valuerunt; vt

A

AVGVSTINVS BEATIANVS.

HIC carmine Veronam elegantissime descripsit. Cuius digna epigrammata cum Verona ipsa Basileæ ab Oporino excusa sunt in libello variorum poematum.

IOANNES COTTA.

IOANNES Cotta oppido agri Veronensis Liniaco ortus doctissimus Orator & Poeta, elegantissimum epigrammatum libellum scripsit.

Item Orationes aliquot, quæ exstant. B

Chronographiæ quoque opus nobile versibus inchoauit, & in Plinium erudita scholia, quæ perierunt, edidit.

ADAMVS FVMANVS.

VIuit adhuc Veronæ Adamus Fumanus Ecclesiæ nostræ Canonicus vir vtraque lingua disertissimus, quod facile ex Basilij Magni asceticis magnis, & paruis, ab eo in latinum sermonem è Græco versis, intelligi potest. Quum autem poeticæ peritissimus sit, multa edidit elegantissima epigrammata, elegias, & alia id generis carmina suaui modulatione referta. C

HISTORICI.

PAVLVS ÆMILIVS.

VERONENSIVM multi varias etiam scribere historias non sine summa laude sunt aggressi. Inter quos principem locum tenet Paulus Aemilius Veronensis, qui libros VIII de Gestis Francorum diuinè scripsit, quos à prima eius gentis origine vsque ad Franciscum qui proximè regnauit perduxit. Stilus comptus, oratio diserta, diligentia, & dicendi copia ingens. D

TORELLVS SARAYNA.

TAntum Torelli Saraynæ præstantissimi Iurisperiti manibus vrbs nostra debet, quantum Roma Liuij, Venetiæ Bembi & Sabellici, Constantinopolis Zonaræ, & Nicetæ, & cæterę vrbes, ijs qui eas earumque gesta atque primordia à situ, & tenebris, temporumque malignitate vindicarunt. Is enim omnium primus vrbem nostram illustrare aggressus est, & obscurissima quæque explanare. Quod etiam quantum ipsa res passa est duobus libris egregiè præstitit. Quorum primo latino sermone conscripto breuiter originem, & amplitudinem ciuitatis, eiusque ædificia; altero Italica lingua exarato eius gesta ab Othonis primi Imperatoris vsque ad Scaligerorum excidium principatu constitutę acta omnia E singillatim & diligenter collecta, tanquam clarissimo speculo inspici, & intelligi queunt. Obijt vir doctus, & de patria, ciuibusque suis, optime meritus, decennio ante. Cuius hoc in æde S. Firmi monumentum.

TORELLO SARAINAE
IVR. CON.
QVOD VERONAE PA
TRIAE ANTIQVA MO
NVMENTA PERQVISI
VERIT EAQ. AB EDA

CITA-


ONVPHRIVS PANVINIVS VERONENSIS HISTORICI STVDII PRINCEPS.
IN VTRVNQVE PARATVS

A CITATE TEMPORIS
ERIPVERIT SVORVM
QVOQ. CIVIVM GES
TA CONSCRIPSERIT
ET AETERNITATI
CONSACRAVERIT
S.P.Q. VER.
B. M.
CIVICAM DD.

GVLLIELMVS PASTRENGVS.

B GVILLELMI Pastrengi Veronensis liber cognitu, lectuque iucundissimus est, quem accuratissime de originibus rerum vir doctus edidit. In eo enim de scripturis virorum illustrium ordine litterarum, de fundatoribus vrbium, de primis rerum nominibus, de inuentoribus rerum, de primis dignitatibus, deque magnificis institutionibus agitur.

IOANNES DIACONVS.

IMmensi laboris historiam scripsit Ioannes Diaconus Canonicus Ecclesię Veronensis à Iulio Cęsare vsque ad Imp. Henricum VII. Aug. Lucemburgensem, sub quo vixit, Annumque Christi ∞ CCCX. Ex qua multa cognitu non indigna, quę his nostris inserui, commentariis hausi. Exstat adhuc acephala in Bibliotheca doctissimi & sanctissimi viri Hieronymi Taliaferri ciuis nobiliss. Parmę. Quam ipse Ticini se comparasse mihi retulit, populatione Papiensi è Ducali Vicecomitum bibliotheca erutam. Quo eam ex Verona Io. Galeacius I. Dux Insubrum transferre curauerat, quum bibliothecam illam conderet. C

ONVPHRIVS PANVINIVS.

NOn incongruum esse visum est, me ipsum inter historię professores nouissimum Veronensium hominum collocare. Quippe qui huic studio adhuc puer, neque ętatis duodecimum excedens annum impensissimè vacare cęperim, eo ipso tempore quo S. Augustinianorum instituti vestes Veronę assumpsi, à quo ad annum Christi ∞ DLIX, qui est ętatis meę XXX, hęc ferè conscripsi. D

Augustiniani Ordinis Chronicon per annorum seriem digestum a S. Patre nostro Augustino ad annum ∞ DL & Creationem Iulii Papę III. Liber excusus est Romę apud Antonium Bladum.

Romanorum Pontificum, & Cardinalium S. R. E. ab eisdem à Leone Papa IX ad Paullum Papam IIII per quingentos posteriores à Christi natali annos creatorum, Chronicon impressum Venetijs apud Michaelem Tramezinum.

E Fastorum Magistratuum libri V. à Romulo Rege vsque ad Imperatorem Cęsarem Ferdidandum Augustum excusi Venetijs apud V. Valgrisium.

Fastorũ appendix, in qua sex Fastorũ cõsulariũ auctores emẽdatius & correctius excusi sũt.

De Ludis sæcularibus, Sibyllis, & carminibus Sibyllinis lib. I.

De antiquis Romanorum nominibus, & familijs lib. I. excus. Venet, vt supra.

Reip. Romanę idest vrbis, ciuitatis, & imperij commentariorum lib. III.

Eorum quorum maxima in Italia imperia fuere à Cęsare dictatore vsque ad pręsens tempus. Excus Basileę apud Oporinum, lib. III.

De Comitiis Imperij lib. I. excusus. Basileę, vt supra.

De antiquis Christianorum in vrbe Basilicis, ædibus, & templis Lib.

Libri nondum excusi.

Antiquitatum Veronensium Libri VII. A
De Ludis antiquorum Theatralibus, Circensibus, & munere gladiatorio lib. III.
Antiquarum totius terrarum orbis inscriptionum lib. I.
Chronicon vniuersale ab Orbe condito ad annum ∞ DLX.
De dignitate Sedis Apostolicę libri III.
De Origine sacrorum ordinum libri II.
De Origine Cardinalium lib. I.
De Varia creatione Romani Pontificis lib. I.
De Antiquis institutis S. R. E. lib. I.
De antiquis officijs, & Magistratibus S. R. E. lib. I.
Chronicon Ecclesiasticum. B
Bibliothecę libri VI.
Alia pręterea multa in dies adorno, quorum seriem, quum perfecta fuerint, indicabo.

ORATORES LITERATI.

POsteriore loco tanquam sub vna classe reliquos in variis disciplinis excellentes, vt Oratores, Rhetores, Grammaticos, Gręcę, Latinęque linguę peritos & reliquos id genus qui Veronę decus attulerunt, suggeram, quorum omnium principem primo loco afferam Guarinum Veronensem.

C

GVARINVS VERONENSIS.

HIC est, qui eloquentiam in auorum memoriam deperditam longo postliminio primus reduxit. Cuius ętate quum bonę litterę ob triuialium Grammatistarum inexplicabiles ambages in tenebrosis angulis delitescerent, primus ipse, more Platonico, multos annos peragrata Gręcia exhaustisque ad satietatem verę doctrinę ab pręstantissimis Philosophis atque doctoribus erudimentis, demumque in patriam restitutus, eas in apertam lucem tum scribendo, tum docendo laboriosissimè reuocare cępit, cuius dubium est, an boni mores, vitęque sanctitas, an optimarum artium cognitio plus nobis pręstiterit. Ipse etiam adolescens quum Chrysolorę Byzantini auditor fuisset, Gręcas litteras primus Italicorum D post Imperij Romani casum in Italia suscepit. Scripsit vero complura & egregia, in quibus pręcipua.

Ad Leonellum Principem de differentia assentatoris, & amici lib. I.
Grammaticę breuis introductio lib. I.
Comparatio Scipionis & Gaij lib. I.
Epistolarum ad diuersos lib. I.
Orationum complurium lib. I.
Carminum multorum liber.

Transtulitque è Gręco in latinum ex Plutarcho vitas Coriolani, Fabij Maximi, M. Marcelli, Philopemenis, Flaminii, Lysandri, Syllę, Marii Eumenis, Nicię, Crassi, Alexandri E Magni, Dionis, M. Bruti, Homeri, item Euagorę ex Isocrate. Item Plutarchi libros de educandis liberis, & de comparatione historiarum Gręcarum, & Romanarum, qui dicitur parallela.

Transtulit etiam Geographię Strabonis libros XVII.
Carmina edidit de Polysemis, & vocabulorum differentiis.
Et Commentarios in Orationem Ciceronis pro Sex. Roscio Amerino.
Item Libellum de dictionibus quę cum diphthongo scribuntur.
Floruit in Italia circa annum Domini ∞ CD.

RAT-

A

RAYNALDVS GRAMMATICVS.

BLondus in Italia illustrata, vbi de Vrbe nostra loquitur; Genuit (inquit) Verona Raynaldum insignem sicut Francisco Petrarchę placet, Grammaticum &c. Cuius ipse Petrarcha in Epistolis suis mentionem facit. Neque de eo quicquam prȩterea inueni.

IOANNES SALERNVS.

IDem Blondus paulopost ipso loco. Ioannes etiam Salernus (inquit) Veronensis ad equestris dignitatis insignia, doctrinam & facundiam socias addidit.

B

BAPTISTA GVARINVS.

BAPTISTA Guarinus Veronensis Guarini doctissimi viri filius patrem imitatus, quum eruditissimus esset, multa scripsit, in quibus numerantur hęc.

Opus Dialogorum perpulchrum de secta Epicurea lib. I.
De Ordine docendi lib. I
De Regno administrando lib. I.
In Epistolas Ciceronis Commentariorum lib. I.
In Fastos Ouidij lib. I.
C In Pharsalicos Lucani lib. I.
In Catullum Poetam lib. I.
Epistolarum ad diuersos lib. I.
Orationum plurimarum lib. I.
Carminum varij generis liber.
In latinum vertit ex Xenophonte Agesilai laudationem.
Orationes aliquot Demosthenis, Dionis, & Gregorij Nazianzeni.

Liber eius circunfertur demodo, & ordine dicendi ac disserendi. Claruit in Italia anno Domini. ∞ CDL.

DOMITIVS CALDERINVS.

D

IVuenilibus interceptus annis Domitius Calderinus Veronensis, immatura morte ob commune omnium litteratorum dispendium, non modo à patria, sed ab vniuersa Italia deploratus, qui emergentes à teterrima colluuione litteras ad lucidissimum splendorem ad manum antiquitatis deduxit; abstrusa poetarum, & oratorum loca, ea ingenij acuitate enucleando inuestigauit, vt Satyricon Arpinatem Iuuenalem à doctissimis haud ita intellectũ, multaque ignoratione à vero lectionis sensu deuium, atque distractum, ad priscum intelligentię nitorem elegantibus commentarijs restituit. Martialem ab hominum memoria iam abolitum, Statium Papinium lethea carie sepultum scrupulis enodatis, pueris etiam legendos mira cum facilitate commentarijs illustratos, reddidit. Idem in Tranquillum, Nasonis Ibim,
E epistolas Ciceronis fecit. Scripsit prȩterea aduersus Protheum Grammaticum librum.

Epistolarum librum I. Orationes varias. Pausanię historici Attica & Corinthiaca latina fecit. Aliquot libros annotationum siue obseruationum conscripsit in varios auctores. Profuturus postremo non modo in Pliniana lectione, verum in omni oratoria facultate, nisi illum nobis intempestiua mors inuidisset. Cuius ingenii supra iuueniles annos perspicacitatem atque doctrinam admiratus Xystus IIII Pontifex Maximus, ei grande annuę mercedis stipendium ex fisco pro publica lectione constituit. Quò legente reliqua Romanorum doctorum Academia stupefacta, & ab eius vnius ore dependens obmutescebat. Obiit autem Romę sub Xysti IIII Pontificatu.

IOAN-

IOANNES ANTONIVS PANTHEVS.

ERuditus admodum & eloquens Ioannes Antonius Pantheus Veronensis, Calderini cōdiscipulus fuit. Ambo enim Grecis Latinisque litteris sub communi preceptore Antonio Broraniceno operam impensè nauarunt. Pantheus verò vigorem multum & cum ingenuitate perspicacitatem quandam redolebat. Scripsit Annotationes ex trium dierum confabulationibus ad Andream Bandam I. C. De Thermis Calderianis, quę sunt in agro Veronensi. De Pliniorum patria. De alijs Balneis, & mero aliarum aquarum vsu, & pleraque alia, quę ijsdem annotationibus eleganter aceurateque conscriptis inclusa sunt.

B

ANTONIVS BECARIA.

ANTONIVS Becaria Veronensis Latinę Gręcęque linguę peritus Dionysij Afri poema Gręcum de situ Orbis Latinum fecit, oratione prosa.
Idem ex Plutarcho Pelopidę vitam transtulit.

BENEDICTVS MORANDVS.

BENEDICTVS Morandus Veronensis Laurentium Vallam lacessere ausus, duas contra ipsum inuectiuas scripsit. Quarum confutationes à Valla scriptas habemus. C

BERNARDINVS CYLLÆNIVS.

BERNARDINVS Cyllenius Veronensis scripsit commentarios in Tibullum Romę excusos anno Domini ∞ CDLXXV.

ANTONIVS PARTHENIVS LACISIVS.

ANTONIVS Parthenius Lacisius Veronensis commentaria scripsit in Catullum etiam Veronensem satis docta, & erudito scriptore non indigna.

D

FRANCISCVS PHILIPPVS PEDEMONTIVS.

FRANCISCVS Philippus Pedemontius Veronensis scripsit commentaria in artem poeticam Horatij, quę excusa sunt in Italia.

HIERONYMVS AVANCIVS.

HIERONYMVS Auancius Veronensis, Poetas quosdam illustrauit. in his Catullum, Tibullum, & Propertium, qui ex eius restitutione Venetijs excusi sunt.

HIERONYMVS LEVRSIVS.

HIERONYMVS Leursius Veronensis Magontini commentaria in Arist. librum de interpretatione ex Ammonio breuiter decerpta in latinum sermonem vertit. E

HILARIO MONACHVS.

HILARIO Monachus Veronensis scripsit Paraphrasim Rhetoricæ Hermogenis.

IO. BAPTISTA BAGOLINVS.

IOANNES Baptista Bagolinus Hieronymi filius Veronensis, Græcæ, Latinæque linguæ consultissimus, Philosophiæ quoque benè peritus, cum patre Hieronymo transtulit è Græco in latinum Alexandri Aphrodisei quæstiones naturales, morales, & librum de fato.

Idem

A Idem Aristotelis & Auerrois opera emendauit magna ex parte, & in ordinem redegit, quod opus antequam absolutum esset, ipse extremum spiritum exhalauit. Ea Iunctę excuderunt Venetijs.

F. IO. IOCVNDVS.

FIOANNES Iocundus Veronensis Ordinis Prædicatorum, vir disertissimus & doctissimus, atque Magnifici Laurentij Medici Florentinæ Reip. Principis amicitia clarus, multa edidit ingenij sui monumenta, quorum præcipuum est duorum millium & amplius veterum inscriptionum in vnum corpus collectio, quæ Venetijs apud Stephanum Magnũ patriciæ gentis hominem exstat.

B Edidit etiam annotationes vt indicem in Cæsaris commentarios.

MATTHEVS BOVIVS.

MATTHAEVS Bouius Veronensis, vir vt humanissimus, ita vtriusque linguæ peritissimus, publice nunc Veronæ Græcam, Latinamque linguam summa cum omniũ laude & admiratione profitetur. Philosophiam autem quum optimè etiam calleat, Ioannis Alexandri Philoponi in libros III. Aristotelis de anima breues annotationes ex disceptationibus Ammonij Hermęi cum quibusdam proprijs meditationibus latinas fecit.

C

PAVLVS LACISIVS.

PAVLLVS Lacisius Veronensis transtulit Ioannis Tzezis variarum historiarum Chiliadas versibus politis gręcè conscriptas, quas excudit cum versione è regione Oporinus Basileæ.

PETRVS FRANCISCVS ZINVS CANONICVS.

PETRVS Franciscus Zinus Veronensis quum Gręcam Latinamque linguam optimè calleat, Gregorij Nazianzeni Orationem de amandis & amplectendis pauperibus, &

D D. Gregorij Nyssæni Episcopi eiusdẽ argumenti Orationes duas è Gręco in Latinũ transtulit.

VINCENTIVS ROSETVS.

VINCENTIVS Rosetus Veronensis transtulit Stephani Vannei Recanatensis Eremitæ Augustiniani auream musicam ex Italico sermone in Latinum.

ISOTA NOGAROLA.

NEC mulieres Veronę defuerunt doctrinę, eruditionisque nomine excellentes, quales

E fuere Isota, Genebria, Angelaque Nogarola Veronenses litterarum latinarum bene peritę: quod portento simile videri potest. Quarum Isota virgo admirabili eruditione pollebat. Cuius tam in humanioribus litteris, quam in Philosophia tanta peritia erat, vt & doctissimè, & elegantissimè epistolas multas scripserit. res dictu mira, vt tantus in virgine spiritus & tanta dicendi copia cum doctrina coniuncta esset. Hęc doctissima virgo pręter elegantissimas latino sermone epistolas Pio II. Pontifici Maximo scriptas, cui Pontifex responsionem dignatus eius ingenium maximopere admiratus est, composuit Dialogum etiam, in quo disputat qui prius, aut magis, Adam, an Eua peccarit.

Veronam igitur in omnium liberalium artium studijs, vtraque Philosophia, cælesti Theologia, Pontificio Cæsareoque iure, Medicina, & reliquis scientijs & disciplinis multo nomine

ne

ne præditos viros edidiſſe ingeniorum fœcundiſſimam, ſatis ex his quos enumeraui manifeſtum eſſe poſſe exiſtimo. Quæ nec minoris pretij viros tum bellica laude illuſtres tum varijs in artibus celebres protulit, vt Cantores, Pictores, Architectos, & reliquos id genus homines, de quibus tertia claſſe poſtquam viros bello inſignes concinnauero, diſſeram. A

VERONENSES BELLICA LAVDE ILLVSTRES.

C. GAVIVS STRABO MAXIMVS.

RES militaris præclaros nobis oſtendet viros, qui Veronæ laudes accumulant. Atque vt à vetuſtiſſimis incipiam, ijs enumerandis C. Gauius Maximus initium dabit. Qui B Veronæ ortus Romæ ſub Antonino Pio ſummos militares honores percucurrit. Nam & Cōſul ordinarius cum Lolliano Auito anno Chriſti CXLV fuit, & ad XX annum prætorij præfecturam integrè prudenterque adminiſtrauit. De quo in Pio ita meminit Capitolinus: *Gauius Maximus Præfectus Prætorij vſque ad XX annum ſub Antonio Pio peruenit vir ſeueriſſimus, cui Tatius Maximus ſucceſſit.* Et in vetuſto epigrammate.

C. GAVIVS. F. STRABO
MAXIMVS. COS

ILDOVALDVS GOTHORVM IN ITALIA REX.

C

BEllo Gothico Italico, quod decem & octo annis Iuſtinianus Imperator cum Gothis geſſit, quum à Beliſario rei militaris in Italia Duce Gothorum Rex Vitiges captus, atque Conſtantinopolim adductus fuiſſet, Gothi Veronæ congregati, Ildoualdum Veronenſem ex ſuorum proceribus virum egregium regno præfecerunt. Cuius vita quum res Gothica reſtaurari poſſe crederetur, altero imperij menſe ipſe obiit, atque Araricum Rogum regni ſucceſſorem habuit. Ex Procopio libro III.

RICIARDVS COMES S. BONIFACII.

FRIDERICO Ahenobarbo Romanis imperante circa annum Chriſti ∞ CLXX. in D omnem terram Italiam diræ & ſæuæ Guelforum & Ghibellinorum factiones peruagari cæperunt. nam in diſſenſione & bellis, quæ inter Imperatorem Fridericum & Alexandrum III. Pontificem Max. exorta ſunt, quum tota Italia ſciſſa eſſet, qui Imperatoris partibus ſtudebant Ghibellini, qui Pontificis verò Guelfi appellabantur. Cæterarum omnium ciuitatum morem & Veronenſes ſequuti ſunt. Nam in duas partes diuiſa vrbs, duas nobiliſſimas familias factionum capita conſtituit. Guelphorum fuerunt Comites S. Bonifacij, Ghibellinorum vero Monticuli. Cæterum inter reliquos, quos plures tulit S. Bonifacij gens bello illuſtres viros, Guelphæ factionis notiſſimus Dux & tota Italia celebratus fuit Ricciardus Comes S. Bonifacij, qui ſub Friderico II Ahenobarbi nepote in Italia floruit. Hic quum rei militaris peritiſſimus eſſet, labentes Guelphorum pontificias partes ſæpiſſime tutatus eſt. E Fridericum Parmam obſidentem memorabili clade ab obſidione ſubmouit, ingentis Ghibellinis calamitates & damna intulit, obijt ſenex Brixiæ, omnibus Italicis deploratus, de quo plura dicimus in hiſtorijs Veronenſibus, quas iam nunc etiam inſtruemus.

CANIS GRANDIS SCALIGER.

ET belli & pacis artibus ſuo ſæculo clariſſimus fuit Canis Franciſcus Scaliger, à geſtarum rerum magnitudine pro Franciſco, Grandis appellatus. Hic præterquam quod Dantis & Franciſci Petrarchæ amicitia inſignis fuit, eoſque exules extulit, vniceque amauit,





Scaligerorum Sepul



A uit, bellica gloria ita valuit, vt quum principatum vnius tantum nostræ vrbis adeptus esset, ipse vndeuiginti, quibus in Imperio fuit annis, Vicetiam, Patauium, Brixiam, Taruisium, Feltrum, Ciuitalem Belluni, Carniam omnem, & Forum Iulij suo imperio adiunxerit, Gonzagamque familiam, Passerinis antiquis Mantuę Tyrannis eiectis, eidem vrbi imposuerit. Vnde meritò Magni eo tempore cognomen inuenit. Fuit præterea liberalis, doctus, munificus, litteratorum cultor, atque admirator, ingenij perspicacissimi, & ea omnia habuit quę in vero Principe requiri solent. Obiit Taruisij quadragenario quinto post eam vrbem captam die, assiduo & continuo militię labore confectus. Cadauer Veronam relatum supra portam ædis S. Mariæ antiquæ sepultum est, atque epigramma hoc sepulchro additum.

B SI. CANIS. HIC. GRANDIS. INGENTIA. FACTA. PEREGIT
MARCHIA. TESTIS. ADEST. QVAM. SAEVO. MARTE. SVBEGIT
SCALIGERAM. QVI. LAVDE. DOMVM. SVPER. ASTRA. TVLISSET
MAIORES. IN. LVCE. MORAS. SI. PARCA. DEDISSET
HVNC. IVLI. GEMINATA. DIES. VNDENA. PEREMIT
IAM. LAPSIS. SEPTEM. QVATER. ANNIS. MILLE. TRECENTIS

MASTINVS SCALIGER.

C CANIS Grandis fratris filius fuit Mastinus Scaliger Veronensium & ipse Princeps, animo & rei militaris prudentia patruo non absimilis, qui quum eius heres suscepisset imperium, auitę ditioni Parmam, Regium, Lucam, & pleraque alia oppida adiunxit. Erat ipse Princeps manu strenuus, liberalis, laboris patientissimus, & militię acerrimus judex, fuit Veronensi in Imperio annis plus minus XXII. obiit Veronę sepultus in auitis monumentis, cui tumulo additum hoc elogium.

SCALIGERA. DE. GENTE. FVI. CELEBRIQVE. FEREBAR
NOMINE. MASTINVS. CLARAS. DOMINABAR. IN. VRBES
ME. DOMINVM. VERONA. SVVM. ME. BRIXIA. VIDIT
PARMAQVE. CVM. LVCA. CVM. FELTRO. MARCHIA. TOTA
IVRA. DABAM. POPVLIS. AEQVO. LIBRAMINE. NOSTRIS
D OMNIBVS. ET. FIDEI. GHRISTI. SINE. SORDE. SEQVVTOR
OCCVBVI. PRIMO. POST. ANNOS. MILLE. TRECENTOS
ET. DECIES. QVINOS. LVX. IBAT. TERTIA. IVNII

CANSIGNORIVS SCALIGER.

VERONAE & hic Princeps magnanimus, fortis & potens fuit Alberti Mastini fratris filius. Qui fratre maiore Principe Cane Grandi Iuniore occiso, Veronę imperium inuasit, quod pluribus annis non sine laude bellica obtinuit. Obijt postremus, & marmoreo tumulo propè auita monumenta conditus est, habetque hanc inscriptionem.

E SCALIGER. HAC. NITIDA. CVBO. CANSIGNORIVS. ARCA
VRBIBVS. OPTATVS. LATIIS. SINE. FINE. MONARCHA
ILLE. EGO. SVM. GEMINAE. QVI. GENTIS. SCEPTRA. TENEBAM
IVSTITIAQVE. MEOS. MIXTA. PIETATE. REGEBAM
INCLITA. CVI. VIRTVS. CVI. PAX. TRANQVILLA. FIDESQVE
INCONCVSSA. DABVNT. FAMAM. PER. SAECLA. DIESQVE
∞ CCCLXXV. OCTOBRIS. XIX. OBIIT. MAGNIFICVS. CANSIGNORIVS.

A

PETRVS VERMES.

HIc Mastini Veronensium Principis exercitus imperator creatus multa egregia facinora edidit anno Domini ∞ CCCXXXIIX.

LVCHINVS VERMES.

LVCHINVS Vermes summo & nobilissimo loco Veronę Ortus, vir bello insignis Venetorum exercitus imperator Cretam Insulam Venetis rebellem, perduellibus cęsis & omnibus pacatis sua virtute recepit. Quare ab iis in Senatum adscitus, atque in patricios Venetos lectus. Postea in Turcas Christi Dei nostri hostes fortiter dimicans, gloriosissime & magnis additis de ijs stragibus occubuit anno ∞ CCCLIII. Cadauer Veronam relatum in sepulchro à se extructo in Basilica D. Euphemię sepultum est. cum insigni elogio. B

IACOBVS VERMES.

LVchini filius Iacobus Vermes patri haudquaquam absimilis, rem primi Ducis Insubrum Ioannis Galeatii Vicecomitis ab imminentibus periculis fortitudine & consilio sępe tutatus est. Qui Armeniaci Comitem, & Ioannem Banchut Anglicum aduersus Mediolanenses maximo cum exercitu venientes proelio apud Alexandriam commisso profligauit, & facta ingenti strage Armeniacum captiuum cœpit. Quare a Ioanne Galeatio Duce amplissimis muneribus, item Bobio, Vogeria, & aliquot pręterea castellis donatus ad amplissimos honores euectus est. Huius adhuc posteri vigent in Mediolanensi Principatu, ijsdem in oppidis dominantes. C

LVDOVICVS VERMES.

MIlitię Philippi Marię Vicecomitis tertii Insubrum Ducis Princeps fuit Ludouicus Vermes, cuius multa in Corij Historiis mentio est.

D

GEORGIVS CABALLVS.

BEllo Cretico cum Luchino Verme Georgius Caballus Veronensis eques pręstantissimus militariumque ordinum ductor, nauatę tum in Creta, tum alibi fortiter operę id retulit decus, vt cum Luchino in amplissimum ordinem cooptatus sit. Huius etiam auspicijs Feltrium, & Bellunum, Pola, & Istria Venetis rebelles in deditionem receptę sunt. Obijt Venetiis sepultus in Basilica SS. Ioannis & Pauli. Huius posteri adhuc Venetiis maxima in dignatione supersunt. Quorum pręcipuum nunc decus est Marinus Caballus Senator integerrimus, atque hoc ipso anno Pretor Constantinopolim missus.

E

BARTHOLOMÆVS S. SEBASTIANVS.

VENETI exercitus Tribunus militum strenue nauatę in bello operę id pretium à Venetis tulit, vt Lacus Benaci Capitaneus creatus sit, eaque dignitas in posterum familię donata.

GENS POMPEIA VERONENSIS

Vide F. Leandrum.

PAV-

A

PAVLVS LVCIASCVS.

CLaudat tot illustrium virorum seriem Paulus Luciascus; vir ut fortissimus, ita callidissimus. Cuius præcipue opera Cæsar Carolus V. bello usus est.

VINCENTIVS RVFVS MVSICVS.

VINCENTIVS Rufus Veronæ honesto loco natus, musicæ artis scientissimus præcipua concinnitate cantus & modos fecit, quos motteta vocant, cuius musica quum

B suauis tum harmonica est. Choro nostræ ecclesiæ Magister aliquandiu præfuit. Docet nunc Mediolani eodem in honore habitus, non sine summa omnium voluptate & admiratione.

MICHAEL DE S. MICHAELE ARCHITECTVS.

QValis Architectus sit quamque præstantissimus Michael Veronensis, docent eius ingenio artificiosissimæ moles Veronę fabricatæ, ut propugnacula duo, portæ immensi operis, & laboris.

L. TVRPILIVS EQ. ROMANVS.

C

PIctores etiam egregios tam nostro, quam vetustissimo illo Romanorum sæculo urbs nostra tulit. Quorum præcipuus fuit L. Turpilius eques Romanus, de quo Plinius libro XXXV. Cap. IIII. sic mentionem facit. Clariorem artem Romæ fecit gloria senæ. Postea non est spectata honestis manibus, nisi forte quis Turpilium equitem Romanum è Venetia nostrę ætatis belle referat, hodieque pulcherrimis eius operibus Veronæ exstantibus. Læua is manu pinxit, quod de nullo antea memoratur: Paruis gloriabatur tabellis, extinctus nuper in longa senecta.

ALTICHERIVS PICTOR.

D

BLondus ubi de Verona loquitur ita ait. Pictoriæ artis peritum Verona superiori sæculo habuit Alticherium.

PISANVS PICTOR.

SVbijcit ibidem. Sed unus Veronæ superest, qui fama cæteros nostri sæculi faciliter antecessit Pisanus nomine, de quo Guarini carmen extat, qui Guarini Pisanus inscribitur.

STEPHANVS PICTOR.

E STEPHANVS de Gebeto agri Veronensis pictor superiori sæculo excellentissimus vixit. Cuius ea præcipua & omnibus admiranda laus fuit in pictura, ut colores ita disponeret, quod natiui & naturales videntur. Huius quamplurima extant Veronæ opera tum in nostra Basilica tum alibi; quibus eius diligentia & excellentia, facile ab artis peritis intelligi possunt.

EPISCOPI VERONENSES.

Solacius	Viuebat anno salutis	DLX.
Ioannes Iunior	Viuebat anno salutis	DXC.
Paternus Longobardus	Viuebat anno salutis	DCCXX.

Hanno Veronensis	Viuebat anno	DCCLX.	A
Aldo	Viuebat anno	DCCXC.	
Rotoldus	Viuebat annis sal.	DCCCX. & DCCCXL.	
Landericus	Viuebat anno	DCCCVLVIII.	
Notkerius	Viuebat anno	DCCCL....	
Bilongus	Viuebat anno	DCCCLX....	
Adelardus	Viuebat anno	DCCCXCV. & CMIIII.	
Adelbertus	Viuebat anno	CMXX.	
Notkerius II.	Viuebat anno CMXXVI. obijt anno CMXXIIX.		
Hilduinus Gallus	Creatus anno	CMXXVIII.	
Racherius Monachus Gallus.	Creatus anno CMXXIX. obijt anno CMLXXIII.		B
Manasses Gallus Archiepiscopus Arelatensis Creatus anno CMXXXIII. in schismate Racherius restitutus anno CMXL.			
Othbertus	Creatus anno CMLXXV. Viuebat anno CMVC.		
Adelberius	Viuebat anno	M.	
Milo sub Benedicto PP. VIII.	Viuebat anno	MX.	
Vdeprandus	Viuebat anno	MXIIII.	
Ioannes III.	Viuebat annis MXXVII. & MXXXI.		
Vultherius Germanus	Viuebat annis MXXXVIII. obijt MLV.		
Diethboldus Germanus	Creatus anno MLV. ab Henrico Imp. II.		
Aldegerius	Viuebat anno	MLX.	C
Bruno Germanus	Creatus anno	MLXXIII.	
Sigimboldus	Creatus anno MXXCIIII. obijt MXCIX.		
Vulstregus	Viuebat anno	MC.	
Zufectus	Viuebat anno	MCX.	
Brimo	Viuebat anno	MCXXXV.	
Bernardus Veronensis	Obijt anno	MCXXXV.	
Theobaldus ex archipresbytero	Creatus an. MCXXXV. obijt anno MCLVII.		
Omnibonus Veronensis	Creatus an. MCLVII. obijt an. MCXXCV.		
Riprandus ex archipresbytero	Creatus an. MCXXCVI. obijt an. MCXXCIX.		
Adelardus Veronens. Cardinalis	Creatus an. MCXXCIX. obijt an. MCCIIII.		D
Abudonus	Creatus an. MCCIII. obijt an. MCCXIIII.		
Norandinus	Creatus an. MCCXIIII. Viuebat an. MCCXX.		
Adelardus III.	Viuebat anno	MCCXXIIII.	
Iacobus	Viuebat anno	MCCXXVI.	
Manfredus Scaliger Veronens.	Viuebat anno	MCCXXXVI.	
Cossadocca	electus dicitur anno	MCCLIII.	
Manfredus II. Robertus Regien. electus an. MCCLXII. obijt an. MCCLXVII.			
Guido Scaliger Veronens. ex Archipresbytero Congregationis. Viuebat an. MCCLX....			
F. Timideus Ord. Minorum electus an. MCCLXXV. obijt an. MCCLXXIIX.			
F. Bartholomæus Monachus electus an. MCCLXXIIX. Viuebat an. MCCXXCVII.			E
F. Petrus Monachus	Viuebat an. MCCXXC....		
Bonincontrus Veronens. ex Archipresbytero. obijt an. MCCXCVIII.			
Fr. Theobaldus II. Veronens. Augustinianus Abbas S. Firmi maioris electus an. MCCXCVIII. obijt an. MCCCXXXI.			
Fr. Nicolaus Monachus Abbas Villæ nouæ Mediolanensis electus an. MCCCXXXI. obijt MCCCXXVI.			
Fr. Bartholomæus II. Scaliger Veronensis Abbas. S. Zenonis electus an. MCCCXXXVII. occisus anno MCCCXXXIIX.			
Fr. Petrus II. Ordinis Humiliatorum Præpositus Sanctę Marię ad Glaream, electus anno			

A MCCCXXXIIX. non inijt.
Theobaldus III. electus an. MCCCXXXIIX. obijt an. MCCCII.
Matthęus Viuebat Auenione an. MCCCXLIIII.
Fr. Ioannes Comensis Ordinis Prędicatorum Viuebat an. MCCCXLV....
Petrus III Scaliger Ordinis Prędicatorum Viuebat an. MCCCLI. obijt an. MCCCLXXVIII.
Aleardus Veronensis Viuebat anno MCCCXXC....
Iacobus II. Rubeus Parmēsis Viuebat an. MCCCXXCIX. & MCDVI obijt MCDXXXVI.
N. . . . . incognitus Viuebat anno MCD....
Angelus Barbadicus Venetus Cardinalis creatus an. MCDV....
Guido Memmius Venetus Creatus an. MC DXIII. ex bulla Io. PP. XXII.
B Franciscus Condelmerius Venetus Cardinalis creatus an. MCDXXXIX.
Hermolaus Barbarus Venetus creatus anno MCDL III.
Ioannes V. Michael Venetus Cardinalis creatus an. MCDLXXI.
Marcus Cornelius Venetus Cardinalis creatus an. MDIII.
Io. Matthæus Ghibertus Genuensis creatus anno. MDXXIIII.
Petrus IIII. Lipomanus Venetus creatus anno MDXLIII.
Aloysius Lipomanus Venetus creatus anno MDXLVIII.
Augustinus Lipomanus Venetus creatus anno MDLVIII.

C

Finis Liber Sextus.

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS A
FR. EREMITÆ AVGVSTINIANI
ANTIQVITATVM VERONENSIVM COMMENTARIORVM LIBER VII.
CHRONICON RERVM VERONENSIVM.
IMP. CÆS. OTHO MAGNVS AVGVSTVS. B


NNO Salutis C ∞ LXII. ineunte VIII. Kal. Ianuarij, die natalis Domini Romæ in Basilica S. Petri in Vaticano Otho Magnus Henrici Regis filius Germaniæ Rex à Ioanne XII. Pontifice Maximo ex Cleri S. P. Q. R. consensu Imperator Cæsar Augustus appellatus est, inunctusque & diademate imperiali insignitus imperauit deinceps annos XI. menses quatuor dies XV.

963 2 Per hęc tempora vir doctissimus Racherius Veronæ episcopatum gerebat.

964 3 Hoc anno Berengarius iunior Italiæ Rex prælio ab Imp. Cæsare Othone magno Augusto victus captus est, & in Germaniam relegatus. Quo capto, Adelbertus filius tyrannidem adhuc in aliquibus terræ Italiæ locis obtinuit. C

966 5 Hoc anno Berengarius quondam Rex Italiæ exul Bambergę in Germania obijt ibique regio funere sepultus.

968 7 Hoc anno ineunte VIII. Kal. Ianuarij die natalis Domini in Basilica S. Petri in Vaticano Otho iunior cognomento Rubeus, sanguinarius, pallida mors Sarracenorum, qui patre procurante Rex Germaniæ, siue Francorum Orientalium creatus fuerat ex eiusdem Othonis magni Imp. auctoritate, Augustus à Ioanne Papa XIII. appellatus & consecratus imperauit cum patre Imperatore annos V. menses IV. dies XV.

969 8 Adelbertus Berengarij filius, qui se Regem Italiæ vocitabat, prælio ab Imperatore Othone magno Augusto victus, regno Italiæ exactus est, & Constantinopolim relegatus, vbi haud multo post vitam finiuit. D

970 9 Per hæc tempora Berengario & Adelberto tyrannis Italiæ imperio deiectis, quum Lombardia omnis in libertatem vindicata esset, ex Othonis Imp. auctoritate Veronenses eam reip. gerendæ rationem excogitarunt erexeruntque, quam ego paulo ante exposui.

973 12 Hoc anno nonis Maij Magdeburgi in Saxonia mortuus est Imp. Otho IMP. CAES. OTHO IVNIOR AVGVSTVS RVBEVS SANGVINARIVS PALLIDA MORS SARRACENORVM. Imperauit post patris Othonis mortem annos X. menses VII. diesq; II.

975 3 Hoc anno in Bacherij Episcopatu tertio exacti locum suffectus est Othbertus vt ex Sigeberti chronicis, & antiquo instrumento intelligitur, admirabili per illa tempora virtute ac sapientia vir. Hic Veronensis ecclesiæ res, magna cum sanctimoniæ laude quam diu vixit administrauit. Huius Episcopi mentionem fieri inueni in vetusto quodam documento permutationis nescio cuius cum ecclesia D. Petri in arce anno Domini C ∞ XC. Pontificatus vero sui XVI. ita vt eum Episcopum Veronæ designatum fuisse liquidè anno C ∞ LXXV constet. Eius etiam mentio est in libro priuilegiorum monasterio diui Zenonis ab Imperatoribus concessorum. E

983 11 Hoc anno Imp. Romam ex Germania proficiscens Veronam venit. Hoc anno VI. Idus Decembris Romæ obijt Imp. Cæs. Otho iunior Augustus, cadauer sepultum in atrio ante Basilicam S. Petri in Vaticano.

IMP. CAESAR. OTHO. III. AVGVSTVS. MIRABILIA. MVNDI OTHONIS. AVG. F. regnauit & imperauit post patris obitum annos XVII. Mensem I. dies XXI.

996 13 Hoc anno V. Idus Iunij die sancto Pentecostes Romæ in Basilica S. Petri in Vaticano Otho III. Augustus appellatus est, atque à Gregorio V. Pontifice Maximo diademate imperiali ornatus.

1000 17 Adalberius post Othbertum Veronensem ecclesiam rexit, purissimi animi atque ab omni ambitione rerumque humanarum cupiditate alienissimi. Viri cuius mentionem extare vidi in tabulis priuilegiorum monasterij Sancti Zenonis.

1001 1 Hoc anno V. Kal. Februarij obiit Imp. Otho III. Augustus. In eius locum factus est IMP. CAESAR HENRICVS IVNIOR CLAVDIVS AVGVSTVS quartus Romanorum occidentis Germanorum ex Duce Bauariæ & Saxoniæ Imperator, qui regnaui & imperauit annos XXIII. menses V. & dies XVI.

1002 2 Eginhardus Marchio Imperator appellatus & occisus.

1010 10 Milo Adalberium in Episcopatu Veronensi sequutus est, qui vitam sanctam ac laudabiliter tanto in sacerdotio transegit, multaque pro Christiana Pietate amplianda ac commissi sibi populi salute fecit. Ad quem vt ex archiuis canonicorum didici Benedictus Papa VIII. scripsit Epistolam, cuius initium est. Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei Miloni Episcopo Veronensi salutem & apostolicam ben. Conuenit apostolico moderamini &c.

1014 14 Hoc anno VIII. Kal. Maij Romæ ad S. Petrum Benedictus Papa VIII. Henricum Augustum appellatum diademate insigniuit.

Miloni Vdeprandus in Veronensi summo sacerdotio successit vir tanto Episcopatu ob ingentes virtutes dignissimus. Eius in archiuo Canonicorum viuentis mentio est anno 1014. Indict. XII. Henrico II. Imp. Veronæ item eodem anno in priuilegiis Monasterio S. Zenonis ab hoc Imperatore & reliquis concessis.

1024 24 Hoc anno III. Id. Iulii obiit Imperator Henricus Augustus, cadauer Bambergæ sepultum. In eius locum factus est

IMP. CAESAR. CHVNRADVS. IVNIOR. AVGVSTVS Ex Duce Franconiæ quintus Romanorum Occidentis Imperator qui regnauit & imperauit annos XIIII. menses X. dies XXII.

1026 3 Post Vdeprandum Ioannes Veronensi Episcopatui præfuit sanctissimus idemque doctissimus vir. Cuius in Tabulis archiui canonicorum mentio est, ex quibus vixisse eum anno 1027. sub Chunrado II. Imp. deprehendi, item cœnobiis SS. Nazarii & Celsi anno 1031. Ind. IIII. sub eodem Imp.

1027 4 Hoc anno Chunradus Imp. ex Germania Romam proficiscens Veronam venit. Hoc anno VII. Kal. Aprilis Romæ ad S. Petrum Ioannes XIX. Pontifex Maximus Chunradum Augustum inunxit coronauitque.

1030 7 Henricus II. Chunradi Imp. Filius Rex Romanorum & Germaniæ à patre renunciatus est.

1037 14 Proximus post Ioannem Ecclesiæ Veronensis Episcopatum Valtherius suscepit, natione Germanus, ab Imp. Chunrado creatus, qui quidem, quum vir his temporibus eloquentissimus pariter esset atque sanctissimus, maxima sibi omnium ciuium studia cōciliauit. Hunc Abbas Vspergensis, & a quo ille accepit Hermannus contractus, qui per hæc tempora vixit commemorant. Quem beatissimi Zenonis vrbis nostræ patroni reliquias Vlmam in Germaniam, vnde forte ipse oriundus fuit, transuexisse referunt. Eius præterea mentionem factam reperi in Tabulis monasterij SS. Nazarij & Celsi Veronæ anno 1038. Ind. VII. Imperij Chunradi Imp. anno XII. Item S. Zenonis sub anno 1047. & Henrico III. Aug. VIII. Idus Maij Ind. XV.

1039 1 Hoc anno pridie nonas Iunij Obiit Imp. Chunradus. In eius locum factus est IMP. CAESAR HENRICVS II. NIGER AVGVSTVS VI. Romanorum Occidentis ex Germanis Imperator, qui regnauit & imperauit annos XVII. menses IIII. & dies II.

1047 9 Hoc anno ineunte VIII. Kal. Ianuarij Romæ ad S. Petrum Henricus II. Imp. Cæsar Au-

gustus

gustus appellatus est, atque a Clemente II. Pont. Maximo diademate imperiali cum vxo- A
re Hagne redimitus.

1049 11 Hoc anno porta S. Zenonis combusta est seditione ciuili, & Arx S. Petri capta.

1050 12 Ingens rerum omnium tota Italia caritas.

Hoc anno ineunte Leo Papa IX. ex Germania in Italiam veniens Natale Domini Veronæ celebrauit, deinde Romam profectus est.

Extat in archiuo Canonicorum bulla Leonis Papæ X. missa Toloni archipresbytero Amelfuco archidiacono, & Arduino presbytero, omnibusq; Canonicis Ecclesiæ Veronensis. Dat. an. I. Nonis Maij Indict. II.

1054 16 Hoc anno Henricus III. Rex Romanorum & Germaniæ à patre Augusto appellatus est, & Aquisgrani inunctus & coronatus.

1055 17 In demortui Vualtherij Veronensis Episcopi locum, hoc anno, vt ex Ioannis Auentini historiarum Germanicarum libro V. intellexi, Diethboldus natione Germanus ab Imp. Henrico II. Augusto suffectus est. Hic in delato sibi munere obeundo magna cum pietatis ac religionis laude se gessit. B

1056 18 Hoc anno III. Nonas Octobris obiit Henricus II. Niger Imp. cadauer Spiræ sepultum est, cui successit eius filius.

1057 1 IMP. CAESAR HENRICVS III. SENIOR AVGVSTVS qui regnauit & imperauit annos XLIX. menses X. & dies III.

1060 4 Aldegerius procul dubio post Diethboldū ex Imperatoris auctoritate Veronensi Ecclesiæ præfuit. In quo rerum cum diuinarum tum humanarum singularis quædam cognitio fuit. Cuius in tabulis congregationis mentio est, pauloque ante Sigimboldum Episcopus fuisse refertur. C

1073 17 Aldegerio hoc anno vita functo, Bruno natione Germanus ab Imp. in Veronensi sacerdotio subrogatus est, vt ex libro registrorum anni primi Pontificatus Gregorij Papæ VII. qui in hunc annum cadit intelligi potest, quo anno Gregorius ipse huic Brunoni recens electo epistolam hanc scripsit, qua ei vsum pallii & Nachi concessit. Est autem eiusmodi.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei Brunoni Episcopo Veronensi salutem & Apostolicam benedictionem. Litteris Fraternitatis tuæ susceptis, euidenter intelleximus quod dispensationem nobis creditam desideres nos inreprehensibiliter gerere & religionis tuæ preces nobis & sanctæ ecclesiæ necessarias deuotissimas Deo fundere. Qua in re aperte monstratur quanto amore quantaque deuotione B. Petrum venereris, quum nos licet indignos obsequijs ecclesiæ suæ deputatos tanta dilectione complecti videaris. Qui enim dominos diligit, in seruos quamuis minimos dominorum dilectionem transfundit, quā vtique dilectionem tuam in his, quæ a nobis expostulasti, idest in pallij concessione ad præsens recompensamus, quia antecessorum nostrorum decreuit auctoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum. Vnde si fraternitas tua apostolicæ sedis priuilegiis munita ad nos venerit, honorem, quem Romanus Pontifex antecessoribus tuis soluerunt, nos tibi Deo concedente, conferemus. Sicut enim Romanæ Ecclesiæ debitum honorem impendi à cæteris ecclesijs, ita vnicuique ecclesiæ proprium ius seruare desideramus. Volumus attamen tunc presentia iuri ostendere, quam sincero amore regiam salutem diligamus, quantumque circa eius honorem & secundum Deum & sæculum inuigilare desideremus, si ipse Deo debitum honorem studuerit exsequi, & formam sanctorum Regum omissis puerilibus studijs sapienter imitari. Datum Capuæ VIII. Kal. Octobris Indictione XII. In actionibus vero synodi media proxima XL. congregatæ Romæ refertur Gregorium Papam VII. Brunoni Episcopo Veronensi pallium cum priuilegio & Nacho concessisse. Ita vt ex hac epistola satis manifestum sit, Episcopum Verononensem olim magnæ dignationis fuisse, quum ei pallij vsus, qui solis archiepiscopis & patriarchis concedi solet, etiam tributus sit à sede apostolica. Quemadmodum vsu diu ante amisit. Sedit autem Episcopus Bruno in Episcopatu Veronensi annos plus minus X. Obijt enim D E

anno

anno Domini 1084. Huius vita cæteris virtutibus admodum illustris, non mediocrem etiam sibi laudem in interpretatione verbi Dei vindicauit. Quæm præterea commemorari animaduerti in tabulis instrumentorum monasterij S. Zenonis Veronæ.

1077 21 Rodulphus Dux Sueuiæ Rex Romanorum & Germaniæ in schismate contra Henricũ Regem appellatus, regnauit annos plus minus IIII.

1080 24 Rodulphus Rex in proelio occisus est.

1082 26 Hermanus Rex appellatus in schismate contra Henricum III. Regem.

1084 28 Brunoni defuncto primus a canonicorum collegio creatus Episcopus electione non expectata ei & improuisus successit hoc anno Sigimboldus ex Gregorii Papę VII. pręscripto, qui Conciliis aliquot Laterani habitis, Imperatorem Henricum suosque successores iure, quod à Carolo Magno ad eum vsque omnes Imperatores obtinuerant, nouos Episcopos & Abbates ordinandi, spoliauerat, eorumque electiones a canonicorum Cathredalium Ecclesiarum collegijs, & monachis fieri ex conciliorum decretis iusserat. Cęterum Episcopum Sigimboldum pręter cęteras virtutes assidua in populo erudiendo opera, atque in gentes prolixa liberalitas nobilitarunt. Sedit verò in Episcopatu Veronensi annos plus minus XVI. cuius in priuilegijs monasterio S. Zenonis concessis mentio est viuentis an. 1084. XV. Kal. Iulij. Henrico IIII. Imp. hoc anno Veronam venit. Item in archiuijs congregationis eius viri mentio est. an. 1099. Ind. 12. 15. Ian. & 1090. V. Kal. Martij indict. 13.

1085 29 Eggibertus ex Toringię Marchione Augustus in Saxonia appellatus est in schismate contra Henricum III.

1087 31 Hermanus Rex sponte imperio se abdicauit.

1090 34 Henricus Imp. Veronam venit hoc anno.

1092 36 Cęsar Chunradus II. Rex Romanorum & Germanię a patre Augusto appellatus regnauit cum eo annos IX.

1094 38 Hoc anno pridie Kal. Aprilis Romę in Basilica S. Petri in Vaticano Rex Henricus III. Imp. C ęsar Augustus a Clementę Papa III. renunciatus est.

1095 39 Bonifacius Marchio pater Comitissę Mithildis obiit.

1097 41 Hoc anno Athesis amnis ita inundauit, vt pontem Lapideum propè ędem S. Stefani diruerit, Episcopium fregerit, & ædem S. Zenonis oratoris irruperit.

1099 43 Sigimboldo Veronensium Episcopo hoc anno mortuo, ex canonicorum omnium Cathedralis Ecclesię Veronensis consensu Vulfdreus successit, qui toto sui pontificatus tempore iustissimus & in egentes calamitososque clementissimus fuit. Cuius mentionem extare vidi in tabulis archiuii Monasterij SS. Nazarij & Celsi extra muros ciuitatis Veronę anno 1100. Ind. VII. V. Kal. Decembris in curte Roburolana.

1101 45 Cęsar Chunradus II. Henrici Augusti filius mortuus est.

1102 46 Hoc anno VIII. Idus Ianuarij Henricus Cęsar III. Henrici Augusti filius Rex Romanorum & Germanię a patre creatus est.

1106 50 Hoc anno VII. Idus Augusti Henricus III. Imperator mortuus est, cadauer Spirę cum patre & auo sepultum, cui eius filius successit.

1107 1 IMP. CAES. HENRICVS IVNIOR IIII. AVGVSTVS. Qui regnauit & imperauit annos XVIII. menses IX. dies XV.

1110 4 Vulfdreo Episcopo Veronę successit Zuffetus cuius mentio est in Tabulis archiuij canonicorum Eccl. Veronensis in quibus eum tempore Comitissę Mithildis vixisse, atque eam inuestisse per feudum, de loco, qui dicitur Cereta refertur. Circa annum Domini ∞ CX.

1111 5 Hoc anno Idibus aprilis Henricus IIII. Cęsar Augustus acclamatus Romę apud S. Petrum à Paschali Papa II. conseruatus est.

1115 9 Hoc anno Kal. Ianuarii magna illa & omni Italia celebrata Mithildis comitissa obijt, quę multa monasteria & ędes sacras, tam Veronę quam in agro Veronensi condidit.

1117 11 Zuffeti locum Brimo Veronę suscepit, qui in episcopatu administrando magna semper

vigilantia est vsus, si quidem parochias tum Vrbanas tum rusticas sæpissime inuisere sole- A
bat. Huius temporibus hoc anno, qui à Virginis partu est ∞ CXVII. pridie nonas Iunij.
ingens post hominum memoriam terræmotus totam Italiam quassauit, & præsertim Ve-
ronam, cuius vi magna nostrã Harenam siue Amphitheatrum ambientis porticus exte-
rioris, quam alam vocant, pars magno cum fragore ad solum vsque prostrata est.

1125 19 Hoc anno X. Kal. Maij obijt Imp. Henricus IIII. Aug. cadauer cum maioribus Spiræ se-
pultum. Quo mortuo interregnum fuit in occidente mensium IIII. dierum XXIII.
IMP. CAESAR HLOTHARIVS IVNIOR GEBENVRDI F. AVGVSTVS IX. ex
Germanis Romanorum occidentis Imperator regnauit & imperauit annos XIII. dies
XIIX. Creatus hoc anno quum esset dux Saxoniæ Idus Septembris.

1130 5 Successor Brimonis in Pontificio munere dignitateque Bernardus fuit omnium Canoni B
corum suffragijs cæteris prælatus, qui quidem Pontifex laudem suis temporibus eo nomi-
ne meruit, quod vir esset singulari & bonitate & prudentia plenus, atque in egentes exi-
mia largitate præditus. Obijt nobilissimus antistes, quemadmodum ex Parisij Ceretani,
de quo supra verba feci, chronicis obseruaui anno D. ∞ CXXXV. Cuius in archiuijs
Episcopatus Veronensis multa mentio est, & in tabulis Canonicorum Ecclesiæ Veronen-
sis, in quibus refertur ipsum inuestisse Marchionem Albertum de loco Ceretæ per feu-
dum, prędecessoremque immediatum Theobaldi in Episcopatu fuisse.

1132 7 Lotarius Imp. ingenti exercitu stipatus Italiam in gressus est.

1134 9 Hoc anno pridie nonas Iulii Laterani Lotarius Augustus ab Innocentio II. Pontifice Ma-
ximo appellatus atque inunctus est. C

1135 10 Episcopo Bernardo, quemadmodum ex vetustis Veronensium monumentis, obseruaui,
hoc anno vita functo, ab omnium Canonicorum collegio Theobaldus, qui tunc Eccle-
się nostrę Archipresbyter erat successor datus est. Huius præcipuæ virtutes fuere, Vrbani-
tas, modestia, morum facilitas, atque festiuitas, vixit autem in Episcopatu annos XXII.
nam anno salutis ∞ CLVII. diem obijt. extat adhuc in æde S. Crucis, & D Helenę, quę
iuncta est ecclesiæ maiori ciuitatis lapis marmoreus veteribus litteris incisus, ex quibus
quidem apparet cum Peregrino Patriarcha Aquileiensi in consecratione eiusdem ædis,
cum aliis eiusdem secum, atq; inferioris etiam ordinis quam plurimis adfuisse, cuius in-
scriptionis exemplum sequens est.

✠ ANNO. AB. INCARNATIONE. DOMINI. MILLESIMO D
CXL. PRIMO. DIE MENSIS. DECEMBRIS
INDICTIONE. III. PEREGRINVS
AQVILEIENSIS. PATRIARCHA. RECON
SECRAVIT. HANC. ECCLESIAM. EXTRA
ET. INTVS. MORE. PRAEDECESSORVM
SVORVM. MAXENTII. VIDELICET. ET
ANDREAE. PATRIARCHARVM. ET. IN
LOCELLO. MAIORIS. ALTARIS. SVA
PROPRIA. MANV. HAS. RELIQVIAS
QVARVM. NOMINA. SVNT. HAEC. IMPOSVIT. E
RELIQVIAE. SANCTI. GREGORII. MARTYRIS
SANCTI. IOANNIS. EVANGELISTAE
SANCTI. ANDREAE. APOSTOLI. SANCTORVM
MARTYRVM. HERMAGORAE. ET. FORTVNATI
SANCTORVM. HILARII. ET. TITIANI
SANCTORVM. SEBASTIANI. ET. CAESARII
SANCTORVM. CONFESSORVM ZENONIS
ET. EVSEBII. SANCTORVM. VIRGINVM
CAECILAE. AGATHAE. ANASTASIAE. MARIAE

MAG-

MAGDALENAE. ERANT. AVTEM
CVM. EO. RIBALDVS. CARDINALIS
S. R. ECCLESIAE. THEBALDVS
VERONENSIS. EPISCOPVS. MANFREDVS
MANTVANVS. EPISCOPVS. BONIFACIVS
BELLVNENSIS. EPISCOPVS. GILBERTVS
FELTRENSIS. EPISCOPVS. DETHEMARVS
TERGESTINVS. EPISCOPVS. GREGORIVS
HADRIENSIS. EPISCOPVS. HENRICVS.
ABBAS. S. BENEDICTI. IN. LAIRONE
VIVLANVS. ABBAS. S. M. IN. ORGANO
VBERTVS. ABBAS. S. PETRI. VILLAE. NOVAE
AMICVS. THOMAS. PRAEPOSITVS
CIVITATIS. ODELRICVS. IOANNES. CANONICI
AQVILEIENSIS. ECCLESAE. GILBERTVS
ARCHIPRESBYTER. VERONENSIS. ECCLESIAE
CETERIQVE. CANONICI. ANNVAM. DENIQVE
XL. DIERVM. ABSOLVTIONEM. AC. TERTIAM
PARTEM. MINORVM. PECCATORVM. ET FRAVDEM
POENITENTIARVM. VENIENTIBVS. AD. SACRI
HVIVS. TEMPLI. REVOLVTAM. DEDICATIONEM
ET. OCTO. DIERVM. SPACIO. POST. FECIT
ATQVE. FIRMITER. STABILIVIT

Huius Episcopi mentionem fieri inueni in Archiuiis Episcopi Veronensis in diplomate Friderici Imp. Dat. X. Kal. Decembris Anno 1154. Ind.II. anno Regni eius III.Item in tabulis archiuii Canonicorum 1146. II. Ianuarij quo tunc viuebat. Item 1148. XIII. Kal.Septembris Ind. XI. Ro. Ambertus Vido, Vido de Crema S.R. E. presbyteri Cardinales Peregrinus Aquil. Patriarch. Theobaldus Veronensis Episcopus. Item eius Archipresbyteri annis 1117. & 1132. Item Episcopi in archiuio Monasterij S. Zenonis Veronæ.

1138 13 Hoc anno pridie Kal. Octobris dum Lotharius Imperator ex Italia in Germaniam reuerteretur, in agro Veronensi mortuus est. post cuius obitum fuit interregnum in Occidente mensium VI.

1139 1 CAESAR. CHVNRADVS. III. FRIDERICI. F. REX. ROMANORVM regnauit in Occidente annos XII. menses X. dies XV.
Rex ex Duce Sueuiæ creatus Kal. Aprilis.

1142 4 Marcus Regulus nobilissimus S. Bonifacij Comes hoc anno mortuus est. Per hæc tempora, vt Otho Frisingensis auctor est, Veronenses, qui longum bellum cum Patauinis gesserant, amnemque Meduacum in alium alueum deriuauerant, proelio cum his habito, plurimis Patauinorum captis cruentissima victoria potiti sunt.
Post prælium quo Patauinorum vires attritę sunt, Veronenses & Vicetini, fœdere inter se icto Patauinis etiam aduersum Taruisinos bellum instaurant, in quo variæ cædes & direptiones hinc inde factæ, subijcit Otho, propter ea quæ supra diximus Patauinis priori anno illata incommoda, Veronenses & Vicetini sequenti anno Castella vicos & agros Taruisinos ferro flammaque vastauere, huius belli caussæ incertæ, nisi forte de finibus contentio fuerit. Otho Frisingen. Libro VII. Cap. XXIIX. & XXIX.

1147 9 Henricus F. Adæ Iudicis
Baldoinus de la Scala
Otho de Thedaldo de capite pontis
Ermanus de Arboreta
} Consules Veronæ.

1151 13 Oppidum Hostilia super Padum situm in agro Veronensi vetustate dirutum & penè desolatum, incolis multis accitis a Rep. Veronensi restitutum fuit. A

1152 1 Hoc anno XV. Kal. Martij obijt Rex Romanorum Chunradus. Quo mortuo fuit interregnum dierum XVII.

IMP. CAES. FRIDERICVS. AENOBARBVS. AVGVSTVS X. Imperator Romanorum Occidentis ex Duce Sueuiæ IV. Nonas Martii creatus, regnauit & imperauit annos XXXVII. menses III. dies VII.

1153 2 Hoc anno die S. Ascensionis Domini fluuius Athesis aquarum vi ita creuit, vt extra alueum exæstuans, multa Veronensibus tam in vrbe quam extra damna intulerit, in queis pons alius e regione pontis qui dicitur lapidis corruit, qui erat inter Basilicas S. Syri & S. Anastasiæ, cuius etiam nunc vestigia in Athesi videntur.

1154 3 Imp. Cæsar Fridericus Italiam primum ingressus, vt Imperii diadema a summo Pontifice susciperet, Veronensibus in campis super Benacum aliquantisper commoratus est. B

1155 4 Hoc anno XIII. Kal. Iunii Romæ ad S. Petrum Fridericus Augustus appellatus est, atque ab Hadriano Papa IIII consecratus.

1156 5 Veronæ intestina exitiabiliaq; inter aduersarum factionum principes Familias Crescentios, & Comites S. Bonifacii discordia repentina exorta, post multas cædes variaque perpetrata facinora, Mons aureus Oppidum tertio ab vrbe lapide distans, quod in Crescentiorum ditione erat, a Comitibus S. Bonifacii captum & incendio consumptum est.

1157 6 Marchio Sarsendinus Alberti Marchionis filius nobilissimus Veronensium mortuus est eodem anno, quemadmodum ex vetustis nostræ vrbis monumentis, Parisiique Ceretani Chronicis intelligitur. Episcopo Veronensium Thebaldo mortuo, Omnibonus totius Canonicorum collegii suffragiis eandem sedē administrandam suscepit, vir quidem, qui vt erat clarissimis ortus natalibus, ita etiam parem generis splendoris vitæ sanctitatem dicitur habuisse. Doctrina quoque & eloquentia multa præditus inter præcipuos Friderici Imp. familiares fuit, princepsque Imperii ab eodem Augusto suis in epistolis appellatur. Hic rebus ad munus suum pertinentibus administrandis admirabili semper cura ac diligentia est vsus. Ab hoc conditum est sacrarium in Episcopio in honorem D. Zenonis, vt ex vetusto epigrammate liquet. Sedit autem in Episcopatu Veronensi annos plus minus XXXIX. nam anno salutis ∞ CXXCV. mortuus est. Eius Otho Frisingensis libro VI. de gestis Friderici Imp & vetus inscriptio in Episcopio Veronensi, quam supra libro I. retuli atque in diplomate Friderici Imp. Dato anno 1180. Ind. III. Regni eius 33. Imperii vero 30. appellatur Imperij Princeps, & Episcopus Veronensis. Item in tabulis S. Petri in arce Veronę eius, & Riprandi tunc archipresbyteri congregationis post ipsum Veronensis Episcopi, annos 1165. & 1184. mentio extat. Item Monasterij SS. Nazarii & Celsi sub anno 1184. VII. Kal. Septembris Ind. I. & S. Zenonis maioris Veronæ & in archiuio S. Stephani Veronę ciuis dicitur anno 1185. Ind. III. Idibus Archip. cum Riprando tunc maioris Ecclesiæ Archipresbyteris. C D

1158 7 Hoc anno Fridericus Imp. ex Germania in Italiam veniens, primo Italiæ ingressu, arcem Riuolę quę super Clusam Veronensem est in deditionem accepit Quam Veronenses, ideo munierant, vt eiusdem arcis præsidio tam angustis in locis collocato Germanos in itu & reditu clementiores mitioresque fore. Vbi Imperator magna Veronensium & Episcopi Omniboni frequentia & honorificentia susceptus Veronam venit. Inde discedens Mantuam, post Cremonam profectus est. Vbi bellum aduersum Mediolanenses comparabat. E

1159 8 Turisendus Veronensis ciuis, quum arcem Gardæ occupasset, quæ Imperatoris præsidio tenebatur, Imp. id publico consilio factum existimans, exercitum in agrum Veronensem adduxit, Athesique traiecto, multum agri Veronensis diripuit, aliquot vicos incendit, re, quam desiderauerat infecta, in Lombardiam reuersus est. Quo anno maximo totius Imperij Principum conuentui Roncalię congregato Episcopus quoque Veronensis Omnibo-

nibo-

nibonus interfuit vt Raduccus Friſingenſis auctor eſt.

1160 9 Ciuili diſſenſione inter Creſcentios,Comiteſque S. Bonifacii adhuc maxime Veronę vigente, quum ad arma iterum deuentum eſſet, pridie Idus Maij regio ferè omnis S. Ioannis in foro incendio conſumpta eſt, in qua ruina ædes multorum mercatorum & artificum vſtę ſunt, & ad ſolum deiectę.

1161 10 Eodem tumultu in hunc etiam annum protracto, Idibus Maij Porta vrbis,quę S. Zenonis dicebatur a Creſcentiis combuſta eſt, qua vrbem Creſcentiana factio ingreſſa Comites S. Bonifacii expulit. Quod etiam antiqua hac inſcriptione exarata in lapide fixo parieti Baſilicę SS. Apoſtolorum notatum eſt.

AN. DOM. ∞CLXI.
COMBVSTA. EST. PORTA
S. ZENONIS. XV. M. MAI

1162 11 Imperator Fridericus Auguſtus Mediolanum cepit & ſolo ęquauit, quę diu rebellis eiq; infenſiſſima fuerat.

1164 13 Veronenſes cum reliquis Marchię Taruiſinę & Lombardiæ populis pręfectorum imperialium diritatem & immenſę auiditatis tributa, vectigalia,acerbitatemque ferre amplius non valentes, pulſis pręſidijs & magiſtratibus Cęſareis, ſeſe in libertatem fœdere icto vindicarunt. Imp. tot vrbium rebellione cognita, ingenti comparato exercitu,ipſam totius defectionis, bellique caput Veronam petiit,Vacaldumque vſque haud longe à Verona venit, vbi & caſtrametatus eſt, à quibuſdam enim ciuibus clam ſollicitatus fuerat Veronam ei prodere polliciti: Veronenſes ſociorum auxiliis freti, prętio inito,Friderici exercitum cęciderunt fugaruntque, & Azonem, Pilium Nicheſolam, Zenonem quendā cum aliis nouem primariis ciuibus qui clandeſtina coniuratione de tradenda Imperatori Verona agitauerant captos ſęuiſſime in carceribus capite plecterunt IIII. Idus Septembris.

1165 14 Arx Riuolis ſita in Valle Lagarina à Veronenſibus expugnata dirutaque menſe Maio, in quā quum aliquot ſicarii prędoneſque Cacapane Veronenſi duce ſe contuliſſent, tranſeuntes quoque ſpoliabant, necabantque. Arce capta tam in latronum principem,quam in ſicarios ſeuere a magiſtratibus Veronenſibus animaduerſum. Durauit obſidio a Nouembri ſuperioris anni vſque ad Maium.

1167 16 Bonifacius Antiochię Comes mortuus eſt.

1168 17 Perniciosiſſimę & exitiabiles Guelphorum & Ghibellinorum factiones totam

1169 18 Italiam per hęc tempora & pręſertim vrbem Veronam vexare cęperunt Guelphorum Comites S. Bonifacii, Ghibelinorum Monticuli & Creſcentii principes erant.

1170 19 Cęſar Henricus VI. Rex Romanorum a patre Auguſto creatus.

1172 21 Exitiabili diſcordia inter ciues redintegrata vrbs pęne omnis incendio conflagrauit ipſo menſis Quintilis initio, quum per octo continuos dies multis in locis immiſſo igne arſiſſet, cuius rei quum multis in locis per vrbem,tum in veteri tabula marmorea mentio eſt, quę litteris hoc ipſum teſtantibus exarata,vſque in hodiernum diem intra palātium pontificium quodam pariete impacta ſeruatur.

Eodem anno Turris maior, quę maiori foro imminet, prętorio adiacet, Lambertorum nobilis Veronę familię ſumptibus extrui cępta, in qua poſtea campanę publico vſui commoditatique locatę.

1176 25 Hoc anno VII. Kal. Martij Fridericus Imp. memorabili proelio à Lombardię populis victus,conditiones pacis ęquas accipere coactus eſt, atque cum Alexandro III. Pont. Maximo pacem facere, cum quo decem & ſeptem annis bellum geſſerat, ob cuius & rerum publicarum ſuarum defenſionem Veronenſes, Mediolanenſes, Cremonenſes, Brixiani, Bergomates, Placentini, Vicentini, Patauini, & alii populi,inita inter ſe ſocietate, cuius titulus fuit Ciuitates belli ſocię, Fridericum vt omnino Italia expellerent,aut ęquas conditiones pacis accipere cogerent. Hoc pręlio magna illa Imperii Occidentalis vis primum labefactata, paulatim deinceps ad nihilum ferè redacta eſt, & è contra Maieſtas Pontificia mirum in modum aucta.

1177 26 Alexander III. Papa quum pro componendis discordiis, quę inter ipsum & Fridericum Imperatorem diu fuerant, Venetias venisset, dum aduentum Imperatoris expectaret, Veronam hoc anno venit, vbi altare maius Ecclesię S. Marię antiquę dedicauit, quemadmodum ex hac antiqua inscriptione, quę ante eius templi fores fixa est, liquet. A

✠ ANNO. DOMINI. M. CLXXVII. VII- KAL. AVG. INDICT. X. D. ALEXANDER. PP. III DEDICAVIT. ALTARE. MAIVS ECCLESIAE S. M. ANTIQVAE. VERONAE. IN HONOREM B. MARIAE. VIRGINIS. VBI. INTERFVERVNT. D. VBALDVS. OSTIENSIS. GVALTERIVS ALBANENSIS. GVLIELMVS. PORTVENSIS. CONRADVS. SABINENSIS. EPISCOPI CARDINALES. ET ALII. XI. CARDINALES. ET. D. HERMANVS. MARCHIO. ET. DOMINVS TOTIVS. MARCHIAE. VERONENSIS. ET. ALII. MVLTI. VBI. SVNT. RELIQVIAE. PLVRIMAE DE. SANGVINE. D. N. IESV. CHRISTI. DE SPINA. CORONA. DE. LIGNO. S. ✠ DE. LANCEA LONGINI. DE. PANNIS. QVIBVS. INVOLVTVS. FVIT. D. N. IESVS. CHRISTVS. DE CAPILLIS B. M. VIRGINIS. DE. VESTIMENTIS. ET. DE. VELO. SVO. DE MENSA. CHRISTI. LAPIDEA IN. QVA. COENAVIT. CVM. DISCIPVLIS. SVIS. DE. TRIBVS. MAGIS. GASPARE. BALDESSARE ET. MELCHIORE. DE. B. IO. BAPTISTA. DE. BEATORVM. APOSTOLORVM. PETRI. ET PAVLI. ANDREAE. IACOBI. THOMAE. BARPTOLEMAI. SIMONIS. THADAEI. ET BARNABAE. S. MARTINI. EPISCOPI. ET. CONFESSORIS. ET. SANCTI. MARTINI. PAPAE. ET MARTYRIS. RELIQVIIS. IN. QVA. QVIDEM. DEDICATIONE. INSTITVIT. VT. SEMPER. ANNVATIM IN. DIE. ASSVMPTIONIS. B. M. VIRGINIS. ET. PER. TOTAM. OCTAVAM. OMNIBVS POENITENTIBVS. CONFESSIS. ET. CONTRITIS. SVORVM. PECCATORVM. DICTAM. ECCLESIAM. DEVOTE VISITANTIBVS. ET. MANVS. ADIVTRICES. PORRIGENTIBVS. SINGVLA. DIE. DE. INIVNCTIS. SIBI POENITENTIIS. CENTVM. ANNORVM. REMISSIO. ESSET. IN. ALIIS. VERO. FESTIVITATIBVS B. M. VIRGINIS. IN. DIE. S. MARTINI. EPISCOPI. ET. CONFESSORIS. ET. PER. OCTAVAM. ET APPARITIONIS. DOMINI. ET. PER. TOTAM. XLMAM. FERIA. II. IIII. ET. VI. PRO. QVALIBET. DIE L. ANN. EOS. VERO. QVI. IN. MORTIS. ARTICVLO. EIDEM ECCLESIAE RELIQVERINT. ET SPECIALITER. PRO. FABRICA. A. POENA. ET. CVLPA. ABSOLVIT

B C

PRESBYTER. IOANNES. FECIT. FIERI.

1178 27 Brimorus Vicecomes Placentinus Veronæ Prætor.

Hoc anno vt actis publicis notatum est, minale tritici solidis Veronensibus XXII. Segalla XX. Milium XIIX. & Milica XII. vendita fuere, quod pro maxima penuria notatum est in turris campanarum S. Zenonis maioris sic. D

AN. D. INC. ∞ CLXXIIX. IND. XI. TEMPORE. D. ALEX. PP. III. ATQVE
D. FRIDERICI. IMP. ET. D. OMNIBONI. VERONENSIS. EPI. D. GERARDVS. D. G.
VEN. ABBAS. MONAST. S. ZENONIS. HOC. OPVS. FIERI. FECIT. QVO. ANNO. PAX
INTER. ECCLESIAM. ET. IMPERIVM. EST. REFORMATA
QVO. ETIAM TEMPORE. MAGNA. PENVRIA. FRVGVM. TOTAM. PENE
ITALIAM. ANGEBAT. ITA. VT. VERONÆ. MINALE. MILICÆ. XII.
MILII. XVIII. SILIGINIS. XX. FRVMENTI. XXII. SOLIDIS. VENDERETVR

1183 32 Hoc anno VII. Ianuarij ingenti terræmotu vrbs quatefacta, reliqua pars alæ, vt vocant, Harenæ corruit. E

Eodem anno X. Kal. Iulij pax illa celebris generalis Constantię inter Imperatorem & Ciuitates omnes Lombardiæ facta est. Cui pro Veronensi Rep. interfuere Chunradus vtriusque iuris consultus, Vbertinus de Cathenis, Martinus de Castello, Thebaldus Benuenuti, Ribaldinus Nassinguerræ. In cuius pacis diplomate hoc sigillatim additum est. *Item nos restituimus intratam Veronensibus, & Eccelinum nominatim recipimus in plenitudinem gratiæ nostræ & omnem offensam ei remittimus.* Quibus verbis intelligi potest Imperatorem Veronenses crimine lęsę maiestatis reos, omnibus honoribus & priuilegijs priuasse, & pręsertim hunc Eccelinum, qui Dux fuit exercitus Veronensis auctorque rebel-

rebellionis contra Fridericum. Hic porrò Eccelinus cognomen Monachi tulit, filius Eccelini Balbi pater nefandissimi Tyranni Eccelini de Romano, de quo suo loco verba faciam.

Eodem anno Lucius Papa III. Romanorum seditionibus vexatus, Roma discedens Veronam versus iter arripuit, vt ibidem generale Concilium celebraret, tum pro subuentione terræ sanctæ, quæ à Turcis premebatur, tum vt Romanorum vim reprimeret, quam cum Imperatore Friderico Augusto pridie Kal. Augusti ingressus est, à Veronensibus autem summo cum honore recepti. Cardinales qui Lucium Papam Veronam comitati sunt fuere ꝯ.

184 33 Hoc anno feria IIII. cinerum Veronę Lucius Papa III. sex creauit Cardinales qui fuere ꝯ.

Domnus Theobaldus Gallus monachus Cluniacensis ex priore Monasterij Cuspeii Abbas Cluniacensis Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus.

Magister Milior Gallus presbyter Cardinalis Titulus SS. Io. & Pauli S. R. E. Camerarius.

Adelardus ciuis & Canonicus Veronensis presbyter Cardinalis Tit. S. Marcelli postea Episcopus Veronensis.

Magister Frater Rollandus Gallus Monachus & electus Abbas Dolensis Diac. Cardinalis S. Marię in Porticu.

Magister Petrus Placentinus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.

Magister Rodulphus Nigellus Pisanus Diac. Card. S. Georgii in Velabro.

Eodem anno III. Idus Maij. Alexander Comes S. Bonifacij à Ceresio Monticulo sororis filio reliquias auiti odij adhuc retinente, occisus est, quę res multarum atrocium ciuilium dissensionum causa fuit, quas paulo post exponam.

Hoc anno 1185. consecrata est Basilica S. Mariæ antiquæ Veronæ quemadmodum ex vetusta incriptione liquet.

✠ A. D. M. C. LXXXV. ind. III. die Sabathi VIIII. intrante Nouemb. D. Patriarcha Gotifredus Aquileiensis dedicauit Ecclesiã S. Marię antiq;, vbi fuerunt D. Laborans & D. Adelardus S. R. E Cardinales & D. Pepo Episcopus de Pedena & D. Obizo Organensis Abbas & alij religiosi viri, vbi sunt reliquiæ de capillis S. Mariæ, & de vestimentis eius reliquiæ S. Iacobi Apostoli & Sanctorum Martyrum Hermagoræ & Fortunati S. Georgii S. Celestini S. Agapiti S. Sixti S. Cassiani S. Viti S. Modesti S. Crescentiani, & SS. Cosmę, & Damiani SS. Confessorum Proculi, Lupicini confess. & S. Agathæ Martyris, in qua dedicatione omnibus, qui ibi tunc aderant, & pœnitentiam de suis peccatis receperint, vel infra XV. dies reciperent, & etiam his, qui ibi non aderant & infra XV. dies pœnitentiam reciperent & iam dictam ecclesiam visitauerint, remissionem de omnibus VII. annis vnum indulsit & quartam partem venialium & semper annuatim istam remissionem ita instituit. instituit quoque vt in die S. Martini ista dedicatio amodo celebretur, inhibuit insuper vt quicumque bona ipsius Ecclesiæ clam, vel violenter subripuerint vel inuaserint vinculo excommunicationis subiaceant.

✠ A. D. M. CLXXXVII. VII. Kal. Aug. ind. X. D. Alexander. PP. III. dedicauit altare maius Ecclesiæ S. Mariæ antiquę Veronæ in honorẽ Beatę Mariæ Virginis scilicet festiuitatũ suarum vbi fuerunt D. Vbaldus Hostiensis Gualterius, Albanus Gulielmus Portuensis Conradus Sabinensis Episcopi Cardinales, & aliis XI. Card. & D Armanus Theutonicus Marchionis & D. Totius Marchię Veronensis & alij multi, vbi sunt reliquæ de sanguine D. N. Iesu Christi, & de spinea Corona & de ligno ✠ & de lancea Longini, & de Pannis, quibus inuolutus fuit D. N. Iesus Christus de capillis B. Marię Virginis, de vestimentis eius, & de velo suo de Mensa Christi Lapidea, in qua cœnauit cum discipulis suis, de tribus Magis, siue Gaspare, Balthasare, & Melchiore, de Beato Ioanne Baptista de Beatorum Apostolorum Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Thomę Bartholomæi, Simonis, Thadęi, & Barnabę, & S. Martini Episcopi, & Confess. & S. Martini Papæ, & Mar-

tyris,

tyris, in qua quidem dedicatione instituit vt semper annuatim in die Assumptionis B. Mariæ vbi celebraturconcessit & annuatim in eodem die Assumptionis &c. per totam octauam inclusiue omnibus vere pœnitentibus confessis contritis si suorum peccatorum pœnitentiam receperint, & dictam ecclesiam deuote visitauerint & manus suas adiutrices porrexerint singula die de iniunctis sibi pœnitentijs C. annos in alijs festiuitatibus B. Mariæ Virginis & à die S.Martini Episcopi & Confess. vsque ad octauã apparitionis Domini & per totam XL. scilicet feria II. IIII. & VI. pro quolibet die L. annos his vero qui in mortis articulo dictæ Eccl.reliquerint & specialiter pro fabricę apparamentis,& officijs predictæ Ecclesiæ omnes suprascriptas indulgentias relaxauit à pęna & à culpa ipsos absoluens. A

Presbyter Ioannes sculpi fecit fieri.

1185 34 Hoc anno VII. Kal. Decembris Veronæ obijt Lucius Papa III. cadauer honorifice in cathedrali ante altare maius marmoreo sepulchro conditum est. cuius tumulo hoc additum Epitaphium. B

LVCA. DEDIT. LVCEM. TIBI. LVCI. PONTIFICATVM
OSTIA. PAPATVM. ROMA. VERONA. MORI
IMMO. VERONA. DEDIT. LVCIS. TIBI. GAVDIA. ROMA
EXILIVM. CVRAS. OSTIA. LVCA. MORI
D.D. Lucius. PP. III.
M.C.LXXXV. Die XXV. Nouembris.

Hoc porrò sepulchrum Ioannes Matthæus Ghibertus Episcopus Veronensis nostra ætate quum Basilicæ ornatum repararet, quia, impedimento videbatur esse eius decori in terram ante altare maius penitus abdidit, desuperque hæc alia inscriptio posita. C

OSSA
LVCII. III. PONT. MAX.
CVI. ROMA. OB. INVIDIAM
PVLSO. VERONA. TVTISS
AC. GRATISS. PERFVGIVM
FVIT. VBI. CONVENTV
CHRISTIANORVM ACTO
DVM. PRÆCLARA. MVLTA
MOLITVR. E. VITA D
EXCESSIT

Vacauit eo mortuo sedes Romana diebus XII.

Vrbanus Papa III. Lambertus antea vocatus Ioannis filius Mediolani ex nobili Cribelorũ familia ortus, ex Archidiacono Ecclesiæ Mediolanensis presbyter Cardinalis ab Alexandro Papa III. factus est. Mortuo vero. Algysio de Pyrouano, Archiepiscopus Mediolanensis in eius locum a Canonicis omnium consensu anno Christi ∞ CXXCI. suffectus fuit. Quumque quintum iam Pontificatus sui annum ageret Veronæ post obitum Lucij Papæ III. ab eis Cardinalibus, qui Veronæ erant in eius locum VI. Idus Decembris huius anni Romanus Pontifex renunciatus, Dominica die proxima summi pontificatus insignia suscepit, sedit vero Imp.Cæs. Fride rico Ahenobarbo Augusto annum I. menses X. dies XV. E

Cardinales XXI. qui Veronæ Vrbanum Papam III. crearunt.

Theodinus Episcopus Cardinalis Portuensis & S. Rufinæ.

Henricus Episcopus Cardinalis Albanus.

Paulus Scholaris Romanus Episcopus Cardinalis Prænestinus.

D. Theobaldus Gallus Monachus Cluniacensis Episcopus Card. Ostiensis & Veliternus.

Albertus de Mora Beneuentanus presbyter Cardinalis Tit. S.Laurentij in Lucina S. R.E. Archipresbyter &c. Cancellarius.

Ioannes de Comitibus Signiæ Anagninus presbyter Card. Tit. S. Marci.

Petrus

Petrus presbyter Card. Tit. S. *Susannæ*.
Laborans presbyter Card. Tit. S. Marię Trans Tiberim.
Pandulphus Pisanus presbyter Card. Basilicę Apostolorum
Albinus Mediolanensis Canonicus regularis presbyter Card. Tit. S. Crucis in Hierusalem.
Melior Gallus presbiter Card. Tit. SS. Io. & Pauli S. R. E. Camerarius.
Adelardus Veronensis presbyter Card. Tit. S. Marcelli.
Iacintus Bobo Romanus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Archidiaconus.
Ardicio Riuoltella Mediolanensis Diaconus Card. S. Theodori.
Gratianus Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Bobo Romanus Diaconus Card. S. Angeli.
Gerardus Allucingolus Lucensis Diaconus Card. S. Hadriani.
Octauianus Diaconus Card. SS. Sergij & Bacchi.
Soffredus Diaconus Cardinalis S. Marię in via Lata.
Petrus Placentinus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.
Rodulphus Nigellus Pisanus Diac. Card. S. Georgij in Velabro.

Confestim post Omnibonum hoc ipso anno vita functum, primariam in vrbe nostra diuinarum rerum curam suscepit Riprandus ex Archipresbytero prius Congregationis Veronensis, vt ex archiuo S. Petri in arce Veronæ, deinde maioris Ecclesiæ obseruaui S. Stephani, & congregationis Canonicorum, in quibus vtrumque fuisse liquet, à Canonicorum collegio creatus, atque ab Imperatore Friderico, vt tum mos erat, confirmatus. Qui quidem plebi eo nomine acceptissimus fuit, quod præter vitæ ac morum honestatem, & assiduam in pauperes misericordiam, id etiam sedulo semper egerit, vt populum quæ ad Dei cultum pertinerent magna diligentia doceret. Sedit in Veronensi Episcopatu annos ferè quatuor. Nam anno Domini ∞ CXXCIX. eum obijsse inueni. Huius Episcopi mentionem multis in locis fieri inueni, & præsertim in Episcopatus archiuo, in quo hanc eius ordinationis schedulam sic exaratam inueni.

Die Veneris VIII. exeunte Ianuario in pręsentia Domini Chonradi Cardinalis & Episcopi Sabinensis, & Archiepiscopi Moguntini, Episcopi Bonifacij Nouariensis, Episcopi Anselmi Comensis, Friderici pręposìti presbyteri Huguccionis, Magistri Lotharij Marchionis presbyteri, canonicorum maioris Ecclesiæ Veronensis, D. Fridericus Dei gratia Rom. Imp. Augustus inuestiuit D. Riprandum Veronensem Episcopum de toto honore & districtu, quod imperium habet in Episcopatu, & Comitatu Veronę secundum antiquum consuetum vsum. Quo facto pręnominatus Episcopus statim fecit ei fidelitatem sicuti principi suo Imperatori, & eius filio Regi Henrico, tanquam suo Regi, & quod adiuuabit eum manutenere Regnum & Imperium & coronam, & pręcipue ciuitatis Veronę, cum toto suo Comitatu & districtu contra omnes homines. Et suprascriptus Archiepiscopus, qui dedit fidelitatem, statim fidelitate facta dixit Domino Episcopo Riprando coram Domino Imperatore, & coram omnibus suprascriptis: totum quod factum est, factum est saluo ordine nostro. Actum fuit hoc Mediolani ad Domum Canonicorum de S. Ambrosio anno Domini ∞ CXXCVI. Ind. IIII. Eius etiam in tabulis Monasterij SS. Nazarij & Celsi mentio est anno 1188. X. Iunij & S. Zenonis maioris supra portam maiorem S. Pauli in Campo Martio.

ANNO. MILLENO. CENTENO. SEPTVAGENO
IVNCTO. TER. SENO. SVB. APRILIS. MENSE. SERENO
TVNC. PRAESVLE. NANQVE. RIPRANDO
TEMPLVM. FVNDARI. QVOD. CERNIS. ET. AEDIFICARI
CEPIT PRESBYTERO. SVPEREXISTENTE. RAINALDO

1186 35 Hoc anno Vrbano Papa III. bis sacra fecit, & concionati sunt presbyteri Card. D. L[illegible]

rans, & D. Henricus Alanus Episcopus Card. in æde S. Petri in arce, feria secunda post Pascha, & die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, cuius rei has duas schedulas in archiuo eius Basilicæ inueni. A

In nonime Domini amen. Anno ∞ CXXCVI. Indict. IIII. die Lunæ XIIII. Aprilis in Castro Veronæ in Ecclesia S. Petri dicti castri in præsentia D. Pauli Prçnestini, D Henrici Albanensis Episcoporum Cardinalium, Magistri Laborantis, Magistri Albini, D. Adelardi, presbyterorum Cardinalium D. Bobonis, D. Octauiani, Magistri Gratiani, Magistri Soffredi, Magistri Petri, Magistri Rollandi, Magistri Rodulphi, Diaconorum Cardinalium D. Vrbani Papç III. Archiepiscoporum Rauennæ, Vasconiç, Vngariç, Riprandi Veronensis Episcopi, Ionathç Concordiensis Episcopi, & aliorum multorum, D. Papa cantauit missam ad maius altare dictç Ecclesiç, & prçcepit magistro Laboranti, vt vice sua prçdicaret, & remissionem populo faceret, qui omnia fecit, & Italis remisit annum vnum & dies XX. vltramarinis vero tres annos & XXX. dies. Et omni anno in die Lunç post Pascha resurrectionis sit ista remissio, & insuper Papa Lucius III. remissionem in ea Ecclesia confirmauit. B

In nomine Domini amen. Anno Domini ∞ CXXVI. Indict. IIII. Die Dominico XXIX. Iunij die festo SS Apostolorum Petri & Pauli, in Ecclesia S. Petri in arce in prçsentia D. Henrici Albanensis, D. Pauli Prçnestini Episcoporum Cardinalium D. Petri de Verona, Magistri Laborantis, Magistri Pandulphi, D. Adelardi, Magistri Albini, Magistri Melioris, presbyterorum Cardinalium, D. Hyacinthi, D. Gratiani, D. Bobonis, D. Octauiani, Magistri Soffredi, Magistri Rollandi, Magistri Petri, Magistri Rodulphi, Diaconorum Cardinalium S. R. E. Vrbani Papç III. & Riprandi Veronensis Episcopi, D. Vrbanus Papa cantauit missam ad maius altare dictç Ecclesiç, & prçcepit D. Albanensi Episcopo Henrico, vt vice sua prçdicaret, & remissionem generalem populo faceret, qui omnia fecit, vt supra factum est à D. Laborante, additumque vt per totam Octauam in ea Ecclesia esset XL. dierum remissio. C

Papa Vrbanus III. toto hoc anno Veronç mansit.

Hoc anno Theodinus Episcopus Cardinalis Portuensis & S. Rufinç Veronç obiit sepultus in çde S. Georgij in Brayda.

1187 36 Hoc anno Riprando adhuc Veronç Episcopatum gerente Idibus Septembris, Basilica ciuitatis maior ab Vrbano III. Pontifice Maximo consecrata est, qui fuit dies Dominicus, astante eius cócioni maxima populi multitudine. Cuius rei in antiquo monumento hanc mentionem fieri inueni in Archiuo Can. Die Dominico XIII. Septembris anno Domini ∞ CXXCVII. dedicata vel cósecrata fuit ab Vrbano Papa III. Ecclesia Cathedralis Veronç ad honorem omnipotentis Dei, & Beatissimç Virginis Mariç & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, in prçsentia multorum Cardinalium, & D. Riprandi Episcopi Veronensis, & aliorum plurimorum Ecclesiasticorum, & secularium. Qui D. Papa prçdictus docuit populum, & prçdicauit eo die, & dedit indulgentiam perpetuis futuris temporibus duraturam dictç ecclesiç in anniuersario eius die. D

Eodem anno statim post consecratam nostram Basilicam maiorem Verona Vrbanus Papa III. cum suis Cardinalibus discedens, Romam versus iter arripuit. Qui quum Ferrariam venisset, audita clade Christianorum in Syria, & captiuitate Hierosolymitana, quæ à Saladino Turca Aegypti Sultano hoc anno facta fuerat, dolore cordis tactus ibidem XI. Kal. Nouembris mortuus est. Cuius cadauer in Cathedrali Ferrariensi honorificè conditum est. Vacauitque Romana sedes tum dies VI. E

1188 37 Seditionibus ciuilibus Veronç parumper sedatis, Resp. Veronensis oppidum Fratç agro Ferrariensi conterminum à Salinguerra Ferrariensium Tyranno iniustè occupatum, non sine maxima Ferrariensium clade exercitu comparato recuperauit. Quo etiam anno Turisendus nobilissimus Veronæ Ciuis è familia Turisenda mortuus est.

189 38 Riprando Episcopo Veronensi mortuo, canonicorum omnium suffragijs ad Episcopatum Veronensem vocatus est D. Adelardus Veronæ summo loco natus, quem ex Canonico Ecclesiæ Veronensis, & cantore maiore, vt ex tabulis Cœnobij SS. Nazarij & Celsi obseruaui, Lucius Papa III. Veronæ presbyterum Cardinalem Tit. S. Marcelli creauerat. Fuit autem vir hic inter omnes suæ ętatis Antistes habitus religiosissimus, ingenijque mansuetissimi. Quum etiam rebus gerendis maxime idoneus existimaretur, eum Clemens Papa III. Legatum transmare hoc anno cum Hubaldo Pisano, & Giberto Rauennate Archiepiscopis misit pro terrę Sanctę negotijs, vbi cum in Dei seruitio commoraretur absens Episcopus Veronensis est factus. Hic legatione absoluta, Veronam reuersus egregiè sanctissimeque episcopatum annis plus minus XVI administrauit. Ad quem m ulæ extant Innocentij Papæ III. Epistolæ, quibus qui vir ille fuerit satis intelligi potest. Cuius in archiuis Episcopatus multam mentionem inueni, ex quibus eum viuum fuisse annis 1194. indict. XII. sub Henrico VI. Item anno 1207. mense Aprili, appellaturque Adelardus D. G. S. R. E. Cardinalis & Veronensis Episcopus Indict. X. anno X. Pont. Innocentij Papæ III. nullo in Italia existente Imperatore. Item anno 1209. X. Kal. Septembris Indict. XII. Othone IIII. Rom. Imperatore. Item in archiuis S. Petri in arce Veronę anno 1209. Indict. XII. XXIII Ianuarij. Et congregationis 1189. Indict. VII. die XXIIII. Februarii.

109 1 Hoc anno IIII. Idus Iunii Imperator Fridericus Ahenobarbus, qui contra Turcas exercitum eduxerat, in flumine Armenię Saleffo suffocatus est. cui suffectus. IMP. CAESAR HENRICVS V. FRIDERICI AVG. F. AVGVSTVS XI. Romanorum Occidentis Imperator, qui regnauit & imperauit annos VIII. menses II. dies XXII.

191 2 Hoc anno XVII. Kal. Mai, Henricus V. Imp. Augustus appellatus est, atque Romæ ad S. Petrum in Vaticano à Cęlestino Papa III. coronatus. Eodem anno Cremonenses bello victi, dum in fuga reuerterentur, in amne Ollio suffocati sunt.

193 4 Guillelmo de Ossa Mediolanensis vrbis, prętore prętorium quod nunc extat ędificari Veronę ceptum forma quadrata, & sub huius magistratu anno sequenti finitum.

Eodem anno Fidantius presbyter Cardinalis Tit. S. Marcelli D. Papę Cęlestini III. Legatus Veronam venit, & die SS. Apostolorum Petri & Pauli huius anni sacra fecit in Basilica S. Petri in arce, & prædicauit, & indulgentias XL. dierum dedit ædiculam visitantibus per totam octauam, Adelardo Cardinale & Episcopo Veronense præsente.

195 6 Vberto Vicecomite Placentino P.R. Hoc anno Athesis fluuius ita excreuit, vt XVIII. Kal. Iulii via publica secus flumen, quæ sub arce diui Petri est, diciturque Regasta, omnino corruerit. Quam postea Gugelphus Comes Veronensis suis sumptibus triennio post restitui fecit anno 1198. Hac clade reliqua pars inferior Scenæ Theatri, quæ adhuc supererat, omnino deleta est.

196 7 Vberto Vicecomite Placentino PR.

197 8 Consulibus Veronensibus pro Prætore.

198 9 Hoc anno bello inter Vicetinos, & Patauinos exorto, Vicetini primo prælio Patauinos fugarunt, deinde reparatis viribus Vicetini, Veronenses, Patauini vero Eccelinum de Onaria cognomento Monachum in auxilium suum euocarunt. Bello instaurato, Vicetini & Veronenses Eccelini terras igne ferroque vastarunt, Patauini Vicetinos, Veronenses vero Patauinos ingenti prælio superarunt. In cuius victoriæ signum Resp. Veronensis vltra Lendenariam super Athesis ripas castellum Gazum condiderunt, qui Veronensis Patauinique agri finis esset. His gestis quum Eccelinus se à Patauino fœdere subtraxisset, atque Vicetinorum Veronensiumque societatem filio Eccelino immani obside Veronensibus dato contraxisset, veriti Patauini tot aduersum se opes, pacem cum Vicetinis & Veronensibus ea conditione fecerunt, vt quæ Resp. Patauinorum Vicetinis ademisset eo bello castella iis statim redderet, quod & factum est.

Eodem anno pridie Kal. Octobris Imp. Henricus V. mortuus est in Apulia. Quo mortuo fuit interregnum mensium V. dierum VIII.

1199 1 Egidio Comite Curtis nouæ Vicetino PR. A

CAESAR. PHILIPPVS Friderici F. Rex Romanorum regnauit ann. VIII. menses III. dies XIIII. creatus ex Duce Sueuię VIII. Idus Martij

CAESAR. OTHO Henrici Saxonię Ducis filius Rex Romanorum creatus in schismate contra Philippum Imp. ex Duce Saxoniæ regnauit añ. X. men. VII. dies ....

Eodem anno quum Veronenses Castrum Hostiliæ super Padi ripas in agro Veronensi situm, vetustate XI. Februarii dilabentem, renouare cępissent, atque à Mantuanis prohiberentur, proelio aduersus eos apud Pontem Molinum gesto, ingenti victoria potiti, multos ex eis ceciderunt, multos item captos Veronam in carceribus adduxere XV. Kal. Iulij. B

1290 2 Salinguerra Ferrariensi PR. Hoc anno quum castellum Argentę super Padum situm a Ferrariensibus rebellasset, in quorum ditione diu fuerat, Veronenses Prætoris suasione Ferrariensibus vt id recuperarent auxilio fuerunt, atque vtriusque gentis copiis iunctis Salinguerra duce, id die Sabbati V. Idus Aprilis expugnarunt incendioque absumpsere.

1201 3 Salinguerra Ferrarien PR. Resp. Veronensis arcem Villę Francę extrui iussit.

1202 4 Egidio Comite Curtis Nouę Vicetino II. PR.

1203 5 Egidius Comes de Curtenoua Vicetinus II. PR. abdicauit.
Bertarius Comensis PR. suffectus.

1204 6 Drudus Marcaleo PR. abdicauit.

1204 7 Albericus Fauentinus PR. suffectus. C
Bertarius Comensis II. PR. suffectus.

Hoc anno acrius quam antea vnquam bellum ciuile Veronę exarsit inter Guelphos & Ghibellinos. Guelphorum principes Comites S. Bonifacii; eius vero factionis Duces Bonifacius Comes S. Bonifacii Sauri à Ceresio Monticulo occisi filius, & Azzo senior Marchio Estensis. Erant nobilissima vtrique stirpe in Marchia Taruisina orti. Ghibellinorũ autẽ ductores Monticuli Veronę, eorũ vero capita Eccelinus Onarius cognomine Monachus & Salinguerra Estensis Ferrariensiũ Tyrãnus fuere. In his Eccelinus Monachus Eccelini Balbi filius, Eccelinique Germani nepos, omnium Marchię Taruisinę procerum ditissimus potentissimusque erat, multa enim oppida & villas pagosque in agris Taruisino, Patauino, Vicetino, & Veronensi possidebat. Hic quum dominandi auidissimus esset, excitata palam in omnibus Lombardię vrbibus ciuili dissensione alterius cuiusque factionis caput sese offerebat. Vnde quum inter Monticulos & Comites S. Bonifacii ciuilis discordia exarsisset, atque à Comitum factione Azzo Marchio Estensis euocatus esset, ipsi à Monticulis cum Salinguerra Ferrariensi tyranno potentissimo genero suo princeps factionis Ghibillinæ Veronæ appellatus est. Qua in dissensione hoc anno pagus S. Bonifacii Comitum sedes ab Eccelino & Monticulis incensus est. Huius nouæ sæuissimæque seditionis causam attulit indigna cædes in Alexandrum Comitem S. Bonifacii à Ceresio Monticulo eius sororis filio aliquot annis antea commissa. quum ad ea vsque tempora Romanorum Pontificum Lucii III. & Vrbani III. auctoritate ciuiles omnes discordię Veronæ sopitæ visę essent. D E

1206 8 Rubacons PR. abdicauit.
Buzacharinus Mediolanensis PR. suffectus abdicauit.
Azzo Marchio Estensis PR. suffectus.

Excitata seditione ciuili inter Monticulos & Comites S. Bonifacii, Bonifacius Comes Sauri filius in vltionem oppidi S. Bonifacii à Ghibillinis anno superiori succensi pridie Idus Maii aduersæ factionis multas domos Veronæ vastauit, in his ædes nobilium Veronensium de Carcere, Monticulorum, & Lendenariorum cum plerisque alijs vstæ. Quumq; Guelphorum pars in vrbe præualuisset, Monticulis vrbe pulsis, auctore Ludouico Comite S. Bonifacij Azzo Marchio Estensis primarius in omni Lombardia Guelphorum Dux

Prætor Veronæ creatus est, eo, qui magistratum illum tunc gerebat, abdicare coacto.

1207 9 Azzo senior Marchio Estensis PR. coactus abdicauit.

Odericus Vicecomes Mediolanensis PR. suffectus IIII. Idus Iunij coactus abdicauit

Azzo Marchio Estensis II. PR. suffectus II. Kal. Septembris

Hoc anno bello ciuili Veronæ perseuerante, Eccelinus Onarius Monachus & Salinguerra Ghibellinæ factionis in omni Lombardia principes, à Monticulis vrbe extorribus in auxilium Ghebillinæ factionis euocati, Veronam cum exulum parte & ingenti exercitu venerunt. Quam ingressi mense Iunio, acerrima pugna, commissa Guelphos omnes cum Prætore Azzone & Ludouico Comite vrbe exegerunt, Monticulisque restitutis ex ipsorum auctoritate Odoricum Vicecomitem Mediolanensem Ghibellinum Prætorem Veronæ crearunt. Guelphi interim reparatis viribus, & ingentibus Mantuanorum copijs in auxilium suum euocatis, adiuti vrbem proximo Septembri repetiere. Qua de improuiso capta, ingens intra vrbem in foro Boario prœlium commissum est; in quo Ghibellinis succumbentibus, Eccelinus ipse captus fuit. Salinguerra Ferrariã versus iter arripuit. Monticulorum eorumdemque fautorum domus & palatia Veronæ ad solum vsque prostrata, bona proscripta, ipsi qui cladi superfuerant relegati. Quos etiam Pischeriam & Gardam fuga elapsos quum persequi placuisset, anno sequenti oppido in deditionem accepto, reliquæ omnes Monticulanæ factionis captę sunt, & Ateste in Carcerem cum reliquis qui priori tumultu Veronæ capti fuerant coniecto. Qua clade à Guelphis Ghibellinis illata, res Veronensium altera factione ad internecionem ferè cæsa parumper quieuere. Ludouicus ipse Comes in vrbem restitutus, & Azzo iterum Veronæ Præturam Odorico exacto recepit.

1208 10 Azzo senior Estensis Marchio II. PR.

Azzo Senior Marchio in rei optimæ contra Ghibellinos nauatæ præmium, Veronæ præturam hoc anno continuauit. Quo Philippus Cæsar, qui cum Othone de Imperio decertabat XI. Kal. Iulij ab Othone de Vitilispæ Comite Palatino interfectus est, Spiræque sepultus. Quo occiso solus sine controuersia Bambergæ imperium tenuit IMP. CAES. OTHO IIII. AVGVSTVS XII. Romanorum Occidentis Imperator, qui post coronationem suam imperauit partim solus, partim in schismate contra Fridericum II. Imp. annos VIII. menses VI. dies XIIX. Eodem anno Azzo Prætor cum factione Guelpha Veronensium & Mantuanorum ad expugnationem Gardę & Pischeriæ profectus est, in quas arces Monticulorum factio Veronæ anno superiore afflicta sese receperat, quas breui in deditionem accepit Guluanio Turisendo, & Monticulo de Monticulis factionis ducibus cum reliquis captis & Ateste in carcere relegatis. Quo etiam tempore ipse Azzo Eccelinum Monachum, quem Veronæ cæperat certis sub conditionibus liberum ad principatum suum Bassanum vsque remisit.

1209 11 Guillelmus Rangonius Mutinensis PR. Hoc anno Otho Cæsar Imperio libere post Philippi necem potitus, in Italiam descendit, Romam versus tendens, vt imperij diadema à Pontifice maximo susciperet. Qui quum Veronam venisset, pacem inter factiones componere studens, Monticulos è carceribus in quibus Ateste erant relaxari iussit, eosque patriæ restituit, fœdere quantum fieri potuit inter male animatos ciues partiumque duces composito. Quibus gestis Romam profectus est, vbi in Basilica S. Petri in Vaticano V. Idus Octob. ab Innocentio III. Papa Augustus acclamatus imperialem vnctionẽ suscepit.

1210 12 Realdellus de Carceribus Veronensis PR.

Simultate, quæ postea in apertam inimicitiam prorupit inter Romanum Pontificem & Othonem Imp. exorta, Otho ipse ab Innocentio Papa anathemate notatus est, & imperio priuatus.

CAESAR. FRIDERICVS Henrici V. Imp. Filius Rex Romanorum in schismate ex Rege Siciliæ contra Othonem IIII. imperio priuatum Idibus Decembris creatus regnauit & imperauit annos XL.

1211

1211 13 Ludouicus Comes S. Bonifacij Veronensis PR. A

Hoc anno à Reip. Veronensis militia prætore duce Arx Orsenici in angusto Clusarum sita, expugnata est, atque ad solum euersa, quam quum Ribaldus Turrisendus diu obtinuisset, latrocinis agrum Veronensem infamem reddiderat.

1112 14 Bartholomæus Comes de Palatio Veronensis PR.

Hoc anno bello inter Veronenses & Vicetinos ob agri fines exorto, Bartholomæus prætor exercitum Veronensem contra Eccelinum Monachum Vicetinorum ducem & prætorem eduxit, prœlio apud pontem altum commisso: Vicetini cæsi & fugati sunt, ipsorumque Imperator Eccelinus, Ioannes de Palatio cum plerisque alijs primarijs Vicetinorum ciuibus capti, & Veronam adducti sunt, & non longe post liberati. Eodem anno quũ Fridericus Rogerius Rex Romanorum Othonem Imperatorem bello acriter persequeretur, ex itinere Italico in Germaniam Veronam diuertit, vbi IX. Kal. Septembris magna B frequentique exceptus est totius populi gratulatione, & apud templum ciuitatis maius hospitatus est. Eodem anno Mediolanenses ingenti prœlio à Cremonensibus superati, apud Castrum Leonis vexillum maius amiserunt.

Eodem anno Azzo senior Marchio Estensis Guelphæ factionis Dux in omni Lombardia nobilissimus, mense Nouembri, & Ludouicus Comes S. Bonifacij mortui sunt. Mortuo Comite S. Bonifacij Ludouico, eius factio à Monticulis vrbe exacta est.

1113 15 Aldobrandinus Marchio Estensis Azzonis F. PR.

Multi exules qui iureiurando accepto, nihil de prætoris fide dubitantes Veronæ manebant, ab eodem capti & in carcerem coniecti sunt. Marino Veneto Patauinorum prætore procurante, pax inter Veronenses & Patauinos reformata est. C

Monticulorum factio Duce Monticulo Veronam III. Idus Nouembris ingressa.

1114 16 Gerardus Cauipesacus Florentinus PR. abdicauit.

Eccelinus PR. suffectus.

Conspurcatam Abudoni vitijs pontificalem in Ciuitate dignitatem in pristinum splendorem reddidit, qui mox ei suffectus est, Norandinus. Siquidem vir ille fuit vitæ integerrimæ atque sanctissimæ, atque in pauperes vrbanos benignus admodum ac liberalis, quæ quidem res magnam ei apud populum vniuersum gratiam conciliauit. Eius mentionem extare vidi in archiuijs Episcopatus in diplomate eius XVIII. Kal. Octobris Ind. V. anno 1214. & apud S. Stephanum in eius archiuo an. 1215. Ind. 3. IIII. Augusti die. & in archiuo congregationis an. 1220. 23. Iulij. D

1115 17 Pecorarius de Mercato nouo Veronensis PR. Hic prætor quidẽ vir probus, rerumque gerendarum peritia clarus, pacem & concordiam inter factiones aduersas Veronę, dum in magistratu fuit, conseruauit.

1116 18 Albertus Comes de Casaloto Brixianus PR. Vxor Imperatoris Augusta Veronam hoc anno venit.

1117 19 Matthæus de Corrigia Parmensis PR.

1118 1 Azzo Pertegonus Bononiensis PR. coactus abdicauit.

Huguccio Crescentius Veronensis PR. suffectus.

Hoc anno V. Kal. Maij. Otho IIII. Imperator obijt.

IMP. CAES. FRIDERICVS II. ROGERIVS AVGVSTVS XIII. ex Germanis Romanorum Occidentis Imperator, regnauit & imperauit post Othonis IIII. mortem annos XXXII. menses VII. dies XVII. E

Eodem anno Veronæ Prætor Azzo Ghibellinæ factionis fautor, quum Guelphos persequeretur, à Comitum S. Bonifacij factione, non sine magna ciuitatis clade vrbe & magistratu exactus est, in quo tumultu Petrus Malladura Comitum Satelles partem prætorij Veronensis incendio consumpsit.

1119 2 Rufinus de Capite pontis noui PR.

1220 3 Huguccio Crescentius Veronensis PR. abdicauit.

Rizzardus Comes S. Bonifacij Veronensis PR. suffectus
Quum Cremonenses & Regienses exercitibus coniunctis, pagum & arcem Gonzagæ vltra padum ditionis Mantuanorum obsiderent, Mantuani à socijs Veronensibus subsidium petiere, qui vtriusque Reip. copijs comparatis Duce Huguccione prætoris hostes à Gonzagæ obsidione submouerunt.

Eodem anno Fridericus II. Imp. in Italiam veniens Romam profectus est vbi X. Kal. Decembris in Basilica S. Petri in Vaticano Augustus consecratus est ab Hugolino Episcopo Cardinale Ostiense Legato Domini Papæ Honorij III. tunc Perusij commorantis.

1221 4 Lambertus de Bonarello PR. in magistratu mortuus est men Septembri.

1222 5 Ricciardus Comes S. Laurentij in Columna Bononiensis PR. abdicauit.

Bonifacius Bononiensis PR. suffectus.

Hoc anno bello inter Veronenses & Ferrarienses exorto, prœlium acre cōmissum est, in quo maxime enituit Salinguerræ prætoris & principis Ferrariensis virtus. Cuius vi Veronenses omnes partim cæsi & fugati, partim capti sunt cum Prætore Ricciardo Comite, atque Ferrariam perducti: reliqui qui cladi superfuerant Veronam trepidi fuga elapsi sunt. Contigit Veronensibus hæc clades VI. Idus Iunii. In Ricciardi captiui locum PR. suffectus est Bonifacius. Verum haud multo post pace facta, pridie Idus Iulii Veronenses omnes cum prætore, qui capti fuerant, relaxati sunt. In eo prœlio nobiles Veronenses Aleardinus de Capite Pontis & Tosolinus de Castroforti cæsi sunt.

Eodem anno Tridentum vrbs Alpina in Veronensium potestatem opera Manfredi Cordouici deuenit: quò pro Rep. Veronensi Rectores missi sunt Antonius Nogarola, & Pax Lacisius nobiles Veronenses.

1223 6 Pecorarius de Mercato nouo Veronensis PR. ex factione Comitum.

Henricus VII. Friderici II. Augusti filius Rex Romanorum à Patre creatus est. Hoc anno exeunte VIII. Kal. Ianuarii die natalis Domini, maximus post hominum recordationem qui vnquam fuerit, terræmotus fuit, quò multę ædes Veronæ, & Brixiæ muri & Arx Marani in Valle Pulicella corruere.

1224 7 Lambertinus de Lambertinis Bononiensis PR. addicauit.

Ioannes Laurentius Bononiensis PR. suffectus.

Ad Ecclesiæ nostræ Pontificatum, vt mortuus est Norandinus, accitus est Adelardus, vir vt doctrina, ita etiam animi magnitudine præstans.

Huius mentionem extare animaduerti in tabulis Congregationis anno 1224. Ind. 12.

Hoc anno auctore Ricciardo Comite S. Bonifacii viro in vrbe nostra primario societate inter Remp. Veronensem Azzonē iuniorem & Bonifacium Marchiones Estenses inita, actum est vt bellum Ferrariensibus indiceretur, vt pulso Ferraria Tyranno Salinguerra, Marchiones Estenses, qui tum Ferrariæ extorres erant, reducerentur. Ingentibus igitur militum copiis comparatis, Ferrariensibus bellum indictum est, quo oppidum Fratæ, quod Salinguerrę pręsidio tenebatur, diu obsessum, tandem vi captum est XI. Kal. Mai. & à solo, omnibus qui ibidem reperti fuerant interfectis, euersum. Fratæ castello capto, arcem Bondeni super Padum sitam obsidione cinxerunt mense Septembri. Verum autumni tempestatibus superuenientibus rem imperfectam relinquere coacti sunt. Dum autem Castrum Fratæ obsideretur Ricciardus Comes S. Bonifacii Ludouici filius Sauri Nepos Dux factionis Guelphæ Veronæ, quo auctore id bellum susceptum erat, Ferrariam à Salinguerra euocatus, tanquam de pacis conditionibus tractaturo, contra iusiurandi fidem captus fuerat. Verum ex mandato Rectorum Lombardiæ coactus Salinguerra eum liberum dimisit, quum non iusto prœlio sed per fraudem & dolo rupta sacramenti fide captus fuisset.

Huius belli occasione Salinguerra Eccelinum iuniorem dictum de Romano Eccelini Monachi filium sororium suum, tunc primum ad bellicas res gerendas sollicitauit annum tunc agentem XXX iuuenem impigrum, audacem, callidum, & factionis Ghibellinæ

bellinę maiorum suorum exemplis accensum, studiosissimum, qui à patre Ecçelino Mo- A
nacho iam sene & solitariam vitam amplexo, ad bellicos laboris obeundos excitatus, qua-
lis futurus esset iam tum non paruum specimen dabat.

1225 7 Gaufredus de Pyrouano Mediolanensis PR. abdicauit XIIII. Kal. Ianuarii. Hoc anno
creatis omnibus pęnè XXC. Senatoribus è factione Ghibellina Leone de Carceribus au-
ctore, valida inter XXC. Optimates & Monticulos coniuratio facta est, vt Guelphos &
Comites S. Bonifacij Marchionumque Estensium factiones vrbe eijcerent. Quum autem
res exsequutioni haud ita facile mandari posset, sub huius anni finem protracta est. XXC
Optimatibus Leone de Carceribus auctore ex aduersa factione hoc etiam anno designa-
tis, cla ndestina in Comites S. Bonifacij coniuratio tandem erupit. Nam Comes Ricciar-
dus cum omnibus Guelphis vrbe exactus est, bona eorum publicata, ipsi relegati, domus B
& turres ad solum vsque prostratæ. In Prætoris locum abdicare coacti Reip. Dux siue
Dictator, quem Capitaneum populi vocabant, factus est ipse totius ciuilis dissensionis au-
ctor XIIII. Kal. Ianuarij Leo de Carceribus in sex menses.

1226 8 LEO DE CARCERIBVS CAP. POP. VERON. PRO PRÆTORE. Eodem
anno ex A. D. Kal. Iulij in locum Leonis de Carceribus Cap. Pop. Veronensis factus est.
ECCELINVS ONARIVS IIII. DE ROMANO CAP. POP. VERONEN.
Leo de Carceribus factionis Monticulanæ Dux exulum vim veritus Salinguerræ Ferrari-
ensis & Eccelini de Romano potentissimorum inter Ghibellinos virorum opem implora-
uit. Eccelinus quum Veronam ingenti comparato exercitu venisset, Ghibellinæ factio-
nis animos & res confirmauit, à quibus Kal. Iulij in reliquos sex anni menses Veronensis C
Reip. Dux siue Capitaneus generalis in locum Leonis abdicantis tunc primum factus
Remp. Veronensem partim sub factionis Ghibellinæ principis, partim sub Domini &
Dictatoris nomine annos XXXIII. menses II. & dies XXVII. occupauit.
Ioannes Rex Hierosolymorum Veronam hoc anno mense Maio venit.
Fridericus Imp. ex Germania discedens Italiam ingressus est.
Post Adelardum confestim Ecclesiæ nostræ præfuit Iacobus, vir qui præter innocentiæ &
egregij in Christianam Remp. studij laudem, nulla, quod quidem reperire potuerim, alia
insigni virtute clarus habitus est. Eius memoria extat in vita S. Theodori Episcopi Vero-
nensis, sub cuius Episcopatu eius diui cadauer inuentum est in Cathedrali cum hac inscri-
ptione. HOC. EST CORPVS. S. THEODORI. EPISCOPI. Et in S. Stephani ar- D
chiuo diuus dicitur anno 1226. Ind. 14. Kal. Februarii.

27 9 Manfredus Comes de Curte noua PR.
Hoc anno ex Prætoris Veronensis industria & studio, Rectorumque Lombardiæ aucto-
ritate Veronæ pax & societas inter Monticulos eorumque fautores, & Comites S. Bonifa-
cij facta est. Qua extorres omnes Guelphi inductis prioribus decretis ab exilio reuocati sũt,
& bona reddita, domusque ijs ex publico restitutæ. Pax autem in pago Nogariæ facta est.

1228 10 Petrus de Cordis Mediolanensis PR. Bonifacius Marchio Estensis obijt.

1229 11 Rainerius Zeno Venetus PR.
Hoc anno bello in Piceno exorto, quo multæ vrbes creatis sibi Tyrannis a sede apostoli-
ca defecerant, Gregorius Papa IX. auxilia à Lombardiæ populis in Ecclesiæ rebelles im- E
plorauit, & præsertim à Veronensibus, qui Pontifici gratificaturi sub Alberti Castellani,
Io. Lancij, Bonauenturæ Lilij, ciuium suorum cura, magnum militum numerum Ponti-
ficis auxilio in Picenum miserunt. Qui Ioanne Rege Hierosolymorum Ecclesiastici exer-
citus Imperatore ita prosperè gesserunt, vt multa oppida, quæ auctore Imperatore Fride-
rico II. ab Ecclesia Romana desciuerant, ad eiusdem sedis obedientiam reuocata sint. Hi
re egregie confecta Veronam reuersi sunt.
Eodem anno ex auctoritate Prætoris Veronensis fida pax & societas denuò inter aduersa-
rum factionum principes icta. Qui quum re obstrinxisset se seruaturos iussa Prętoris, is ar-
bitratu suo bonas æquasque pacis conditiones iis imposuit VIII. Kal. Augusti Guelpho-
rum

rum Duces Veronæ tunc erant Ricciardus Comes S. Bonifacij, Pecorarius de Mercatonouo, Gregorius de Moratica. Ghibellinorum vero Eccelinus de Romano XXC Optimates, Monticuli, & Gualuanius Turrisendus.

Eodem anno Veronæ VII. Kal. Augusti Guifredus Castilionus Mediolanensis presbyter Cardinalis Tit. S. Marci Apostolicæ Sedis Legatus, Veronæ publicauit anathema & diras, quas Gregorius Papa IX. in Fridericum II. Imp. tanquam hæreticum & persequutorem sedis Apostolicæ iecerat. Quo die etiam Eccelinus caput factionis Monticulanæ ex XXC Optimatum sententia, Veronensium copijs adiutus, Vicetiam vi cepit, eique Fratrem Albericum Prætorem dedit.

1230 12 Rainerius Zeno Venetus PR. abdicauit

Salinguerra Ferrariensis PR. suffectus.

Hoc anno VII. Idus Aprilis die Sancto Paschatis, seditione ciuili inter aduersarum factionum principes in campo Martio exorta, qua aliquot vtriusque partis ciues interfecti sunt, quum Reinerius PR. in seditionis remedium vtrasque partes Venetias abire iussisset, ambæ Prætoris edictis neglectis ad arma media in vrbe cucurrere, atrocique pugna commissa, III. Nonas Iulij Guelphorum pars succubuit, atque Ricciardus Comes S. Bonifacij, Pecorarius de Mercatonouo cum filio, Guillelmus de Lendenaria, Græcus de Moratica cum filio, Guillelmus de Zerlis cum duobus filijs, Donatus, Bonifacius, Ioannes de Palatio, Leo de Carcere, Constantinus Canonicus, Valerianus Bragancius & alij multi tum equites, tum pedites capti sunt, dirisque carceribus in ædibus Zerlorum, & Bonacursij de Monzambano mancipati atque compedibus ferreis vincti, & aliquot diebus post in publicis Prætorij carceres adducti. Domus & turres singulorum euersæ, & bona proscripta. Reinerius Zeno Prætor in rerum desperatione magistratu abdicauit, & Venetias profectus est. Cui statim ex Eccelini auctoritate Salinguerra Ferrariensis ab XXC Optimatibus suffectus est. Eodem anno circa Idus Nouembris Athesis, Padus, Meduacus, & plerique alij amnes supra modum crescentes alueis suis egressi sunt, maximasque strages & ruinas tum hominibus tum pecori attulerunt. Mense Septembri huius anni Patauini cum Prætore Stephano Baduario Vicetini qui ab Eccelino desciuerant, Mantuani, Marchio Estensis, Azzo Iunior exulum Veronensium precibus sollicitati ingenti comparato exercitu contra Ghibellinos Veronenses milites eduxerunt. Quo prælio Patauini & socij eorum Portum super Athesim, & Liniacum, quæ ab Eccelinis & Salinguerræ presidijs tenebantur, Item Bonauicum & Ripealtam, quę in ditione Huguccionis Crescentij erant, vi ceperunt & impositis præsidijs firmarunt, Veronensesq́; , qui in ijs fuerant, Veronam vsq́; fugientes persequuti sunt, multis ex ijs cæsis. Ab alia parte Mantuani cum eorum Prętore Laurentio Strata Brixiano agrum omnem Veronensem igne ferroque vastarunt, multas villas & castella Veronensium occuparunt, in queis Collem, Treuenzolum, Motam Abbatis, & Insulam scalarum, quæ omnia acta sunt contra Veronenses, vt Comitem Ricciardū, quē vinctum habebant, relaxarēt, quod tamē obtineri hoc anno nulla ratione potuit.

1231 13 Guido de Rhoa Medio lanensis PR.

Hoc anno exulum Veronensium & captiuorum fautores Guelphi exercitibus reparatis Veronam versus omnia igne ferroque vastantes iter arripuere, Mantuani quidem ab vna, Patauini vero ab altera parte, si qua ratione adducere possent Veronenses, vt Comitem Ricciardum relaxarent, quem captiuum tenebant. Veronenses autem quum sese tueri tot hostium impressionibus non possent, simul auctoritate Rectorum Lombardiæ commoti, Ricciardum Comitem & reliquos captiuos certis sub conditionibus liberos dimiserunt qui à Prætore Brixianorum, in cuius fidem relaxati fuerant, Brixiam primum deinde Placentiam deducti, Rectorum Lombardiæ auxilium implorarunt; quibus procurantibus in pago Villæ Francæ pax inter Comites S. Bonifacij & Monticulos firma facta est Idibus Iulij iniuriarū priorū quæ inter vtrasque partes intercesserāt perpetua obliuione decreta. Eodem anno VI. Idus Nouembris Veronenses, duce eorum Prætore Guidone Oppidum

Coloniolam, quod prioribus tumultibus ciuilibus rebellauerat, bello petitum in deditionem acceperunt, totumq; depopulati sunt, & ad solum vsq; euertere igne ferroq; vastatū. A

1232 14 Guido de Rhoda Mediolanensis PR. abdicauit.

Guillelmus Persicus Cremonensis PR. suffectus.

Seditione Veronæ orta ad Eccelini suggestionem, Guido de Rhoda Prætor cui ob res egregiè in tractanda pace gestas & auctoritate Rectorum Lombardię, magistratus in alium annum continuatus fuerat, magistratu & vrbe exactus est, eique ex Imperatoris Friderici II. arbitrio, qui tum Veronam venerat Guillelmus Persicus Cremonensis, in magnum vrbium fœderatarum dedecus suffectus. Arx quoque Riuolis; quæ ab ipso Prætore ex Mediolanensium copijs munita erat, quo Veronenses in officio faciliùs continuerat ab ijs expugnata est atque direpta.

Eodem anno procurante Eccelino de Romano Ghibellinæ factionis Veronæ Principe Idibus Aprilis Legatio Hostiliam missa est, primoribus Ciuitatis ad Imperatorem Fridericum II. qui tum ex Apulia discedens in Lombardiam venerat, qua vt Veronam veniret inuitatus est, qui Veronam venit, ibique aliquot diebus commoratus est. Kal. Martii Oppidum Portus super Athesim captum est. Inter Veronenses & Mantuanos bellum inchoatum, in quo multæ ab vtraque parte strages illatæ acceptæque. Eccelinus Taruisinis cum Azzone Marchione Estensi belligerantibus præsto fuit. Quum autem tota ferè Marchia Taruisina continuis seditionibus mirū inmodum afflicta esset, Gregorius IX. Papa duos Legatos Cardinales Iacobum Episcopum Prænestinum, & Othonem Diaconū Card. S. Nicolai in carcere Tulliano, pro huius prouinciæ discordijs componendis misit, simulque vt eam à Friderici II. Imperatoris amicitia auerteret, qui postquam Veronam venerunt, diu multumque laborarunt vt inter ciues pacem aliquam componerent. Acceptisque ab vtraque factione iuramentis, obsidibusq; de pace seruanda, eam in Ronci terręque villis, publicis instrumentis editis transegeruut. Mox vt Cardinales Romam versus pace facta profecti sunt, male sarta concordia in primas grauioresque ijs seditiones erupit. Siquidem Mantuani ab vna parte, Patauini, & Vicetini, ab altera ad Comitum S. Bonifacij & Guelphorum suggestionem agrum Veronensem hinc inde longè latèque vastarunt. Mantuani enim sub eorum Prætore Balduino Comite Casalati in regione Tilionis, pagum Nogarolæ, Bruciolum, Pontem Posserum, Paludem, Treuenzolum, Insulam altam, Pouilianum, Vigasium, Insulam Scaligerorum, Fagnanum, Badolonum, Nogaram Saliciolas, Sanguinetum, & alia multa oppida populati sunt, & quædam ex iis incenderunt. Alia parte Patauini, & Vicetini, adducto Marchione Azzone Estensi Iuniore Bonadicum primo obsidione cinxerunt, & captum solo æquarunt; Ripæ altæ villam excidere, arcem certis sub conditionibus in deditionem redegerunt, quam Huguccio Crescentius tenebat. Incenderunt vero Motam, Roburclaram, Brachium, Domum nouam, pagū vero Ceretæ, omni hostili incursione incolumen præstiterunt, quod se IIII. ∞ & D. librarum pensione cum hostibus composuisset XX. ab his obsidibus acceptis in solutionis firmitatem. Patauini interim Oppeanum vsque processerant, vbi Eccelinus se in insidijs collocarat, quos Oppidum expugnare incipientes aggressus, magna in eos cæde desæuijt, ita vt maior pars factionis Comitum S. Bonifacii illic fuerit ad internecionem vsque cæsa. E

1233 15 Guicciardus Comes Realdesci PR. Abdicauit.

Robertus Pius de filiis Manfredi Mutinensis PR. Suffectus.

Hoc anno IIII. Nonas Aprilis Oppidum Calderium quod factionis Comitum S. Bonifacii erat, auctore Eccelino combustum est, quo incendio homines vtriusque sexus CC. multi equi, muli, boues, & asini cum infinitis vtensilibus comsumpti sunt. Arx eius ab Eccelino capta & munita, Comitesque qui subsidio venerant, ab eodem cæsi & fugati. Guelphi vrbe exacti quum totam Lombardiam contra Eccelinum concitassent, Mantuani, Bononienses, Mediolanenses, Brixiani fœdere interse aduersus Veronenses icto ingentes copias in agrum Veronensem eduxerunt, pagosque Villam Francam Sumam, Bussolengū, Sum-

mam

mam Campaneam, Plebicianum, Palatiolum, Insulam altam, & alia multa oppida diripuere. Quumque res ad peius spectaret, Ioannes quidam Vicentinus Ordinis Prædicatorum, qui vitæ sanctimonia, eloquentiaque celeberrimus erat, tot malis & discordijs excitatus Bononia, vbi manebat discedens, Veronam versus venit, rebus Veronensium afflictis, liberfactatisque intercedente aliquo fœdere consulturus. Cuius demum studio, & industria facundissimisque declamationibus post multas prædicationes in omnibus ciuitatibus habitas, factum postremo est, vt inter Ferrarienses & Salinguerram eorum regulum Mutinenses, Patauinos, Taruisinos, Vicetinos, Mantuanos, Brixianos, Veronenses, Comites S. Bonifacij & de Camino, Itemque Eccelinum, & Monticulos pax fida interpositis sacramentis iusiurandis facta sit, atque omnes sibi inuicem quascunque iniurias remiserunt. Ipse vero concione ex omnibus his populis in Veronensi suburbio secundum Athesim propè Tumbam evocata, cui plusquam CD ∞, hominum interfuisse traditur elegantissima cócione habita, pacem & fœdus pronuntiauit, in quo fidia Alberti de Romano Fratris Eccelini Rainaldo Marchioni Estensi nupsit.

Eodem anno Bononienses Hostiliam Veronensium Oppidum per dolum occuparunt.

1234 16 Robertus Pius Mutinensis PR.

Henricus VII. Rex Romanorum Friderici Imp. II. filius potestate Regia à patre priuatus anno sequenti tetro in carcere mortuus est.

Frigus omnium post hominum memoriam ita maximum fuit, vt arbores omnes obriguerint, amnes glaciati sint, aues, & animalia siluestria infinita fame contabuerint.

Veronę pons lapideus additis marmoreis in fluuio pilis & fornicibus refectus est, qui ante ligneus erat.

Vix pacis annus transierat tantis laboribus factę, quum Brixiani & Mantuani fracto fœdere agrum Veronensem crebris incursionibus vexare ceperunt, quo bello ab iis Gebetum, Bobonum, Roncum, Oppeanum, Palus, Insula Porcaricia, Bodolonum, Cereta, Veronensis ditionis oppida expugnata sunt & incensa, magnęque ex his locis prędę abactę. Factum est hoc mense Maio & Kal. Iuniis solutis exercitibus prędę opulenti domum reuersi sunt.

Eccelinus Dux Reip. Veronensis Albaretum castrum quod desciuerat recepit: Coloniã obsedit, à cuius obsidione metu Azzonis Marchionis Estensis discessit. Ricciardus quoque S. Bonifacii Comes in regione Tilionis multa Veronensibus damna intulit Mantuanorum pręsidiis adiutus, Pontem Posserum, & S. Michaelem occupauit. Eccelinus verò Vicetiam versus bellum extendens, oppida aliquot & pagos ditionis Comitis S. Bonifacii cępit.

1235 17 Robertus Pius Mutinensis PR. abdicauit.

Rainerius Bargarellus Perusinus PR. suffectus.

Quorum exitiabilibus intestinisque discordijs iterum motus Gregorius Papa IX Episcopos Titum Taruisinum, & Nicolaum Regiensem Legatos Apostolicę sedis Veronam cum F. Ioanne misit. Ex quorum auctoritate pax reformata est inter dissidentes Ciues, Pretorque arbitrio Pontificis electus est Rainerius Bagarellus Perusinus.

1236 18 Rainerius Bagarellus Perusinus PR. abdicauit

Eccelinus Onarius de Romano } Rectores Reip. Veronensis pro Pretoribus.
Bonifacius Comes de Panico }

Cunradus IIII. Rex Romanorum Friderici II. Augusti F. Cęsar à patre appellatus est.

Ghibellini ad arma vesano furore acti concurrentes Guelphos & Comitum S. Bonifacii vrbe eiecerunt, Pretori magistratu abrogato, Eccelinum de Romano & Bonifacium Comitem Panici Rectores Reip. sine Pretore in reliquum anni tempus crearunt. Guelphorum exactorum domos & turres euertere, bonaque proscripserunt. E contra Comes Ricciardus vrbe extorris ingentia agro Veronensi damna in dies inferebat, Arce Gardę occupata.

Gebheardus Imp. Fridericii II. Dux, Veronam venit. A

Eodem anno XIX. Kal. Septembris Imp. Fridericus II. Augustus Veronam ingressus est, & die sequenti Cremonam versus tendens discessit. Imperatoris discessu cognito Patauini, Vicetini, & Taruisini in agrum Veronensem incursiones frequentes actitarunt. Ripaque alta obsidione cincta, Imperator Veronensium auxilio reuersus est. Cuius aduentu territi hostes ab obsidione recesserunt. Interim Imperatoris exercitus cum Eccelino tot illata Veronensibus damna vindicaturi Vicetiam profecti sunt, quā quum cepissent acerbè nimirum acriterque deprædati sunt. Azzone Marchione Estensi Prętore exacto, Guillelmus Vicecomes Mantuanus ab Imperatore creatus est Prętor.

1237 19 Gerardus de Douaria Cremonensis PR.

Patauini Vicetinorum casu perculsi, sese Imperatori Eccelinoque dediderunt VI. Kal. Martij, quorum & Vicetinorum cum Veronensi militijs assumptis, Eccelinus Castrum S. Bonifacij obsidione cinxit, quæ quum in longum protracta esset, obsessi tandem Imperatori se tradiderunt. Qui oppido Montisclari capto, aduersus Mediolanenses rebelles exercitum duxit, eosque ingenti prelio vicit D. cæsis & plus mille captis. B

Eodem anno Imperatrix Augusta Veronam venit.

Imperator, quum Comitem S. Bonifacij fide data ad se euocasset, frustra eum ad pacem adhortatus dimisit.

1238 20 Bonacursius de Palude Parmensis PR.

Imperator post ingentem de Mediolanensibus adeptam victoriam Veronam XVIII. Kal. Iunij reuersus est. Quo anno die Pentecostes Seluagiam filiam suam spuriam Eccelino de Romano desponsauit. C

Eccelinus de Romano & Prætor Veronensis educto exercitu Vrbano Montagnanam ex ditione Marchionis Azzoni Estensis, obsedere Castellarium, Moraticam, & Hostiliam vi de Mantuanis receperunt: Patauij seditione inter factiones exactas, pulso Marchione Estensi Azzone Eccelini pars prȩualuit, vrbisque imperio integrè potitus est.

Eccelinus Patauio & Vicetia potitus, Imperatorisque gener factus, quum animum ad occupandam etiam Veronam conuertisset, eique ab XXC Optimatibus repugnaretur, nouam Reip. rationem excogitauit, qua ab optimatibus ad plebem etiam Imperium vrbis tranferretur, vt facilius vrbe diuisa eius adipisci posset imperium. Eiusmodi autem ratio fuit.

Quemadmodum antea XXC tantum Senatores ex nobilibus lecti erant, quingentos ex omni populo factos constituit, quorum omnium eadem potestas esset, quæ antea XXC tantum fuerat. ex quingentis his XXC etiam more veteri lecti, sed qui nil prȩceteris, præter inanem nominis vmbram, dignitatis obtinerent. Hi omnes vnà cum artium magistris Reip. summam curabant. Nam diuisa in quinque regiones vrbe, tres ciues ex singula regione sortito lecti sunt qui XV numerum explerent, ex quibus octo artium magistri vocabantur, septem reliqui Antiani. His additus Iurisperitus Antianorum Iudex vocatus. Horum XVI munus erat ius in Prætorio dicere, & quicquid ex quigentorum Senatorum consulto decretum esset cum Prætore exequi, penes hos erant vrbis portarum claues, & sigillum ciuitatis publicum. Noua hac Reip. ratione ex Eccelini auctoritate facta, nouæ etiam leges & decreta instituta sunt ad Reip. regimen, quibus facile & breui tempore Eccelinus ipse vrbis principatum occupauit nemine contradicere auso. Eiusmodi Reip. forma vsque ad Scaligerorum principatum Veronæ perdurauit, a quibus sublata est. D E

1239 21 Bonacursius de Palude Parmensis PR.

Hoc anno VII. Kal. Augusti Bonacursius Prætor & Eccelinus factionis Ghibellinæ Veronæ Princeps iurarunt in verba Friderici II. Imperatoris, sacramentum suscipiente Conrado Cæsare eiusdem Augusti filio, cuius iuramenti Instrumentum fecit Petrus de Vineis Imperatoris magnus Cancellarius. Imp. Fridericus II. Veronam venit, hinc Vicetiam,

Pata-

Patauium, & Taruisium profectus est, in cuius verba omnis Marchia Taruisina iurauit. Ricciardum Comitem S. Bonifacij bonis eius publicatis proscripsit, perpetuoque exilio ab vrbe Verona submouit. Calderium, quod in Episcopi Veronensis ditione erat, ab Eccelino captum & dirutum.
Athesis crescens ita alueum suum superauit, vt omnes Veronæ pontes contriuerit, quinquaginta molendinos fregerit, & magnam murorum Veronæ partem dissipauerit, infinitaque Veronensibus mala intulerit.
1240 22 Huguccio de Corte Parmensis PR.
Eccelinus princeps Oppidum Orsenici situm in Valle Agarina Imperatoris nomine de Turrisendo cepit.
Ferraria capta a Guelphis, Salinguerra eius Tyrannus vinctus Venetias deductus est, vbi paulo post obijt. Azzo Marchio Estensis Vicarius Pontificis ex auctoritate Gregorij Papæ IX. Ferrariam obtinuit.
1241 23 Henricus de Egna PR.
Bello inter Mantuanos & Veronenses exorto, Mantuani prœlio victi sunt & fugati, Gerardo Raugone Mutinensi PR. eorum occiso.
Manfredus post Iacobum ad summum confestim in ciuitate Veronensi Sacerdotium peruenit Iacobi Scaligeri filius. Qui quidem de familia Scaligerorum, quæ priuata in ciuitate tum erat, primam hac in vrbe dignitatem per hæc tempora adeptus, ita se in ea moderatus est, vt nemo in illo vnquam, quam diu Pontifex fuit neque doctrinam, neque pietatem innocentiamue ac cæteras omnes præclaro Antistite dignas virtutes desideraret.
1224 24 Henricus de Egna PR. Abdicauit.
Gibertus de Viuaro PR. Suffectus.
Eccelinus priuatas opes etiam augere volens, publicis non contentus, Oppida Monticulis & Montisbelli inuasit, quum ea extorsisset à Dominis. Montagnana à Veronensibus de Marchione Estensi capta & munita ab Eccelino, quæ eodem anno Oppida Arcolis, Vestinæ, Bobuleæ. Solum fori publici lapidibus magnis quadratis stratum. cum Mantuanis bellatum.
1243 25 Ghibertus de Viuaro PR.
Cum Mantuanis, & Brixianis, & exulibus Veronensibus etiam hoc anno bellum gestum est, in quo ab hostibus Castrum Gazium occupatum, Oppidum & Arx Villæ Francæ a Veronensibus restituta, fossa in campis Veronensibus ab vrbe vsque ad Insulam Scalarũ deducta. Villa Pinta, quã Veronenses de Mantuanis anno superiori ceperant, per proditionem à Mantuanis iterum occupata est. Castrum Nogaræ restitutum. De aliquot proditoribus Veronensibus supplicia publicè sumpta, bona publicata, & domus à fundamentis euersæ. Multa ab exulibus in agro Veronensi damna illata, Treuenicolum ab ijs captum, & alia complura oppida & excisa, in quibus Arx. S. Bonifacij fuit.
1244 26 Ghibertus de Viuaro PR.
Hostilia ditionis Veronensis oppidum a Mantuanis & Estensi Marchione captum. Ingens omnium rerum in Lombardia penuria, qua multi mortales fame periere.
1245 27 Ghibertus de Viuaro Vicetinus PR.
Fridericus II. Imp. ex Apulia Veronam cum CCC. equitibus Elephantum adducens, Item eius filius Chunradus Rex Romanorum ex Germania cum CC. equitibus, Regis Castellę filius, Balduinus Imp. Constantinopolitanus, Duces Austriæ, Carentanæ, Morauiæ, Bauariæ, Comites Tyrolis, Sabaudiæ, Episcopi Brandeburgensis, Brixiensis, Tridentinus, Vicetinus, & complures alij cum Abbatibus Principibus & alijs id genus multis hominibus Veronam venere pro contrahendo matrimonio inter Imperatorem & filiam Ducis Austriæ.
Eodem anno XI. Kal. Iulii in Concilio Lugdunensi Innocentius Papa IIII. imperium Friderico II. abrogauit, in eius locũ in schismate ab aliquot Germanię principibus factus est

CAE-

CAESAR HENRICVS VIII. Rex Romanorum ex Lantgrauio Hassiæ & Thuringiæ qui regnauit annum I. A

1246 28 Henricus de Egna II. PR.

In multos Ciues Veronenses proditionis insimulatos iussu Tyranni Eccelini ab Henrico Prætore sæuissimè animaduersum.

CÆSAR GVILLEMVS REX ROMANORVM. Ex Comite Hollandiæ in schismate contra Fridericum II. ab aliquot Germaniæ Principibus, post Henrici VIII. mortem ex Romani Pontificis auctoritate creatus regnauit annos ferè IX.

1247 29 Henricus de Egna II. PR. in magistratu occisus est, in eius locum factus est Eccelinus de Egna PR.

Fœdere inter Mantuanos & Veronenses icto, captiuorum commutatio facta est. Prœlium atrox & magna vtrinque cædes facta inter Eccelinum,& Comitem S.Bonifacii Ricciardum Marchionemque Estensem super Mincium. Victoria penes Eccelinum fuisse visa est,Parma,quæ ab Imperatote rebellauerat, ab eodem obsessa. B

1248 30 Natalinus de Carrauagio PR.

Eccelinus congregato ingenti suæ factionis exercitu in agrum Mantuanum multas excursiones fecit, ingentemque pecorum hominumque summam captiuos abegit, omnibus igni ferroque vastatis.

Parmenses obsessi Imperatoris exercitu cæciderunt.

1249 31 Araldus de Monticello PR.

Encius Sardiniæ Rex filius Imp. Friderici à Bononiensibus prœlio victus & captus est. Eccelinus Atesten proditione occupauit, Marchionis Azzonis præsidio cæso. C

1250 32 ECCELINVS ONARIVS DE ROMANO PRINCEPS ET VERONAE DICTATOR. Petrus de Formanica PR.

Eccelinus hoc anno se Dictatorem Reip. Veronensis & summo cum imperio Principem pronunciari fecit, Senatu Veronensi rerum administratione pulso. Quo anno Montem silicis occupauit, fossam agri Veronensis ingentẽ repurgauit. Seluagia vxore Eccelini mortua, ipse secundam duxit Ingranatam filiam Bonacossi Maltrauersi.

Hoc anno Idibus Decembris obiit Ferentini Imp. Fridericus II: in eius locum in schismate contra Guillelmum Cæsarem successit

CAESAR CHVNRADVS IIII. REX ROMANORVM. Friderici II. Filius qui regnauit annos VII. Men. V. dies X. D

1251 1 Eccelinus Dictator pro PR.

Eccelinus cum Veronensium, Patauinorum, Tridentinorum, & Vicetinorum exercitu agrum Mantuanum infestans, multa eorum oppida & villas cepit, & diripuit. Chunradus Cæsar in Lombardiam veniens pacem & fœdus Goithi in agro Mantuano inter Lombardiæ populos liberos & Eccelinum fieri procurauit.

1252 2 Huguccio de S. Iustina Patauinus PR. in magistratu occisus est. In multos Ciues Veronẽses,& Patauinos,& Prætorem ipsum,proditionis & criminis lesæ maiestatis conuictos ab Eccelino ad necem sæuitum.

1253 3 Buzacharinus de Buzacharinis Patauinus PR.

Ricciardus Comes S. Bonifacij Guelphæ factionis nobilissimus in Lombardia Dux, belli pacisque artibus clarissimus Brixiæ obiit, sepultus ad Prædicatores. E

1254 4 Albertus Macagnus Patauinus Vicarius Eccelini Dictatoris pro PR.

XI. Kal. Iunij obijt Rex Chunradus Cæsar Neapoli.

Eccelinus multos ciues ex primarijs Veronensibus sæuissimè interfecit.

1255 1 Petrus Pengotus
Bennenutus Fauolessa } Vicarij Veronæ pro Eccelino Dictatore pro PR.

Cæsare Guillelmo hoc anno vita functo interregnũ fuit annorum II. & mensium aliquot. Tyrannus sæuissimus & carnifex Eccelinus fratrem Giramundum occidit, cuius nefarijs facino-

facinoribus excitati populi qui ei parebant, tumultari cæperunt, initio à Tridentinis facto qui hoc anno auctore Losolcho Prætore eorum multis ciuibus conscijs ab immanissima bellua defecere, excisoque eius præsidio se ipsos in libertatem vendicarunt.

1256 2 Bonifacius de Marostica
Prosdocimus Patauinus } Vicarij Veronæ pro Eccelino Dictatore pro Prætores.

Dum Eccelinus exercitum in Mantuanos eduxisset, omnibusque agri Mantuani villis, agris, Oppidisque igne ferroque crudelissime deletis, Mantuanum obsidere festinaret, Patauium ei ereptum est à Guelphis, qui Philippo Fontanensi Archiepiscopo Rauennate, & Alexandri Papæ IIII. Legato, & Azzone Marchione Estensi Ducibus, bellum maximum aduersum Eccelinum comparauerant, in fœderis societatem exulibus Veronensibus, Bononiensibus, Mantuanis, Venetis accitis. Patauio de immanissimi Tyranni potestate educto, omnes ferè agri Patauini Oppida & Pagi in Ecclesiasticorum Guelphorũ ditionem venerunt Eccelini Tyranni presidiis pulsis, vel ad internecionem cæsis. Quibus rebus ab Eccelino cognitis, omnes quos apud se habebat tum Veronæ tum in exercitu Patauinos crudelissime ad internecionem occidit. Quumque aduersus Patauinos ingentem exercitum eduxisset, obsidioneque per aliquot dies Patauium cinxisset, vrbem egregie Guelphis tuentibus turpiter & sine fructu Veronam redire coactus est. Quó tempore Leniacenses & Colonienses, Patauinorum exemplum sequuti, aliquot primariis ciuibus auctoribus à Tyranno cæsis eius Prætoribus & præsidiis ad Marchionem Estensem desciuere.

1257 3 Carus Vicetinus
Zacharias Ferrariensis } Vicarij Veronæ pro Eccelino Dictatore

Eccelinus tot rebellionibus exagitatus, quum in quos iram suam effunderet alios non haberet, in vniuersos Veronenses Ciues desæuire cepit, infinitosque ex iis hoc anno occidit, in quibus præcipui fuere Fridericus & Bonifacius Scaligeri fratres, cum Boninsegna de Clauica genero eiusdem Friderici, quos proditionis insimulatos nefarie interfecit. Albericus de Romano qui hactenus Eccelino fratri suo hostis fuerat, pacem cum eo hoc anno fecit, Taruisiumque cui diu prefuerat eidem concessit.

1258 1 CAESAR RICHARDVS IO. REGIS ANGLOR. F. Rex Romanorum creatus VIII Idus Ianuarij ex Comite Cornubie regnauit annos VI.

CAESAR ALPHONSVS FERDINANDI REGIS F. REX ROMANORVM creatus in Schismate contra Richardum à Principũ Germaniæ parte prid. Kal. Apr lis ex Rege Castelle, regnauit an. XV. men. VI.

Thomas de Mansione
Zacharias Ferrariensis } Vicarij Veronæ pro Eccelino Dictatore

In Veronenses plures maiestatis reos ab Eccelino acerbè animaduersum, Manfredo Scaligero successit Episcopus Cossadocca, qui hoc anno vna cum Philippo Archiepiscopo Rauennate Legato Apostolicæ Sedis & plerisque aliis factionis Guelphæ duobus proelijs victus in agro Brixiano captus est à Tyranno, & Veronam vinctus cum reliquis adductus; quo proelio fractis Brixianorum animis, se suaque Eccelino tradiderunt, Brixiaque hoc anno potitus est. Verum anno sequenti Eccelino mortuo, Episcopus è custodia eductus non longe post obiit.

1259 2 Buzacharinus Patauinus
Zacharias Ferrariensis } Vicarij Veronæ pro Eccelino D. sine Prætore.

Hoc anno V. Kal. Octobris Eccelinus mortuus est.
Et Veronenses amissam libertatem recuperarunt
Antonius de Formaniga PR. suffectus abdicauit.
Mastinus Scaliger Veronensis PR. Suffectus.
Hoc anno Mantuani, Cremonenses, Mediolanenses, Bergomates, & alii plerique Lombardiæ Populi facta coitione Vberto Pallauicino, & Dossio de Douara Ducibus bellum

lum aduersum Eccelinum renouarunt. Qui contra hostes cũ militia sua profectus, quum exercitum trans Abduam trajiceret propè Cassanum, sagitta vulneratus, & captus est, exercitus eius fugatus & ad internicionem cæsus. Soncinum vero ductus ex vulnere & captiuitatis dolore mortuus est. Hicque fuit exitus nefandissimi Tyranni, qui per annos XXXIII Remp. nostram oppressit. Morte eius Veronę audita, statim Veronę Prętor creatus est ex Eccelini factione Antonius de Formanica VI. Nonas Octobris. Quo tempore tumultu Veronę facto omnes ex factione Eccelini ciues interfecti sunt. Et Prętor ipse abdicare coactus, cui statim ab omni populo suffectus est Mastinus Scaliger nobilissimus Ciuis Iacobini Filius. Hic nobilissima gente Scaligera ortus ex factione Ghibellina paulo post Veronę Princeps creatus est. A

1260 3 Mastinus Scaliger Veronensis PR. abdicauit. B
Andreas Zeno Venetus suffectus.
Fœdere ab omnibus ferè Marchię Taruisinę & Lombardię populis icto, bellum aduersum Albericum de Romano comparatum est, quum eius Tyranni reliquias persequi placuisset. Qui se ipse in arce munitissima S. Zenonis agri Taruisini cum vxore & filiis & aliquot fidissimis militibus concluserat: Arcem obsidione cinctam, post aliquot menses expugnarunt, Albericumque cum vxore & filiis interfecerunt, ne quis ex ea gente superesset, qui vniuersam prouinciam hanc tam fœdè diu lacerauerat & ad nihilum ferè redegerat. Pax inter ciues facta & inter Ghibellinos & Comitem S. Bonifacij Ludouicum, qui Veronam accitus est, atque ab exilio reuocatus.

1261 4 Marcus Vrsus PR. C
Portus, Liniacum, Lauanium, & aliquot prętereа agri Veronensis oppida in Veronensium ditionem redacta, quum antea à Comitibus S. Bonifacij occuparentur. Cuius expeditionis Dux cum Prętore fuit Mastinus Scaliger, qui ex prętura primariam in vrbe potestatem tanquam factionis Ghibellinę caput obtinuerat à Ghibellinis ipsis, quo factionem suam stabilirent, creatus.

1262 5 MASTINVS SCALIGER VERONENSIS à Senatu Populoque, Veronensis Dux Reip. nostræ, & Capitaneus Generalis omnium suffragijs creatus, Reipublicæ summo cum imperio præfuit annos XVI.
Marcus Zeno Venetus PR.
Cossadocham mox sequutus est Manfredus summo loco Regij Lepidi ex familia Roberta natus, vir his temporibus & sanctitate & eloquentia admodum clarus. Sedit in Episcopatu Veronensi annos plus minus sex. Hoc enim anno creatus, anno ∞ CCLXIIX mortuus est, vt ex F. Salimberti Parmensis Ordinis Minorum chronicis intelligitur. D
Hoc anno Die Dominico XVI Septembris Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini sub P. Norandino Priore venerunt de loco S. Augustini extra Portam Episcopi ad habitandum Monasterium S. Euphemiæ Veronæ.

1263 6 Philippus Belegnus Venetus PR.
Idibus Septembris tumultu populari Veronæ orto, Guelfi, & Comes Ludouicus S. Bonifacij vrbe exacti sunt, & publico edicto perpetuo exilio condemnati. Reducti autem postea anno Domini ∞ CCCXXXI. fuerunt, Scaligeris iam in vrbis imperio confirmatis reductoque priore decreto. Cæterum Mastinus Princeps eidem Comiti exilium indulsit, quo postea in eum coniurante occisus est. E

1264 7 Gerardus Pius Mutinensis PR.
Turisendus de Turisendis exul Veronensis captus, & dimissus. Cæsar Riccardus occisus est. Solusque regnauit Alphonsus.

1265 8 Henricus Regiensis PR.
Turisendus de Turisendis, Pulcinellus de Carceribus nobiles Veronenses exules restituti. Tridentum, quod sub Eccelino defecerat, à Mastino receptum.

1266 9 Ioannes Belegnus Venetus PR.

Mons-

Monsbellus, Leonicum, Monticulum à Mastino Duce in deditionem accepta in agro Vicentino, opitulante Cotia, Vitalis F. ex nobili, & antiquissima familia Cotia Viceti-na orto.

1267 10 Eccelinus Lambertaccius Bononiensis PR.

Churandus Iunior Rex Siciliæ ex Germania contra Carolum Regem proficiscens Veronam venit.

1268 11 Albericus Soardus Bergomas PR. sponte abdicauit.

Leonardus Dandolus Venetus PR. suffectus sponte abdicauit.

Bonifacius de Castro Barco suffectus.

Seditione ciuili Veronæ subito inter penè mortuas factionum reliquias excitata, Turrisendus occisus, & Pulcinellus vrbe exactus, & relegatus cum eius factione, quæ quum biennio agrũ Veronensem vexasset, postremo Mastini Principis studio omnino extincta. In ea seditione Leonardus Dandolus PR. abdicauit. Quo anno Principi Mastino, quum esset Ticini PR; filius natus est nomine Nicolaus. Proximus post Manfredum Robertum Regem Ecclesiæ nostræ Episcopus creatus est Guido Scaliger ex Archipresbytero Congregationis, hoc ipso anno, qui sedit in Episcopatu Veronensi annos plus minus VII. Nam anno ∞ CCLXXV. mortuus est. Cuius in tabulis Instrumentorum Congregationis Veronæ mentio est, quum esset Archipresbyter Congregationis anno 1265.

1269 12 Bonifacius de Castro Barco PR.

Aliquot milites Vicetini, qui in præsidio erant arcis Sancti Bonifacij de fide suspecti capti sunt, & Veronam adducti, re per questiones examinata.

1270 13 Gherardus Pius Mutinensis PR.

Castrum Masiorum, quod erat in potestate Vberti de Tabula Veronensis exsulis, Reip. restitutum, & ipse Vbertus ab exilio reuocatus.

1271 14 Gherardinus Pius Mutinensis PR.

Multa statuta, & decreta ad optimum Reip. nostræ statum conseruandum à Senatu facta ex Martini Principis auctoritate facta. Inter quę pagorum, & villanum præfecti sc hedulis comitijs publicis in prætorio habitis creari cœpti sunt.

1272 15 Andalo de Andalo Bononiensis PR.

Pax inter Veronenses, & Mantuanos icta.

1273 16 Andalo de Andalo PR.

Prætorium nouum Veronæ restitutum, & ampliatum, & area fori facta cum pergulo quo orari solet, vbi etiam condemnationes pronunciantur. Cæsar Alphonsus Rex Romanorum sponte abdicauit in eius locum factus est

CAESAR RODVLPHVS REX ROMANORVM, ex Comite Habspurgensi creatus Kal, Octobris, regnauit annos XVII.

1274 1 Andalo de Andalo Bononiensis PR. in magistratu mortuus est. in eius locum factus est

Ioannes Bonacosius Mantuanus PR.

Albertus Scaliger Veronensis Mantuæ PR. creatus.

1275 2 Ioannes Bonacosius Mantuanus PR.

Episcopatum Veronensem post Guidonem Scaligerum hoc anno adeptus est Timides frater ordinis Minorum S. Francisci, vir pius & eloquens, atque in exponendis sacris litteris exercitatus. Hic annos tres tantum Episcopus fuit, obijt enim anno ∞ LXXVIII. cuius in antiquo codice Basilicæ S. Euphemiæ Veronę sic mentionem fieri inueni. Anno Domini ∞ CCLXXV. die Dominico VII. Augusti fuit positus primus lapis Ecclesiæ nouæ per Magistrum Bonincontrum Ecclesiæ Maioris Archipresbyterum, de licentia & mandato Domini Guillelmi Ferrariensis Episcopi tunc Apostolicæ sedis Legati, & erat illo tempore Frater Timideus electus Episcopus Veronensis, & nondum confirmatus.

Hoc anno Veronæ ingens penuria fuit.

1276 3 Ioannes Bonacossus Mantuanus PR. A

Hæreticorum conventiculum Sirmione inuentum, & hæretici omnes vsti.

1277 4 Ioannes Bonacosius Gambagrossa Mantuanus PR.

Hoc anno VII. Kal. Nouembris conspirationes aliquot aduersæ factionis ciuium factæ, Mastinus Scaliger Princeps Veronæ occisus est in foro, & apud S. Mariam antiquam sepultus. Conspiratorum qui capi potuere capite cæsi sunt, qui fugerunt perpetuo atrocique exilio cum suis posteris damnati. In locum defuncti Mastini, omnium Reip. Rectorum totiusque Senatus & Populi suffragijs

ALBERTVS SCALIGER IACOBI F. II. DVX. Mastini frater Dux & Capitaneus generalis summo cum Imperio Reip. præpositus est, qui imperauit annos XXIII. menses X. dies XVI. B

1278 5 Petrus Ioannes de Ripa PR.

Albertus Veronæ princeps appellatus vir fuit humanus, benignus, mitis, & à populo mirum in modum dilectus.

Colonia oppidum Patauinis restitutum.

F. Timideo in pontificali munere administrando successit hoc anno Fr. Bartholomæus Monachus Ordinis S. Benedicti, quem honorifico admodum apparatu, pompaque, spectante vniuerso clero & populo Veronensi iussu Patriarchæ Aquileiensis, Episcopi Anonensis, Heracliensis, & Arheniensis in Ecclesia vrbis maiori consecrarunt. Grauis porrò hic vir fuit, religionis ac ceremoniarum sacrarum perquam studiosus. Huius in archiuis Episcopatus mentionem fieri inueni Dat. Menses Decembris Ind. VII. anno 1279. Item in Tabulis Monasterij ad Galeram eius Episcopi & Bonincontri Archipresbyteri maioris Ecclesiæ Veronæ 21. Maij 1287. Ind. X V. & in archiuo Canonicorum eius Episcopi electi & Bonincontri Archipresbyteri XXX. Septembris an. 1278. Ind. VI. Obijt autem anno ∞ CCXC. . . . VI. Idus Nouembris, vt ex anniuersariorum libris monasterij nostri didici. C

1279 6 Cencius Carbonesius Veronensis PR.

Pax cum Mantuanis & Brixianis à Veronensibus principe Alberto procurante, facta.

1280 7 Cencius Carboncellus Veronensis PR.

Pax inter Veronenses & Ferrarienses. Item Patauinos, & Marchiæ Taruisinæ reliquos populos, procurante Alberto principe facta. D

1271 8 Ioannes Bonacosius Gambagrossa Mantuanus II. PR.

1282 9 Ioannes Bonacosius Gambagrossa Mantuanus II. PR.

1283 10 Thomas Bonacosius Mantuanus PR.

Albertus cum Veronensium militia Tridentinos aggressus, eos domuit, & de sontibus supplicium sumpsit. Qui Albertum de Castrobarco ad inspiciendos fines inter vtrosque populos missum in carcerem coniecerant. qui liber factus & Veronam ductus paulo post obijt.

1284 11 Guillelmus de Castrobarco Veronensis PR. E

In antiquo codice Monasterij nostri S. Euphemiæ Veronę ita scriptum inueni Anno Domini ∞ CCXXCIIII. die Veneris XIII. Martii benedictum & consecratum fuit cœmiterium ante faciem Ecclesiæ & iuxta viam inter murum & Ecclesiam, vbi est sepultura Domini Bernardi. Fuit autem benedictum per duos Episcopos, videlicet per D. Fratrem Bartholomęum Episcopum Veronensem, & per Fratrem Augustinum ordinis nostri Episcopum Ciuitatis nouę.

1285 12 Guillelmus de Castrobarco Veronensis PR.

1286 13 Busonus Eugubinus PR.

Con-

Conspiratio in Albertum Principem inchoata antequam perfici posset detecta, auctorque eius Iacobus Vsarinus notarius relegatus.

1287 14 Io. Bonacosius Mantuanus PR.

Muri vrbis qui ab Athesi ad portam Episcopi extendũtur, quibus campus Martius inclusus est, hoc anno extrui cæpti, quadriennio post finiti sunt.

1288 15 Ioannes Bonacosius Mantuanus PR. in magistratu mortuus est. in eius locum factus est. Guillelmus de Gastrobarco II. PR. suffectus.

1289 16 Guillelmus de Castrobarco Veronensis II. PR. abdicauit.

Busonus Eugubinus II. PR. suffectus.

Obizzo Marchio Estensis Vxorem duxit Constantiam filiam Alberti Scaligeri Veronæ Principis.

1290 17 Busonus Eugubinus II. PR.

F. Bartholomeo Episcopo Fr. Petrus & monachus incerti instituti successit, vir spectatæ integritatis atque doctrinæ, ex gente Scaligera ortus.

1291 18 Busonus Eugubinus PR.

Hoc anno XVII. Kal. Augusti obijt Cæsar Rodulphus Rex Romanorum. Interregnum fuit eo mortuo mensium V. dierum XXI. Hoc anno VIII. Idus Maij Canis grandis Scaliger Veronæ postea Princeps principis Alberti filius natus est.

1292 1 Petrus de Gumelo Bergomas PR.

CAESAR ADOLPHVS DE NASSAV REX ROMANORVM creatus VIII. Idus Ianuarij regnauit annos VI menses V. dies XXVII. Patauini cõtra fœdus Castrum Baldi in agro Veronensi condiderunt, cuius rei controuersia per arbitros ab vtraque parte electos sedata est.

1293 2 Ioannes Valdinus Tiphernas PR.

Parma ciuilibus dissensionibus vexata ab Alberto Scaligero Veronæ Principe Rubeorum auxilio obtenta est Veronensiumque ditioni adiuncta. Canis Franciscus eius tertius genitus vrbis principatum pro patre obtinuit. Quo tempore idem Canis Regium etiam Lepidi ciuilibus discordijs fessum volentibus ciuibus obtinuit. Obizzo Marchio Estensis gener Alberti Principis obijt.

1294 3 Andreas Zeno Venetus PR.

Pax inter Veronenses, Vicetinos, & Patauinos facta contra Marchiones Estenses Azzonem & Franciscum. Vnde bello comparato Imperatore Alberto Scaligero Ateste primum captum est, deinde Abbatia Anguillaria, Barbuliumque, quæ ex fœdere Patauinis sunt concessa. Castrum vero Castagnarij à Veronensibus recuperatum, quæ omnia Marchiones Estenses possederant. Hostilia quoque Oppidum à Veronensibus recuperatum.

1295 4 Marcus Souardus Bergomas PR.

Multa ædificia publica Veronæ condita. Patauini turrim super Athesim in agro Veronensi propè Castagnarium ex aduerso Castri Baldi ædificarunt.

1296 5 Andreas Zeno Venetus PR.

Veronæ turris portæ Reifilij fabricari coepta. Hostiliæ arx condita. Estenses Marchiones vrbe Ferraria extorres, subsidio Alberti Principis Veronæ recuperata eadem vrbe ex Pontificia potestate eam obtinuerunt.

1297 6 Hugolinus Iustinianus Vrsi F. Venetus PR.

Vicetia seditionibus ciuilibus fessa in Alberti Principis Veronensium potestatem deuenit, ciuibus se dedentibus. Cuius vrbis principatum proprium suscepit Canis Franciscus, postea Canis grandis vocatus.

Seditione inter Bonifacium & fratres de Castrobarco & Guillelmum patruum de possessionum finibus exorta, aliquot eorum oppida, & pagi à Principe Alberto occupata sunt.

1298 7 Castellanus de Strata Papiensis PR.

Hoc anno VI. Nonas Iul. Cæsare Adulpho in prælio occiso interregnũ fuit dierũ XXIIII.

CAESAR ALBERTVS REX ROMANORVM Rodulphi Cæſaris F. ex Duce Auſtriæ creatus VI. Kal. Auguſti regnauit annos XI. menſes IX. dies V. A

Albuinus ſecundus genitus Principis Alberti Vxorem duxit Catherinam Maffei Vicecomitis Inſubrum Principis Filiam.

Veronæ aliquot publica ædificia ab Alberto Principe condita, in quibus muri vię, quæ ducit ſecundum Atheſim ab arce Caſtri veteris verſus Baſilicam Diui Zenonis, Pontis lapidis turris vrbem verſus, & aliquot præterea alia.

Hoc anno Epiſcopus Veronenſis Bonincontrus mortuus eſt, qui poſt Fratris Petri Epiſcopi obitum hac ratione creatus fuerat. Quum enim Fratre Petro mortuo, confeſtim magno totius populi conſenſu itum ad Theobaldum eſſet (qui ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini & monaſterio D. Eufemiæ Abbas factus fuerat SS. Firmi & Ruſtici Vir profecto eximiæ ſanctitatis, & doctrinę, ac propterea maximę in Ciuitate exiſtimationis, iſque oblatam ſibi à Clero Epiſcopatus dignitatem recuſaſſet, factum eſt vt eius loco creatus ſit Bonincontrus hic, eo tempore Archipresbyter maioris Eccleſię noſtrę. Fuit autem Epiſcopus iſte ciuis Veronenſis Balthaſſaris phyſici filius. In cuius viri vita commendatę maximę illę virtutes fuere, probitas & prudentia ſingularis cum iuris pontificij non vulgari cognitione coniunctę, quam & publice aliquando profeſſus eſt. Eius extat vſque in hodiernum diem ſepulchrum cum hoc elogio marmore inciſo propè ianuam maiorem Cathedralis. B

ISTE. BONINCONTRVS. PRÆSVL. IACET. ECCE. SEPVLCHRO
QVI. DECRETA. DOCENS. RADIAVIT. DOGMATE. PVLCHRO C
OBIIT. VERO. PATER. D. BONINCONTRVS. EPISCOPVS. VERONEN
AN. MCCXCVIIII. XVIIII. IVNII

Huius memoriam fieri vidi in archiuo Epiſcopatus in diplomate dat. 9. Iulij ind. 9. Anno 1296.

Extat & teſtamentum, in quo apparet eum futuris cunctis poſt ſe Eccleſię noſtrę pontificibus crucem argenteam legaſſe, librumque moralium, & vtenſilia, ei vero, qui ſibi primus ſucceſſiſſet nominatim lectulum ſuum, & præter hęc multa hoſpitalia S. Trinitatis, Cœnobio Virginum D. Lucię Virginum minorum ad Campum Martium, Cœnobio Fratrũ Eremitarum Auguſtinianorum D. Eufemię, Eccleſię D. Helenę, & ad extruendam Tridenti B. Vigilij Baſilicam nonnulla. Eius pręterea mentio eſt. D

F. THEBALDVS EPISCOPVS VERONENSIS.

Mortuo Bonicontro, qui ad Eccleſiam noſtram adminiſtrandam pręcipuus adhiberetur, nemo ſanè in ciuitate magis idoneus Fratre Thebaldo habitus eſt, illo eodem, quem paulo ante oblatum ſibi à Clero Veronenſi epiſcopatum recuſaſſe memoraui. Quamobrem ad eum vt huiuſcemodi munus ſubiret hortandum ſiue compellendum potius concurſus ab vniuerſa ciuitate factus eſt. Cęterum, is tametſi in eodem in quo prius propoſito perſiſtere decreuerat, quod tranquillitatem in vita, & otium liberius ſtudiorum cauſa ſemper adamauerat, nihilominus tamen aſſiduis flagitationibus precibuſque totius populi ac primorum ciuitatis victus, de priori ſententia deceſſit, atque ad Eccleſiæ noſtræ gubernationem licet inuitus ac reſiſtens acceſſit. In qua quidem ita ſe per annos XXXIIII, tot enim in pontificatu fuit, geſſiſſe viſus eſt, vt factum de ſe bis honorificentiſſimum ab vniuerſo clero iudicium neutiquam dedecorarit. Hic vt ab eius ortu initium ducam, parente natus erat homine & ſapiente & ſancto Veronæ, atque ab ineunte ætate quum diuinę contemplationi vacare deſideraret, ſeque ab huius mundi illecebris amoueri, audita tum fratrum Eremitarum S. Auguſtini Cœnobij S. Euphemiæ optima fama, in eorum cœtum adſcribi deſiderauit, & obtinuit. Habitu vero ſanctæ religionis ſuſcepto, ita ſe in cæterorum fratrum ſodalitijs geſſit, vt vnicum eſſet religionis, pietatis, & omnium virtutum ſpecimen. Ob quas virtutes Abbas Diui Firmi maioris creatus, non longe poſt bis ad Epiſcopatum Veronenſem vocatus eſt omnium ſuffragijs. Qui Epiſcopatu ſuſcepto quamquam E

diuinis




Pons marmoreus Vero
F: Huret fecit



diuinis rebus contemplandis ac Christianæ doctrinæ studijs mirifice deditus esset, ea tamen voluptate non vsque eò efferri se passus est vnquam, quin opem operamque suam, quandocunq; vsus poposcisset, egentibus maxima cum humanitatis significatione semper impertierit, seseque in loco ad res gerendas optime accomodarit. nam & audiebat quotidie disceptantes, & assidue ius dicebat, & ciuitatem ac diœcesim sæpissimè perlustrabat, & reliqua egregij pontificis munia strenuè obire solebat. Mortuus est nonagenario maior ex capitis destillatione anno salutis ∞CCCXXXI. XIII. Kal. Decembris. Vacauit sedes dies X. Ab hoc consecratas fuisse Basilicas Veronæ S. Mariæ Consolatricis, & S. Mariȩ ad Gleam, & in agro Veronensi Villȩ Francȩ Ecclesiæ altare maius inueni, quod etiam ex ijs inscriptionibus liquet.

Ab hoc Episcopo constitutiones editȩ sunt quamplurimȩ, quas ferè omnes postea auctoris nomine suppresso, sed cum suo tantum nomine publicauit Petrus Scaliger Episcopus Veronensis. Huius præterea beati pontificis mentionem extare vidi in archiuis Episcopatus Veronȩ in diplomate Dat...... Anno 1306.

1299 1 Proculus de Amandula Mediolanensis PR.

Albertus Scaliger Princeps turrim in angulo Prȩtorij, vbi nunc quȩstores habitant, condidit. Pilas, & fornices pontis noui marmoreas, qui ante ligneus erat, primus fecit, cum turri.

Coniuratio in Albertum facta detecta est, & in coniuratos animaduersum. Albertus Princeps exulum Mantuanorum precibus excitatus Prȩtorem Veronensem, & filium suum Bartholomȩum cum ingentibus copijs Mantuam misit, qui vrbem ingressi, & prælio commisso Tasinum Bonacosium Mantuanorum Principem vrbe eiecerunt, & eius fratrem Bardelonum vinctum Veronam adduxere, vrbeque Mantua secundum exulum voluntatem constituta Veronam reuersi sunt. Cum quibus copijs Canis Franciscus tertius filius Alberti Principis Verona egressus in Forum Iulium venit, vrbesque Feltriam, & Bellunum dedentibus se populis in potestatem redegit.

1300 2 Hugolinus Iustinianus Venetus PR.

1301 3 Hugolinus Iustinianus Venetus PR.

Prȩtorium, quod mercatorum dicitur, Veronȩ construi cæptum, primusque lapis à Principis filio Bartholomȩo iactus IIII. Kal. Iunij.

Eodem anno IIII. Idus Sep. Princeps Albertus Scaliger mortuus est. Cadauer in Basilica S. Mariȩ Antiquȩ sepultum.

BARTHOLOMAEVS SCALIGER III. REIP. VERONENSIS DVX, siue Capitaneus Generalis, post Patris mortem citatus imperauit annos II. menses V. Dies XXVII.

Eodem anno XV. Kal. Octob. Guillelmus de Castro Barco Alam Veronensibus eripuit eorum presidio ex oppido fugato.

1302 4 Lapus Vbertus Florentinus PR.

Guillelmus de Castro Barco Veronam veniens principi Bartholomȩo reconciliatus est, oppidumq; Alam Reip. restituit.

1303 5 Angelus Regiensis PR.

Guillelmus de Castro Barco emit Castrum Beseni.

1304 6 Hugolinus Iustinianus Venetus II. PR.

Hoc anno Nonis Martij Veronȩ obijt Princeps Bartholomæus. Cadauer sepultum in auitis monumentis S. Mariȩ Antiquȩ.

ALBVINVS SCALIGER IIII. Reip. VERONENSIS PRINCEPS siue Generalis Capitaneus post fratris obitum creatus. Imperauit annos VII. menses VIII. Dies XXIV.

Salodium cum omni Benaci ripa, quæ in Brixiano agro est, à Cane Francisco militiȩ Veronensium Imperatore in deditionem accepta.

1305 7 Ioannes Callinus Patauinus PR.

1306 8 Lapus Vbertus Florentinus II. PR. Albertus Scaliger II. natus est.

2307 9 Chimio Gulielfredus Patauinus PR. abdicauit. A
Banzus Caput Vacca PR. suffectus.
1308 10 Salsamus de Tornario PR. abdicauit.
Hugolinus Comes de Sesso Regientis PR. suffectus. Hoc anno Kal. Maij occiso Cæsare Alberto interregnum fuit mensium VI. Dierum XXV.
Eodem tertio Nonas Iunij Martinus II. Scaliger natus est.
IMP. CAESAR HENRICVS VI. AVGVSTVS. XIIII. occidentis Imperator ex comite Lutzemburgensi creatus VII. Kal. Decẽb. regnauit, & imperauit annos IIII. Menses VIIII.
1309 1 Vgolinus Regiensis PR. abdicauit.
Gentilis Philippesius PR. suffectus
Henricus Imperator in Italiam ex Germania descendens, Taurinum primo, mox Mediolanum ingressus est mense Decemb. B
1310 2 Gentilis Philippesius PR.
1311 3 Nicolaus de Lorio Patauinus PR.
Canis Grandis frater Principis Albuini suo & fratris nomine Madiolanum profectus est ad Imperatorem Henricum VI. Augustum, vbi hoc anno IIII. Idus Feb. secreto renunciauit in manibus Imperatoris principatui, vel Capitaneatui Veronensis Reip.
Eodem anno die Dominico Nonis Martij Alboinus, & Canis Grandis fratres Scaligeri Alberti F. ab Imperatore Henrico VI. Augusto Vicarij Imperiales omnium ciuitatum, quas tunc possidebant, Mediolani creati sunt; & eas omnes in feudum ab Imperatore acceperunt; de quibus solemni instrumento inuestiti sunt, & pridie Idus Martij iurarunt in verba Imperatoris Veronæ in Capitello, & Princeps Alboinus cum magnis Veronensium copijs Brixiam profectus est ad Imperatorem, à quo honorifice susceptus eidem, fratrique suo Cani Grandi omnia prædicta priuilegia confirmauit. C
Eodem anno tertio Kal. Decembris obiit Alboinus Scaliger IIII. Veronensium Princeps, & Vicarius Imperialis. Cadauer maiorum sepulcris conditum est ad S. Mariam antiquam. Imperauit Veronæ solus annos VII. cum fratre Cane Francisco Vicarius Imperialis, menses IX. dies XXIIII.
1312 4 CANIS GRANDIS SCALIGER ALBERTI FILIVS V. REIP. VERONENSIS PRINCEPS ET VICARIVS IMPERIALIS. imperauit post Fratris Albuini obitum an. XVIII. menses XII. dies XXII. D
Fridericus Scaliger Veronensis PR.
Canisgrandis IIII. Nonas Februarii Vicarius Generalis Vicetiæ ab Imp. creatus, die sequenti vrbem ingressus, magistratum solemniter iniit; Patauini, qui exulibus Vicetinis auxilio venerant a Canegrandi prelio victi & fugati.
III. Kal. Iulii Romæ Laterani Henricus VI. Imp. Augustus consecratus est a tribus Legatis Cardinalibus Clementis Papæ V.
1313 5 Fridericus Scaliger Veronensis PR.
Hoc anno IX. Kal. Septembris Imp. Henrico VI. Augusto mortuo fuit interregnum anni I. mens. I. dierum XXIIII.
1314 1 Franciscus Picus de Mirandula Mutinensis PR. E
Patauini Vicetiam, agrumque Vicetinum vexantes ingenti prelio à Canegrande victi sunt, & ex his plus D. Cæsi & ∞ ∞ capti, in quibus præcipui Iacobus Carrariensis Dux belli fuit. Qua clade attriti Patauini, pacem à Canegrande petierunt & obtinuerunt.
Eodem anno mense Nouembris Canisgrãdis Brixię principatum titulo tenus suo imperio adiunxit, quod ei factio Ghibellina vrbe extorris tradidit.

CAESAR FRIDERICVS III. ALBERTI CAESARIS F. REX Romanorũ in schismatę XV. Kal. Nouemb. ex Duce Austrię creatus regnauit XV. mens. II. dies XXVII.

CAESAR LVDOVICVS V. REX Romanorum creatus in schismate ex Duce Bauariæ XV. Kal. Nouembris regnauit & imperauit annos XXXII. menses XI. dies XXIV.

1315

315 1 Franciſcus Mirandulanus PR.

316 2 Hugolinus de Seſſo Regienſis II. PR.

Quum Canisgrandis Lonatum obſideret, exſules Vicetini, Patauini, & Veronenſes Duce Ludouico Comite S. Bonifacij Vicetiam vi eripere eidem tentarunt, ingreſſique vrbem, proditionis conſcijs portas aperientibus cum aduerſa factione pugnare cęperunt. Quo cognito Canisgrandis ſuo cum exercitu ſtatim Vicetiam aduolauit, vrbemque ingreſſus exules omnes occidit & cepit, in quibus & Comes S. Bonifacij captus fuit, & in carcerem coniectus, vbi paulo poſt mortuus eſt.

Eodem anno Canisgrandis Montem Silicis, Ateſte, & Montagnanam ſuo adiunxit imperio.

317 3 Hugolinus de Seſſo Regienſis II PR.

318 4 Hugolinus de Seſſo Regienſis II PR.

Canisgrandis agro Patauino igne ferroque vaſtato vrbem Patauium diu obſedit, ſed re infecta Veronam reuerſus eſt.

319 5 Hugolinus de Seſſo Regienſis PR.

Paſſerinus Bonacoſius Princeps Mantuanus Mutinam, quę ab eo rebellauerat, pręſidijs Canisgrandis adiutus fruſtra obſedit. Patauini quum à Canegrandi premerentur, Principem & Capitaneum ſuum Generalem crearunt Iacobum de Carraria: quę res Canemgrandem ab expugnatione Patauij auertit. Qui in Taruiſinos bello conuerſo omnes ferè agri eius villas, pagos, & arces occupauit. Taruiſini viribus ſuis diffidentes ſe ipſos Comiti Goricię dederunt, quę res Canemgrandem à Taruiſii obſidione auertit.

Eodem anno omnium Lombardię Principum Ghibellinorum conuentu Soncini habito Canisgrandis Scaliger omnium ſuffragiis totius factionis Ghibellinæ Dux in omni Lombardia creatus eſt, qui hoc anno oppidum Citadellæ expugnauit, & pręſidio impoſito muniuit præpoſito Bailardino Nogarola. Comiti Goriciæ omnes arces agri Taruiſini certis ſub conditionibus reddidit. Patauium item obſedit, cum Comitis Goriciæ & Ducum Auſtrię Clarentanæque vi coactus eſt re infecta Veronam reuertere, inducijs in aliquot menſes factis.

320 6 Hugolinus Regienſis PR.

Canisgrandis oppida omnia agri Taruiſini, quæ Comiti Goricię conceſſerat, recuperauit, Patauium obſedit, in qua obſidione à Ducibus Auſtriæ & Clarentanæ prælio victus & fugatus eſt, qui Patauinis auxilio venerant, Caſtellumque ab eo factum contra Patauinos & captum & dirutum. Quibus geſtis animo fractus Canisgrandis, relaxatis agri Patauini, & Taruiſini quæ occupauerat oppidis, pacem cum Duce Auſtriæ & Patauinis fecit.

321 7 Hugolinus de Seſſo Regienſis PR.

322 8 Hugolinus de Seſſo Regienſis PR.

Cæſar Fridericus prælio victus à Ludouico Cæſare & captus eſt menſe Septembri.

323 9 Hugolinus de Seſſo II. PR.

Diſcordiarum initia exorta inter Canemgrandem, & Chunradum de Hoſten Vicarium Imperialem Taruiſij, ob quoſdam Canisgrandis milites ab eo interceptos.

324 10 Hugolinus de Seſſo Regienſis II. PR.

Conuentus ab omnibus Lombardiæ Tyrannis & factionis Ghibellinæ Principibus Palacioli in agro Brixiano congregatus, vt bellum Eccleſiæ Romanæ indicerent, pontemque diruerent, quem Legatus propè Placentiam ſuper Padum fecerat, quo mercaturę Pado deuectæ intercipiebantur, huiuſque rei ergo Legatio Auinionem ad Papam miſſa.

Eodem anno foſſæ & muri vrbis à S. Zenone in monte vſque ad S. Georgium ſuper Atheſim Veronæ fabricari ſunt cæpta, item foſſa ipſa ad portam Epiſcopi vſque deducta ingens profunda & lata in monte exciſa.

Eodem anno quum Duces Henricus Clarentinorum, & Henricus Bauariæ contra Canemgrandem ingenti exercitu comparato veniſſent, Canigrandi præſto fuerunt Princi-

pes

pes Mantuanus, & Ferrariensis, quamobrem re infecta in Germaniam duces ipsi redire coacti sunt. A

1325 11 Hugolinus de Sesso Regiensis II. PR.
Fridericus Cesar liber à Ludouico Bauaro dimissus his conditionibus, ne se amplius Regem Romanorum vocaret. quod non obseruauit.
Hoc anno muri & fossę Burgi S. Zenonis factę fuere à turri S. Trinitatis vsque ad portam iuxta Athesim.
Finitis induciis inter Patauinos, Taruisinos, & Canemgrandem, ipse in agrum Patauinum exercitum duxit, aliquot castella cepit, & diripuit, Incendio Vicetię exorto quarta pars vrbis consumpta est. Canisgrandis valida infirmitate correptus ad desperationem vsque medicorum laborauit. B

1326 12 Hugolinus de Sesso Regiensis II. PR.
Duo legati Pontificis Veronam venerunt, vt pacem inter Guelphos, & Ghibellinos componerent. Verum re infecta reuersi sunt.
Eodem anno Canisgrandis Vitalianam super Padum in deditionem accepit.

1327 13 Hugolinus de Sesso Regiensis II. PR.
Ludouicus Imperator in Italiam ex Germania veniens Mediolani Rex Lombardię coronatus est, Cui solemnitati interfuit Canisgrandis Scaliger, qui ab eodem Imperatore nouã accepit Ciuitatũ, quas possidebat, inuestituram, licentiã quoq; ab Imperatore impetrauit, vt faceret pontem Hostiliæ super Padum, quo vectigalia a transeuntibus & exigeret ipsum: deinde Imperatorem Romam versus tendentem Bononiam vsque sequutus est. A quo venia obtenta Veronam reuersus est. C

1328 14 Hugolinus de Sesso Regiensis II. PR.
Ludouicus Bauarus Imp. Romæ præter antiquam consuetudinem à quatuor laicis Romanis Proceribus Augustus appellatus Romæ apud S. Petrum XVI. Kal Februarij. Qui Ioannem Papam XXII. priuauit, Antipapamque creauit Petrum de Corbario, a quo iterum consecratus est.
Eodem anno XIX. Kal. Septembris conspiratione aduersus Tyrannum Mantuæ Rainaldũ, Passerinum, Bonacosium Ioannis filiũ facta ipse occisus est, & Franciscus filius eius, Guidotus, & Primanus filij Butrionis Bonacosij capti sunt. Hæc autem acta fuerunt à Ludouico Gonzaga Mantuano ciue primario & filijs suis Guidone, Feltrino, & Philippino Gonzagis, cum Guillelmo de Castrobarco, qui præsidio Canisgrandis adiutus Mantuæ Principatum sibi posterisque suis comparauit. Nam eodem anno XII. Kal. Septembris Ludouicus ipse Capitaneus populi Mantuani creatus est, à quo Principes primum, deinde Marchiones, postremo Duces Mantuæ manarunt. D
Kal. Septembris Mastinus fratris filius Canisgrandis Venetijs in monasterio S. Georgij desponsauit Thadæam filiam Iacobi de Carraria Patauinorum Principis, cuius & Marsilij fratris studio, Canisgrandis hoc anno VI. Idus Septembris Patauium suo adiunxit imperio, atque in eius verba omnes Patauinorum proceres iurarunt. Cuius rei ergo maximo tripudio Veronæ celebrato XL equites creauit.

1329 15 Hugolinus de Sesso Regiensis II. PR. abdicauit IIII. Kal. Nouembris. E

ALBERTVS. ET. MASTINVS. SCALIGERI. ALBVINI. FILII ALBERTI. NEPOTES. VI. ET. VII. REIP. VERONENSIS. PRINCIPES ET. VICARII. IMPERIALES

Imperarunt Veronæ annos XXII. menses X. dies XII.
Bructerus Tempestas Auogarius Taruisinus PR. suffectus III. Kal. Nouembris. Canisgrandis aduersus Taruisinos exercitu comparato vrbem Taruisium diu obsessam tandem XVI. Kal. Augusti in deditionem accepit, & ipse quinto die post Taruisii mortuus est XI. Kal. Augusti. Cadauer Veronam relatum marmoreo sepulchro ad S. Mariam antiquam illatum est. In cuius locum eius fratris filii Albertus & Mastinus Iunior Veronæ principatum

patum susceperunt. Fuit vero Canisgrandis Princeps Veronæ, Patauij, Vicetiæ, Taruisij, Feltriæ, Belluni, Brixiæ, & suarum Diœcesium, quarum vrbium imperium fratris filijs reliquit.

1330 16 Bructerus Tempestas Auogarius Taruisinus PR.

Mastinus Militię Veronensis Magister ripam omnem Benaci agri Brixiani cum Salodio oppido in deditionem hoc anno accepit mense Septembri.

Hoc anno Idibus Ianuarij obiit Rex Fridericus III.

1331 17 Bructerus Tempestas Auogarius Taruisinus PR.

Hoc anno Mastinus Scaliger Brixiam suo adjecit imperio, quam Guelphorum proditione occupauit.

Decimo post Thebaldi Episcopi mortem die V. Kal. Decembris, summo in Ecclesia Veronensi sacerdotio præesse jussus est Frater Nicolaus monachus Benedictinus Abbas eo tempore monasterij S. Petri de Villa noua, qui sedit in Episcopatu annos V. qui in tanto sacerdotio ita semper modestè vixit, vt nemo in eo neque grauitatem neque pietatem neque dignam solerti pastore vigilantiam desideraret. obiit autem anno ∞ CCCXXXVI. Cuius in Episcopatus tabulis mentionem fieri inueni Dat. anno 1334. Ind. 2. 18. Octobris, & Canonicorum archiuo an. 1333. Ind. 1. die 10. Nouembris.

1332 18 Guido Corrigia Parmensis PR.

Hoc anno XV. Kal. Iunii Canisgrandis Iunior Mastino natus est filius.

Eodem anno bello inter Romanum Pontificem & Estenses Ferrariæ Principes vigente, quum pro Ecclesia Romana Ioannes Rex Boemię in Italiam venisset, multisque in Lombardia oppidis & vrbibus captis Ferrariæ immineret, fœdus & societas, ad communem defensionem inter Vicecomites Mediolani, Scaligeros Veronæ, Estenses Ferrarię, & Gonzagas Mantuę Principes contra Ioannem Regem & Ecclesiam Romanam, in quod fœdus Rex Sicilię, & Florentinorum Resp. adsciti sunt, in quo fœdere Mastinus Scaliger Parmam prodentibus Tertiis, penè intercepit.

1333 19 Guido Corrigia Parmensis PR.

Mastinus Scaliger cum exercitu suo & fœderatorum auxilio Obizzonis Estensis profectus est Ferrariam, quam Legatus Romanæ Eccl. Beltrandus Episcopus Ostiensis obsidebat. Vbi prælio comisso Legati gentes fusæ sunt ac fugatæ, ipseque vix incolumis Bononiam reuersus est. Cęsa traduntur in eo conflictu ex Legati exercitu hominum ad decem millia, & duo ∞ capta.

Carolus Filius Ioannis Regis Boemię, primum, deinde eius pater Rex Ioannes Veronam hoc anno venerunt, & à Mastino Scaligero honorificentissimè hospitati sunt, & donati, qui Verona discedentes in Germaniam per Vallem Agarinam profecti sunt.

1334 20 Brixellum oppidum agri Parmensis super Padum situm hoc anno à Mastino & exercitu fœderato munitum est, ponsque super Padum factus. clades accepta à Guiberto de Foliano principe Regiensi.

1335 21 Incendio Veronæ exorto, Insula omnis cum re lignaria & pons nouus, qui tum ligneus ex ea parte erat, vsti. Mastinus Scaliger hoc anno Parmam Rubeis tradentibus, & Lucam in Tuscia suo imperio adiunxit.

1336 22 Rubei Parmenses proditionis accusati à Mastino ad Venetos defecerunt. quare ipsi proscripti, & bona eorum publicata.

Massa proditione, Ponstremulus vi à Mastino capta.

Bello inter Venetos Florentinosque, & Mastinum Scaligerum exorto, Albertus Scaliger, qui Patauij manebat, Opitergium & Caminum de Venetis cepit. Florentinorum & Venetorum exercituum imperator Petrus Rubeus Parmensis creatus est, inter quem & Albertum Scaligerum aliquot pugnæ & prælia tumultuaria potius, quam iusta fuere.

Fratri Nicolao in Epiſcopatu hoc anno ſucceſſit ſp. Bartholomæus Scaliger Ioſephi Scaligeri Abbatis S. Zenonis filius. Cuius quę fuerit vita, non ſatis adhuc compertum eſt. tantum enim de eius exitu memorię proditum eſt. Nam ſuaſu Azzonis de Corrigia Parmenſis, à Principe Maſtino nihil tale ſuſpicans, adacto cominus in latus gladio interfectus eſt ante ianuam palatij Pontificij VI. Kal. Septembris anno Domini ∞ CCCXXXVIII. pontificatus tertio. Cuius quidem tam nefarij ſceleris expiationem grandi pecunię ſumma paciſci coactus eſt cum Eccleſia Romana tempore Benedicti XII. Pontificis maximi, cuius memorias obſeruaui in Epiſcopatus archiuis Dat. XII. Mai Ind. 8. anno 1338. Item tabulis S. Marię ad Galeram, in quibus eum mortuum fuiſſe refertur VI. Kal. Septembris. 1338. A

1337 Bello inter Venetos & Scaligeros maximè vigente, Scaligeri aliquot cladibus acceptis, partim dolo, partim vi amiſerunt Taruiſium, quod à Venetis occupatum eſt, Treſuillę, Campus S. Petri, Romanum, Bellunum, Feltria, quę ei eripuit Carolus Rex Boemię, item Patauium, in quo captus eſt Albertus Scaliger proditione Maſſilij de Carraria, & Venetias vinctus adductus, Montemſilicem, & poſtremo Brixiam, quam inuaſit Azzo Vicecomes Princeps Mediolani. Quibus cladibus omnes penè Scaligerorum vrbes amiſſę. B

1338 Vicetia à fœderato exercitu obſeſſa, & re infecta pax inter diſſidentes Principes & Reſp. tractari cœpta Interim Veneti Montem ſilicis occuparunt. Bartholomęo Epiſcopo occiſo in eius vindictę vltionem inter cętera Rom. Pontifex Benedictus XII. tum primum ſibi Veronenſis Eccleſię Epiſcopi electionem reſeruauit, Auinione VIII. Kal. Octobris decernens irritam & inanem cleri electionem eſſe, & Eccleſię Veronenſi ſua auctoritate ſine cleri conſenſu prouidit, Epiſcopumque creauit Theobaldum quendam, quum interim Veronę à Canonicorum collegio III. Kal. Septembris in Cathedrali Fr. Petrus Ordinis Humiliatorum S. Marię ad Galeram Prępoſitus electus eſſet Epiſcopus, vt ex eiuſdem Monaſterij tabulis obſeruaui. Qui prouiſione Pontificis maximi cognita, arduum ratus contra ſupremum Catholicę Eccleſię Caput cornua erigere, Theobaldo ceſſit, quem Romanus Pontifex Veronenſem Epiſcopum ſuo iure creauerat. Qui vir facillimis moribus ingenijque leniſſimi fuit, ac religioni apprime deditus. Hic quamdium Pontifex fuit (fuit autem triennio) templis inſtaurandis tenuibuſque mira largitate ſubleuandis cōplectendiſque totum ſe dedit. eius poſt obitum cadauer in æde D. Marię Antiquæ ſepultum eſt Kal. Decembris anno ſalutis ∞ CCCXLI. tempore Benedicti Papæ XII. C

1339 Pace inter Venetos & Scaligeros facta, Albertus Scaliger, qui Venetijs captiuus erat, liber dimiſſus eſt, Taruiſiumq; Venetis tum ceſſit, Patauiniq; ſub eorū Principe libere agerēt. Albertus Scaliger Lucam profectus nouos ordines eidem vrbi dedit. D

1340 Canisſignorius ſecundus genitus Maſtini Principis natus eſt.

1341 Maſtinus Scaliger Imperator exercitus Florentinorum creatus, qui bellum cum Azzone
1342 Vicecomite ſuſceperat, in prælio victus & multis ex ſuis captis & cæſis fugatus eſt.
Maſtino prælio victo à Piſanis & Vicecomite, Luca ab eiſdem hoſtibus victoribus occupata eſt, quo pręlio quinque millia equitum & XV ∞. peditum vel capta vel cæſa vel fugata referuntur.

Matthæus poſt Theobaldum Auinione à Romano Pontifice Veronenſis Epiſcopus creatus eſt, & ipſe magnus vir fuit, deque noſtra Eccleſia ac Ciuitate optime meritus. Siquidem toto ſui Pontificatus tempore illa vna præcipua eius cura fuit, vt quæ ad eam augendam honeſtandamque pertinerēt ſedulò procuraret. Vixit hic Pontifex aliquadium Auinione in aula Palatina Pontificis maximi, cuius Bernardinus Corius parte hiſtoriarum ſuarum III. mentionem facit. E

1343 Azzonis de Corrigia proditione Parma à Scaligeris rebellauit, vrbeque Petrus Vermes Prætor, & Ghibertus de Fogiano Præfectus exacti ſunt. atque ita Scaligerorum Principatus Veronam tantum & Vicetiam complexus eſt. Parma amiſſa Azzo ipſe Veronam cum exercitu venit multaque damna agro Veronenſi intulit.

1344

1344 30 Gaugualandus Comes de Gaugualando PR.
Maſtinus & Albertus Veronenſium Principes muros à Mincio ad Nogarolam ſecundum Villam Francam & Valecium inchoauit.
CAESAR KAROLVS IIII. REX ROMANORVM in ſchiſmate contra Ludouicum Imp. creatus V. Idus Iulij ex Rege Boemiæ, regnauit & imperauit annos XXXII. menſes VII. dies XIIII.
Rex Hungariæ Neapolim profecturus Veronam venit, & inde diſcedens Campaniam verſus iuit.
V. Idus Octobris obijt Imp. Ludouicus V. Auguſtus. Quo mortuo, fuit interregnum an. I. menſes III. dierum XXII.
Matthæus ſucceſſorem in Epiſcopatu Veronenſi habuit Fratrem Ioannem Comenſem Ordinis Prædicatorum, de cuius rebus in Pontificatu geſtis haud ſanè multa commemorari poſſunt, quippe qui paruo tempore præfuit Eccleſiæ noſtræ. Cæterum doctrina ac morum ſanctitate excellentem eum fuiſſe conſtat.

1348 1 IMP. CAESAR CAROLVS IIII. AVGVSTVS XV. Occidentis ex Germanis Imperator ſublato ſchiſmate regnauit & imperauit annos ferè XXX.
Memorabilis admodum terræmotus VIII. Kal. Ianuarij fuit. Et peſtis illa maxima quæ vniuerſum terrarum orbem infecit. Menſe Octobri Maſtinus Scaliger deſponſauit Reginam filiam ſuam Barnabæ Vicecomiti Principi Mediolanenſi.

1349 2 Lugubris & miſeranda peſtis orbem terrarum peruagabatur.
Canisgrandis II. Scaliger primogenitus Principis Maſtini vxorem duxit Elizabetham filiã Imperatoris Ludouici Bauari defuncti. Poſt Ioannis mortem Veronæ Epiſcopatum inijt Fr. Petrus Scaliger ciuis Veronenſis, Canisgrandis ſenioris filius nothus ex Ordine Prædicatorum aſſumptus. Qui diuinarum litterarum peritiſſimus admodum fuit, quam eius doctrinam maiorem in modum vitę integritas & morum ſanctiſſimorum honeſtas commēdabant, ambo cũ quadam animi magnitudine coniuncta. Huius Pontificis iuſſu inter cętera conflata eſt nola illa Baſilicæ maioris, quæ vulgo dicitur ſchila, quaque ſtatis horis ad quotidianas preces laudeſque deo agendas maioris Eccleſiæ ſacerdotes clericique conuocantur. Ab eo etiam erectum eſt altare in ipſa Cathedrali in D. Agathæ honorem. Huius etiam diligentia fructus annui prędiorum pontificiorum, qui ſuperiorum incuria tenues facti fuerant, vberiores redditi. nam nihil omiſit earum rerum quę ad eos augendos pertinerent. Graues etiam inter eum & Canonicos diu lites exarſere, ea maxime de cauſa, quod is eos, ſicut & reliquos ſuę diœceſis ſacerdotes, in ditione ſua eſſe contenderet ac in ordinem redigere conaretur. At illi contra ſtrenuè ius ſuum defendentes, ſuis legibus liberè viuere volebant. Quum magnis controuerſijs res hinc inde acta eſſet, eò poſtremo deuentum eſt, primariis aliquot ciuibus auctoribus, vt vtraque pars rebus ſuis contenta intra eos quos relictos ſibi à maioribus ſuis fines inueniſſet, ſe contineret. Quo facto controuerſię illico ſunt omnes ſedatę. Quam compoſitionem Marquardus Patriarcha Aquileienſis, cuius vt ipſorum Metropolitani teneri ſe Canonici ditione aſſeuerabant, confirmauit. Cęterum anno ab inito Pontificatu XXIX. à noſtra autem ſalute ∞CCCLXXXVIII. falsò à maleuolis quibuſdam inſimulatus, quod vna cum aliis pleriſque vrbem Principi Mediolanenſi prodere ordinaſſet, iuſſu principis Antonii Scalige-ri, à quo cęteri quoque verę coniurationis conſcij fœdis affecti ſuppliciis miſerè periere, altè adacto ab eius ſpiculatore in caput pugione miſerabiliter innocens vir cęſus occubuit. Cuius cadauer conditum eſt in ſepulchro marmoreo apud prędicatores intra templum D. Anaſtaſię, quod nunc eſt ſubtus ara S. Martini ad dextrum latus chori. Hic conſtitutiones Epiſcopi Theobaldi numero ad centum luculentas admodum ac varias, quę propemodum iam ſuperiorum incuria in deſuetudinem abierant, in vſum reuocauit, atque vnà cum quibuſdam aliis conſilii Aquileienſis Patriarcha Bernardo editas promulgauit. ex quibus apparet vtrumque & iuris Pontificii peritiſſimum, & in obeundo munere ſuo

nequaquam negligentem fuisse. Porrò autem haud multi anni sunt, quum eius patefacto sepulchro, inter cętera quę in eo nuda ossa duorum humanorum corporum reperta sunt, caluarię etiam duę apparuere, quarum altera integra forte Episcopi Ioannis Comensis erat, altera in occipitio alte diffisa. Quo signo facile constitit eam fuisse Petri huius Scaligeri nefarie interfecti. Cuius memoriam vidi in tabulis Episcopatus in diplomate dat. Kal. Nouembris Ind. 4. an. 1351. Item 19. Decembris Ind. XIII. an. 1375. Item in archiuis monasterii nostri Veronę an. 1378. Ind. 1. & Canonicorum 8. Februarij Ind. 4. 1355. & 1376. & SS. Nazarij, & Celsi 1455. 1461. A

Hoc anno III. Nonas Iunii die suo natali obiit Mastinus Scaliger Veronensium Princeps ętatis anno XLIII. Cadauer ad S. Mariam antiquam marmoreo tumulo conditum. Quo mortuo auctoritate publica & consensu Alberti Scaligeri fratris Princeps Veronę renunciatus est. CANIS GRANDIS IVNIOR VIII. REIP. VERONENSIS PRINCEPS ET VICARIVS IMPERIALIS. B

Qui imperauit annos VIII. Menses VI. dies XI.

Hoc anno III. Nonas Septembris Albertus Scaliger mortuus est cadauer sepultum maiorum monumentis ad S. Mariam antiquam, vixit annos XLVI.

1354 7 Azzo de Corrigia Parmensis PR. abdicauit.

Paulus Mirandulanus PR. suffectus.

Quum Canisgrandis iunior in Germaniam profectus esset, vt Germanorum Principum conuentui, quas Dietas vocant, interesset, Veronæ coniuratio contra eum excitata est, auctore Frignano fratre notho ipsius Canisgrandis, qui Veronam penè ei erripuit, quò à Canegrãdi, euocatus, subito Veronã reuersus est, antequã in potestate Frignanus cõfirmatus esset, aduersæque partis factione depulso, Frignanus ipse paruo lintere fugiens in Athesi suffocatus est: de ceteris seuerissime supplicium sumptum: qui capi potuere laqueo strangulati, bona eorum publicata, ceteri vero perpetuo exilio damnati. C

Rex Hungariæ ex Regno Neapolitano in Hungariam reuertens Veronam venit, & post in Germaniam profectus est.

Carolus IIII. Imp. ex Germania in Lombardiam veniens, Mediolani Rex Italiæ coronatus est. Cui solemnitati Vicarij Imperiales Lombardię interfuere.

Eodem anno Canisgrandis II Castrum vetus à fundamentis ædificare cæpit, quod cum nobilissimi operis ponte triennij spatio perfecit.

Romæ ad S. Petrum Carolus IIII. Imp. Augustus coronatus est VI. Nonas Aprilis à Petro Episcopo Card. Ostiensi, Legato Innocentij Papæ VI. Canisgrandis fratribus legitimis postpositis, Ciues Veronenses sacramento adegit in verba trium filiorum suorum non legitimo matrimonio natorum, quæ res ei maximam fratrum inuidiam ita excitãuit, vt de morte sua tunc primum cogitarint. D

Vicetiæ Prætorium incendio consumptum est.

1356 9 Canisgrandis II. CC ∞ . aureorum Venetias transmisit apud D. Marci procuratores filiorum superiorum subsidio futura.

1357 10 Canisgrandis II. militiam Veronensem etiam in filiorum superiorum sacramentum adegit. Canisgrandis emit à Tyrannis Mantuanis oppida Castellarij, Canneti, & Pisorti agri Mantuani pretio XXX ∞ . aureorum. E

1359 12 Hoc anno XIX. Kal. Ianuarij Veronæ à fratre Canesignorio occisus est prope cœmiterium S. Euphemiæ propè Athesim. Cadauer maiorum sepulchris apud S. Mariam antiquam sepultum. Vixit annos XXVII. menses V. dies XXIIX.

CANIS SIGNORIVS SCALIGER MASTINI F. ET PAVLVS ALBVINVS FRATER IX. VERONENSIVM PRINCEPS ET VIC. IMP.

Imperauit Veronæ occiso fratre Canegrandi annos XVI. mensem I. à S. P. Q. V. Prin-

pes

ceps appellatus biduo post XVII. Kal. Ianuarij.

1360 13 Canissignorius sororem Viridem desponsauit Marchioni Estensi Nicolao Principi Ferrariæ & Mutinæ.

1361 14 Canissignorius Barnabę Vicecomitis Mediolanensis Principis vim veritus fœdus & societatem ad excidium illius cum Legato Sedis apostolicę Egidio Hispano, Francisco Carrariensi Patauij, Marchione Estense, Nicolao Ferrarię Feltrino, Gonzaga Mantuæ Principibus inijt. Fœderati exercitus Duce creato Iacobo Caballo Veronensi, a quo quum Barnabas premeretur clam solicitatus, Canissignorius fœdus cuius auctor fuerat dissoluit, & exercitum victorem dimisit Barnabæ sororio gratificaturus, quum ab eo sacramentum accepisset se non læsurum Scaligeros vel eorum principatum.

1361 15 Lugubris & miserabilis pestis Veronæ toto hoc anno desæuijt.

1363 16 Canissignorius Scaliger vxorem duxit Hagnem filiam Ducis Dyrrhachij, quibus nuptijs omnes ferè Lombardiæ Principes interfuerunt.

1364 17 Canissignorius Prætorium ædificauit Veronę, vbi nunc Præfectus manet cum omni militia à fundamentis.

1365 18 Canissignorius quo filios spurios Imperij sui hęredes relinqueret, fratrem suum Paulum Albuinum conspirationis aduersum se reum factum diro carceri mancipauit in Arce Pischerię, & plerosque huius coniurationis vt dicebatur conuictos interfecit.

Principis iussu aliquot coniuratorum reliquię, qui in carcere asseruabantur, laqueo necati sunt, aliqui in custodia reseruati.

Dux Austrię Veronam venit, Mediolanum proficiscens vt vxorem ibidem duceret.

1368 21 Canissignorius riuum aquę ab Apicia, formis partim subterraneis, partim tubulis plumbeis in vrbem adduxit, & vsque in forum per aquæductum pertraxit, digitis in singulas domos attributis anno 1368.

Infans Hispaniarum Rexque Maioricæ Ioannes maritus Ioannæ Reginæ Neapolitanæ Veronam venit, & postea discedens Mediolanum profectus est.

1374 27 Canissignorius Veronæ Princeps Pontem nauium qui ligneus erat additis pilis & fornicibus lateritium & marmoreum fecit.

Item horrea fabricauit & conclauia munitionum à portis fori Boarij vsque ad turrim Paltæ, & Athesim.

1375 28 Canissignorius graui infirmitate correptus mortique vicinus, quo spurios filios heredes potentiæ relinqueret, fratrem Paulum Alboynum, quem Pischeriæ in arcere seruabat nefariè interfici iussit, scriptoque testamento duos filios pari potestate Veronæ, & Vicetiæ Principes post se reliquit. Obijt vero Veronæ hoc anno XVI. Kal. Nouembris. Sepultus marmoreo mausoleo, quod viuens sibi erexerat ad S. Mariam antiquam. Vixit annos XXXIIII. menses X. dies XXIIX.

BARTHOLOMAEVS ET ANTONIVS SCALIGERI CANIS SIGNORII FILII X. ET XI. VERONENSIVM PRINCIPES post patris obitum vnà imperarunt annos V. menses VIII. dies XXVI.

1376 29 Principes sapientissimorum Ciuium consilijs Remp. Veronensem administrantes Ciuitatem Veronã tum publicis priuatisque institutis, tum ædificijs mirum in modũ exornarunt.

Ioannes Carnifex laqueo suspendit filium furem VIII. Kal. Decembris.

CAESAR VVENCESLAVS CAROLI IIII. IMPERATORIS FILIVS Rex Romanorum procurante patre appellatus est.

1377 30 Hoc anno Fr. Petrus Scaliger Episcopus Veronensis occisus est.

1379 1 Hoc anno VI. Kal. Martij obijt Imp. Carolus IIII. Augustus.

CAESAR VENCESLAVS REX ROMANORVM regnauit post patris mortem annos XXI. menses V. dies XXIIX. Veronensi Ecclesię post interitum Petri Scaligeri pręfuit Aleardus, vir rerum diuinarum ac humanarum doctissimus, ingenijque vt fertur admodum elegantis. De quo viro mentionem exstare vidi in his ciuitatis nostrę decretis, quę edi

ta sunt

ta sunt anno salutis ∞ CDXCIIII. Quum quidem tunc vrbs in ditione Mediolanensis Principis esset. Præfuit autem annos circiter decem. A

1381 3 Hoc anno Antonij insidijs IIII. Idus Iulii Bartholomęus occisus est, & maiorum monumentis ad S. Mariam antiquam illatus vixit an. XXI.

ANTONIVS SCALIGER XI. VERONENSIS PRINCEPS cęso fratre Veronę imperauit annos VI. Menses III. dies VI.

1382 4 Antonius Scaliger vxorem Duxit Samaritanam filiam Guidonis Polentani Rauennę & Ceruię pro Romana Ecclesia Vicarii.

1385 7 Bello inter Antonium Scaligerum, & Franciscum Carrariensem Patauinorum Principē exorto, multę hinc inde datę acceptęque clades, & ager tum Patauinus tum Veronensis vastatus.

1387 9 Ioānes Galeacius Mediolanensium Princeps à Francisco Carrariensi Pataūij domino solicitatus bellum Antonio Scaligero fratricidę intulit, exercitumque ingentem in agrum Veronensem misit. Qui Veronam veniens vrbem porta S. Maximi proditione capta ingressus est, eamque non repugnante Antonio obtinuit. Qui vim veritus in arcem castri veteris se recepit, quam quum tueri posse diffideret XV. Kal. Nouembris clam Verona Venetias fugit. Imperij anno XII. die XV. Quo cognito ęquis conditionibus datis, acceptisque, ciues vrbem procuratoribus exercitus Ioanis Galeacij Insubrum Principis tradiderunt. Qui paulo post Vicetiam etiam obtinuit, ciuibus se dedentibus, quum ab Antonio neglecti essent. Atque hac ratione Scaligerorum Principatus Veronę desiit anno à primi Mastini principatu CXXVII. B C

IOANNES GALEACIVS VICECOMES GALEACII F. STEPHANI N. INSVBRVM PRINCEPS.

Vrbe Verona pulso Antonio Scaligero, eius imperiū tenuit an. XIIX. men.... & dies....

1388 10 Vbertus Vicecomes Mediolanensis PR.

Iacobus Rubeus Parmensis summo loco natus Pontificatum Veronę per hęc tempora post Aleardum suscepit, à quo quidem Veronę maximo apparatu frequentissima populi multitudine prima eius missa celebrata est in Cathedrali. Quamobrem ei honoris caussa multa ab archipresbyteris, clericisque Veronensibus fuere cōtributa, vt ex asseruatis anni illius tabulis apparet. Huius pontificis laudata maximè & religio & humanitas est, atque in pauperes liberalitas. Præfuit autem Ecclesiæ nostrę An. plus minus XVII. Cuius mentionem fieri inueni in tabulis Episcopatus S. Zenonis, & Congregationis sub Duce Mediolani Comite Virtutum anno 1389. mense Octobris, & 1392. mense Septembris Ind. I. & 1395. 1396. item 1400. D

1389 11 Eleutherius Rusconus Comensis PR.

Ioannes Galeacius Vicecomes Mediolanensium Princeps vrbis nostrę imperio potius Arces S. Petri & S. Felicis in montibus, item partem vrbis Cittadellam condidit, vrbemque muniuit.

1390 12 Eleutherius Rusconus Comensis PR.

1391 13 Balzarinus de Pusterla Mediolanensis eques PR.

1392 14 Balzarinus de Posterla Mediolanensis PR. E

1393 15 Dinus de la Rocha PR.

Arx S. Petri in monte condi cœpta.

1394 16 Lazarotus Regna PR.

1395 17 Franciscus Scotus Placentinus eques PR.

1396 18 Manuel Comes Ilei PR.

Hoc anno IX. Kal. Iunij inuenta sunt corpora (vt ferebatur) SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi in monte Grignani, & XII. Kal. Iulij eorum basilica extrui cœpta.

1397 19 Spineta Spinola de Lucullo Genuensis PR.

1398 20 Spineta Spinola PR.

1399 21 Spineta Spinola PR.
1400 22 Spineta Spinola PR.

Hoc anno XIII. Kal. Septembri imperium abrogatum est Cæsari Vuenceslao ab electoribus. Cui omnium suffragijs suffectus est CAESAR ROBERTVS REX ROMANORVM. Ex Duce Bauariæ, & Comite Palatino Rheni creatus mense Septembris, qui regnauit annos IX. menses VIII. & dies. . . .

Hoc anno Antonio Venerio Venetiarum Principi mortuo suffectus est Kal. Decembris Michael Steno ex Procuratore S. Marci, qui vixit annos XIII. dies XXVI. sub quo Patauium, Vicetia, & Verona, Venetorum Imperio accessere.

1401 1 Spineta Spinola Genuensis PR.
1402 2 Tillius de Vpecingis Pisanus Eques PROPRAETORE Spineta

Hoc anno III. Nonas Septembris Mediolani obijt Ioannes Galeatius Vicecomes primus Mediolani Dux, & Veronæ Princeps. Cadauer Carthusiæ in agro Ticinensi sepultum marmoreo tumulo. Vixit annos LV.

IO. MARIA VICECOMES IO. GALEATII F. II. Mediolani Dux & Veronæ Princeps, imperauit Veronæ an. II. post patris obitum.

1403 3 Tillius de Vpecingis Pisanus PR.
1404 4 GVILLELMVS CANIS GRANDIS II. F. SCALIGER XII. VERONAE PRINCEPS. Hoc anno XII. Idus Aprilis Mediolani Ducis præsidijs Veronam occupauit Guillelmus filius Canisgrandis II. Pandulpho Malatesta, Venetis, & Francisco Carrariensi suadentibus, auxiliantibusque. Qui vrbem eo die ingressus cum filijs Brunorio & Antonio per portam Campi Martij, quæ Aurelia vocabatur Veronæ Princeps V. Idus creatus est in foro ab omni populo, imperauitque dies tantum XV. Nam Franciscus Carrariensis vrbē paulo post cum exercitu ingressus portam S. Antonij Guillelmum ipsum veneno extinxit XI. Kal. Maij, filiosque eius Brunorum & Antonium captos in oppido Montissilicis carceri inclusit, vrbisque imperio anno vno mensibus II. & diebus IIII. potitus est.

FRANCISCVS CARRARIENSIS PATAVINVS PATAVII VICETIAE ET VERONAE PRINCEPS.

1405 5 Bello inter Venetos & Franciscum Carrariensem Tyrannum exorto, Marchione Gonzaga Veneti exercitus imperatore Franciscus ipse prælio victus, & captus est, Venetiasque cum filijs in carcerem ductus, vbi paulo post obijt. Quo capto Veronam vrbem cum exercitu petijt, quam Senatus Veneti nomine acceptis æquis conditionibus ingressus eam die S. Ioannis Baptistæ VIII. Kal. Iulij obtinuit. Tunc more Venetorum Rectores primi vrbi impositi

PETRVS PISANVS VENETVS PRAETOR.

PETRVS ARIMONDVS VENETVS PRAEFECTVS.

MICHAELE STENO VENETAE REPVBLICAE PRINCIPE, Veronenses in Venetorum potestatem quum se dedissent æquo fœdere suscepti conditiones accepere æquissimas, quibus omnia eorum vetera decreta, ordines, statuta confirmata sunt. Atque in hodiernum diem magna cum rerum suarum amplificatione sub tantæ Reipublicæ vmbra quietissimi permanent.

Brunorius vero & Antonius Guillelmi filii cum patruo Frignano & plerisque aliis exulibus de la Scala, vrbe à Venetis capta, in Austriam profecti Viennæ longo tempore vixerunt. Deinde in Bauariam acciti posteros ibidem hæredes reliquerunt vsque in hodiernum diem.

Iacobo Rubeo defuncto summum Veronę sacerdotium adeptus est nescio quis, cuius sanè nomen diligenter perscrutatus nunquam reperire potui. Tantum quidem in asseruatis scriptis publice à Venetorum Principe ad Prętorem nostrum epistolis quendam fuisse reperio, qui quod litterarum ac rerum omnium ignarus penitus esset ac rudis, ac propterea ad gerendum pontificatum in vrbe tam ampla ineptissimus ab Innocentio VII

Rom.

Rom. Pontifice Senatus Veneti oratu, apud quem hac de re paulo postquam in eius se fidem vrbs commendarat, questi erant missi publicè à Ciuitate nostra oratores pontificatu abdicare coactus in eiusque locum suffectus hoc anno Angelus Barbadicus Venetiis patritia gente oriundus, quam ipse illato in eam non Episcopatu solum, verùm etiam Cardinalatu, vt mox referam, illustriorem reddidit. Extant vero adhuc de hac eius in locum alterius suffectione publicè Senatus Venetorum Principis ac Pont. Maximi Innocentij litteræ, quæ Veronæ in quæstorio asseruantur. Sedit vero in Episcopatu Veronensi annos plus minus XIII. Quum autem esset Gregorij XII. Romani Pontificis è gente Coraria patricia Venetijs orti, atque anno sequenti in Innosentij VII. demortui locum suffecti sororis filius, ab auunculo ex Episcopo Veronensi presbyter Cardinalis SS. Petri & Marcellini creatus est XIII. Kal. Octobris anno ∞ CDVIII. Obijt vero Gebennis XVII. Kal. Septembris anno Domini ∞ CDXIIX. ibique in Cathedrali sepultus, Martino Papa V. quum ex Concilio Constantiensi, cui interfuerat, in Italiam reuerteretur. Sedit autem Roberto & Sigismundo Imperatoribus. A B

1406 Is est VI. annus principatus Michaelis Steni Venetiarum Ducis.

Petrus Pisanus PRAETOR

Petrus Atimondus PRAEFECTVS.

1413 THOMAS MOCENICVS ex Procuratore S. Marci absens Orator ad Romanum Pontificem Dux creatus pridie nonas Ianuarij, regnauit annos X. menses VIII.

1419 Post Angelum Barbadicum Cardinalem & Veronæ Episcopum, pontificia in vrbe nostra potestas perpetua fere serie vsque in hanc diem penes Venetos patres permansit. Siquidem Angelo successit Guido Memmius hoc ipso anno à Martino V. Pontifice maximo designatus. A quo conditum est intra Cathedrale sacellum in honorem D. Nicolai, ac spectabili non illis solum, sed nostris etiam temporibus pictura decoratum. Araque in eo ab ipsomet decentissimè exculta, atque in eius instrumenta sumptusque annuos redditus, qui in eo quotidiana de more sarificia facerent aureorum bis mille vsura attributa, quam quingentorum aureorum quotannis Venetiis ex mensa quam ibi Montem veterem appellant moriens legauit. Pedum Pontificale magni pretii totum ex argento Veneto solido fabrefactum ad Episcoporum vsum fecit. Obiit Veronæ anno Christi ∞ CDXXXIX. pontificatus sui anno XXI. Sepultus in Cathedrali in sacello à se condito. Eugenio IIII. Pontifice maximo, & Sigismundo Imperatore. C

1423 FRANCISCVS FOSCARVS ex Procuratore S. Marci Dux creatus VII. Kal. Mai, vixit annos XXXIIII. menses VI. dies VII. D

Franciscus Condelmerius Venetus Eugenii Papæ IIII. fratris filius ab eo ex vicecamerario & protonotario apostolico presbyter Cardinalis S. R. E. Tit. S. Clementis, & mortuo Guidone Memmio hoc anno Episcopus Veronensis creatus est. Qui sedit in Veronensi Episcopatu annos plus minus XIIII. Fuit præterea S. R. E. Camerarius primum, deinde Vicecancellarius, nouissimè Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ, ab eodem Eugenio anno ∞ CDXLV. designatus. Hic lingua incontinens fugiente ex vrbe Eugenio à Populo Romano captus & in Capitolio honesto carcere reseruatus, demum re inter partes composita libertatem adeptus est. Legationibus maximis sub Eugenio IIII. functus, Veneta, & classica contra Turcas, quum terrestribus copiis præesset, Iulianus Cæsarinus Cardinalis magni animi & spiritus vir. Franciscus verò inertissimè se gerens, vt Papa Pius ait, neque fretum custodiuit, neque transuectos hostes Turcas ex Asia in Europam Hungaris Christianisque aliis Ducibus, vt par erat, renuntiasset, maximæ cladis Christianorum causa fuit. Inter quos Iulianus ipse Cæsarinus Legatus Ladislaus, Hungariæ ac Poloniæ Rex, Episcopi & Prælati Hungari quamplures ceciderunt. Obiit Romæ inglorius anno ∞ CDLIII. Nonis Septembris, sepultus ad S. Petrum in Vaticano Nicolao Papa V. & Friderico III. Imperatore. Cardinales eius exsequiis funerique interesse non potuerunt, quoniam die ipso forte nuncius captæ Constantinoplis Romam allatus erat. E

1453 31 Mortuo Francisco Condelmerio Pontificatū Veronæ maximum suscepit hoc anno Her-

molaus

molaus Barbarus, in quo ſanctè integreque ſedit annos XVII. menſes ferè VI. A quo lites magnæ communi Veronenſium de ſuburbiorum decimis excitatæ ſunt, ſed euentu parum felici, quippe qui ante earum exitum diem ſuum obierit. Maxime hic ingentium fabricarum exædificationi ſtuduit. Siquidem palatium pontificum intra vrbem magna impenſa inſtaurauit, itemque ædes in colle Nazarethi & hortos amœniſſimos maximo ſumptu, ſimulque extra vrbem magnificas villas duas Montisfortis & Bodoloni, omnes præterea, quibus maioris templi fornices ſuſtentantur, columnas præter duas poſtremas extruxit. Huius viri qualis etiam quantaque diligentia in munere ſuo obeundo extiterit, quæ hoſpitalium, quæ monachorum, quæ Virginum ſacrarum cura, quam prolixa in tenuiores Ciuitatis largitas, facillimè ex ijs, quæ adhuc in pontificum tabulario aſſeruantur, eius tabulis apparet. Hic Theſaurarium, quum nullus ante ipſum fuerit, in Eccleſiam noſtram primus inuexit. Aliquot vero etiam annis Romani Pontificis Legatus & Peruſij & in vlteriore Gallia fuit. Hunc etiam bonarum litterarum ſtudioſum fuiſſe teſtimonio eſſe poteſt Io. Antonij Panthei commentariorum libri, in quibus frequens huius Pontificis tamquā optimi & doctiſſimi mentio eſt. Obiit Veronæ anno ∞ CDLXXI. IIII. Idus Martij. Cadauer in Cathedrali ſepultum eſt ante ſacellum Deiparæ Virginis, Paulo II. Pontifice Maximo, & Friderico III. Imp. habetque hoc elogium.

HIC. IACET. REVERENDVS. DOMINVS
D. HERMOLAVS. BARBARO. EPISCOPVS. VERONAE
QVI. OBIIT. DIE XII. MARTII. MCCCCLXXI.

35 PASCHALIS MARIPETRVS ex Procuratore creatus Dux III. Kal. Nouembris, durauit annos IIII. menſes VI. dies V.

1 CHRISTOPHORVS MAVRVS ex Procuratore Dux creatus IIII. Iudus Maji vixit annos IX. menſes V. dies XXXIX.

Hermolaum Barbarum in Pontificatu ſequutus eſt Ioannes Michael Venetus Paulli II. ſororis filius ab eodem ex protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Angeli & Epiſcopus Veronenſis renūtiatus; qui in Epiſcopatu noſtro ſedit ānos XXXII. poſt ex Diacono Cardinale Tit. S. Marcelli primū, deinde Patriarcharū Cōſtantinopolitanū ſub Xyſto Papa IIII. poſt Epiſcopatum Præneſtinū ſub Innocentio VIII. Pont. Maximo, poſtremo Portuenſem Eccleſiam ſub Alexandro VI. ſortitus eſt. De quo ad Epiſcopatus poſſeſſionem admittendo acriter à Ciuibus Veronenſibus per ſeptennium dimicatum eſt, aſſerentibus olim ſe à Venetorū Senatu decretū obtinuiſſe, quo cauebatur ne Pontificis dignitas cuiquā deinceps daretur, qui non apud ipſos in ciuitate aſſiduè eſſet permanſurus. Verum poſt diuturnam concertationem tandem ille voti compos factus, quo ad placandam populi inuidiam magnificentiæ ſuæ inſigne aliquot ſpecimen daret, palatij Pontificum Ianuam in auguſtiorem formam erexit, ſtatuiſque marmoreis & columnis exornauit. Hunc inſidijs ſuaſuque Cæſaris Valentini Borgiæ Alexandri Papæ VI. nothi, omnem virtutis & nobilitatis indolem excidere cupientis veneno ſubſtulit Aeſchinus Foroiulianus eius cubicularius IIII. Idus Aprilis Anno Domini ∞ DIII. Cuius ſceleris pœnas nefarius ille Romæ à Iulio II. Pontifice maximo dare (in fruſta enim diſſectus,) coactus eſt. Cæterum Ioannes moriens aureorum XIIII. millia, quæ in nominibus habebat, in ædificationem noſtrę Cathedralis Eccleſię legauit. Cadauer Romę ſepultum eſt in Baſilica S. Marcelli. Alexandro Papa VI. & Maximiliano Cęſare.

NICOLAVS THRONVS ex Procuratore S. Marci hoc ipſo anno creatus IX. Kal. Decembris, durauit annum I. menſes VIII.

3 2 NICOLAVS MARCELLVS ex Procuratore diui Marci Dux Idibus Auguſti creatus vixit annum I. menſes II. dies XI.

4 1 PETRVS MOCENICVS ex Procuratore D. Marci Dux XIX. Kal. Ianuarij creatus vixit annum I. menſes II. dies IX.

6 1 ANDREAS VENDRAMENVS ex Procuratore Diui Marci Dux III. Nonas Martij creatus, ducauit annos II. dies XI.

1478 1 IOANNES MOCENICVS Dux creatus menſe Maio, ducauit annos VII. menſes ... & dies aliquot.

1485 8 MARCVS BARBADICVS ex Procuratore diui Marci creatus Dux XIII. Kal. Decembris, ducauit menſes VIII. dies XXVII.

1486 1 AVGVSTINVS BARBADICVS Marci frater ex Procuratore S. Marci Dux III. Kal. Auguſti creatus, vixit annos XV. dies XXI.

1501 15 LEONARDVS LAVREDANVS ex Procuratore Dux V. Idus Octobris creatus ducauit annos XIX. menſes VIII. dies XX.

1503 17 Ioanni Michaelio Epiſcopo Veronenſi ſucceſſit Marcus Cornelius Venetus, quem Alexander VI. Pont. Max. ex Protonotario Apoſtolico Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Porticu primum, deinde Epiſcopum Veronenſem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, mortuo Ioanne, creauerat. Hic epiſcopatum noſtræ vrbis annos XXIII. & menſes ferè III. obtinuit. A Iulio Papa II. Diaconiam S. Mariæ in via lata, priore dimiſſa, obtinuit. Primus omnium ſub Clemente VII. ex Archidiacono S. R. E. Archipresbyter Tit. S. Marci, deinde Epiſcopus Albanus, nouiſſimè Prænestinus factus eſt. Cui in Epiſcopatus noſtræ vrbis initio in adipiſcenda redituum poſſeſſione per Ciues Veronenſes eadē quæ & Ioanni Michaelio obiecta difficultas eſt. Quam perbelle ſuſtulit Georgius Cornelius pater, qui forte fortuna tum præfecturam militarem in vrbe noſtra gerebat. Is filio ſuffragari cupiens, primos Ciuitatis Senatores, eoſque maxime quos obſtinatius illi aduerſaturos perſpiciebat, ſeorſum primo ſingulos, tum vniuerſos etiam comiter blandeque appellans, ac quibus eſſent filij ad Eccleſiaſtica munera natura propenſi, habileſque in certiſſimam eos conciliandorum illis à Marco filio opimorum ſacerdotiorum ſpem erigens, ſi eum Romam ſequerentur, vincente publici commodi rationem priuati lucri ſpe, haud magno negotio cunctos induxit, vt de rejiciendo illo, quod tantopere antea obiectarant, Senatus Veneti pro ſe decreto conſenſerit. Cæterum hoc eo tolerabilior pleriſque viſus eſt fuiſſe Georgij aſtus, quòd ſumma fide promiſſa omnibus exſoluit, ſiquidem nemo fuit ex noſtratibus adoleſcentibus, qui Romam Marcum ſequuti ſunt, qui non opimis ſacerdotiis ditaretur. Marcus interim Epiſcopus relictam teſtamento à Michaele pecuniam quum exegiſſet, ex ea fornices poſtremaſque columnas Cathedralis Eccleſiæ duas ædificauit, ſacrariumque elegantiſſimum condidit. Ab ipſomet pontifice inſtituta eſt menſa illa, quæ de eius nomine Cornelia hodie appellatur. Cæterum poſt Clementis VII. Pont. Max. creationem quum graſſante maxime vrbe peſtilentia propinquorum precibus Venetias euocatus eſſet, ex vehementi itineris agitatione febri correptus, ibidem non longe poſt aduentum ſuum deceſſit VII. Kal. Auguſti anno Domini ∞ DXXIIII. Cadauer ſepultum ad S. Georgium maiorem. Fuit etiam aliquando Viterbii, vel vt nunc dicitur, Patrimonii Legatus.

1521 1 ANTONIVS GRIMANVS ex Procuratore S. Marci Dux creatus Pridie nonas Iulii ducauit annum I. menſes X. diem I.

1623 1 ANDREAS GRITI ex Procuratore S. Marci creatus Dux XII. Kal. Iuni ducauit annos XV. menſes VII. dies VIII.

1524 2 Poſt Marci Cornelii Epiſcopi Veronenſis mortem, Epiſcopatum noſtrę vrbis à Clem. VII. Pontif. Max. obtinuit eius Datarius Io. Matthæus Ghibertus Genienſis Panhormi in Sicilia ex Franco Ghiberto natus, atque ad XI. vſque ætatis annum ibidem nutritus. Vir maxima, & noſtra omni laude maior, optimeq́;, ſi alius quiſquá, de Eccleſia noſtra meritus; qui noſtrum Epiſcopatum tenuit annos XIX. & menſes aliquot.

1539 17 PETRVS LANDVS ex Procuratore Dux creatus XIV. Kal. Feb. vixit annos XI. menſes VIIII. dies XIV.

1544 6 Poſt Io. Mattheum Ghibertum . . . . remotis à Romano Pontifice, Veronæ Epiſcopus deſignatus eſt Petrus Lippomanus Venetus, olim Apoſtolicæ Cameræ Clericus, ab eodem Pontifice factus ex Epiſcopo Bergomenſi, quam Eccleſiam XXVI. annis

rexerat

rexerat. Sedit in Episcopatu Veronæ annos V. & menses VIII. obiit enim anno Domini 1548. 5. Id. Aug. in Oppido Scotorum Adimburgo ad quos Apostolicæ Sedis Nuntius à Paulo Pontif. III. missus fuerat annos natus LII. ibique sepultus Carolo V. Imp.

1545 7 FRANCISCVS DONATO ex Procuratore S. Marci Dux creatus, ducauit annos VIII.

1548 3 ALOYSIVS LIPPOMANVS ex Episcopo Coronensi, & Coadiutore Veronensis Ecclesiæ, mortuo Petro, creatus est eiusdē sedis Episcopus à Paulo Pontif. III. sub quo legationem Lusitanicam honestissimè anno 1546. obierat, seditque annos plus minus X. quo tempore legatione ad Imperatorem Carolum V. & Sarmatica functus sub Iulio III. postremo cum sub Paulo IV. in Italiam reuersus atque ab eodem Pontifice Romam vocatus esset, Ecclesiam Veronensem fratris filio anno 1558. resignauit, cum ipse Bergomati ab eodem Pontifice cuius olim viuente fratre patrueli suo Petro coadiutor fuerat trium linguarum peritus multa scripsit.

1557 LAVRENTIVS PRIOLO. . . . .

1558 AVGVSTINVS LIPPOMANVS ex patrui resignatione hoc anno Episcopatum Veronensem administrandum suscepit.

FINIS.

LIB. IIX.

INSCRIPTIONES ANTIQVAE.

Tuſculani ad S. Dominicum.

DIS
CONSERVATORIB
PRO. SALVTE
ARRIAE. SVAE
M. NONIVS
MACRIN. CONSECR

Tuſculani

I. O. M.
HELVIA FOR
TVNATA

In Baſilica Vallis Gothariæ

IOVI
O. M

Veronæ in Domo Triuellorum

IVN. LVN.
REG. SACR
P. VITVLLIVS
PHILOLOGVS
VI. VIR. AVG
INFERIO

Ap. D. Io. in Valle Veronæ.

SATVRNO. AVG.
SACRVM
M. CASSIVS. FIRMVS
V. S. L. M

In Valle Torpiliana

DIS MANIB
IOVI. ET IVNONIB
TI. FLAVIVS. IIII. VIR. I. D.
C. ET. P. GRATO
IN. VITA. SVA. NVLLI. MALEDIX
. . . .
. . . .
H. M. H. N. S

Monte aureo in Æde.

I. O. M
P. OCTAVIVS. PATROCLVS
ET. ATTIA. MOSCHIS. ET
P. OCTAVIVS. ATTIANVS
IMPER

Propè S. Euphemiam

DEO. MAG
NO. AETERN
L. STATIVS. DI
ODORVS. QVOT
SE. PRAECIBVS
COMPOTEM
FECISSET
V. S. L. M

Sirmione in cœmiterio S. Saluatoris.

IOVI
L. AESIVS
VRBANVS
V. S. L. M

Malſeſeni

MATRI. DEVM. ET. ISIDI
C. MENATIVS. C. F. FAB
SEVERVS. FANVM. REFECIT. ET
PROFANVM. DE. SVO. FECIT
EX. VOTO

Ad S. Georgium in Valle Pulicella

CVSLANO. SAC
L. OCTAVIVS
C. F. CRASSVS
L. C. OCTAVI. L. F.
MARTIALIS. ET
MACER

Sirmione in Eccleſia S. Saluatoris

I. O. M
EBVSSI. FIR
MINVS
TE. CASSIANVS

Colonioleę

L. POSTVMIVS. FACILIS
T. KAREIVS. VALENS
LINTEONES. APOLL
D. P. S. D. L. D. P

Coloniolæ

SEX. IVENT. SVAVIS
DIANAE. LVCIF
LVNAE

Colo-

Coloniolæ.

I. O. M
C. CASSIVS. C. L
THYRSVS
VI . VIR
V. S. L. M

Apud Caſtrum ruptum.

VESTAE
Q. CASSIVS
M. F
VARVS
V.S.L.M

Tuſculani.

NEPTVNO. AVG. SACRVM
PRO. SALVTE. L. SEPTIMI
SEVERI. PATRONI
L. SEPTIMIVS. FELIX.
EX. VOTO
N. H. V. N. AVG

Colonioleę Fragmentum aliud.

MARIO. PATRI. ET
HERCVLI . . . .
D. CALLISTVS

Coloniolæ

NVMINI
MERCVR. SACR
P. LICINIVS
SATVRNINVS
P. S. F

Propè Montem Aureum.

MINERVAE. AVGVSTAE
PAPIRI. THREPTVS
ET. PREPVSA. V. S. L. D. B. P

Tuſculani.

VICTORIAE
PRO. SALVTE
Q. MINICI. MARCI
SEX. CABINASIVS. PRIMVS
EX. VOTO

MER
SACR
SVM . DEVS . ALATIS . QVI . CRVRIBVS . ÆTHERA . CARPO
QVEM . PEPERIT . SVMMO . LVCIDA . MAIA . IOVI

Pago Scaligerorum.

D. M.
MERCVRIO. MAGNO. D. S.
FRATRI. SVB. CL. PRAESIDE
PROV. TRANSP. C. T. F. TRIB
MIL. TRIVM VICTOR. III. PR
Q. C. ET. CN. POM. CONS

Materni in Æde S. Andreæ.

D . S
HERCVLI. ET
IVNONIBVS
L. VALERIVS. SE
VERVS. ET. CLODI
A. CORNELIANA
PRO. L. VALERIO
CORNELIANO
V. S. L. M

Ad S. Georgium Vall. Pulicell.

SOLI . ET . LVNAI
Q. SERTORIVS . Q. F
VETVS . FLAMEN

Summæ campaneæ in Æde D. Petri.

CRATIA. C. F
MINERVAE
V. S. L. M.

Maderne.

HERCVLI. DEO
VALERIVS . SEVERVS
ET. CLODIA. CORNE
LIANA. PRO. L.
VALERIO. CORNELIANO
V. S. L. M

In Æde S. Cæciliæ.

DEO . AVG
T . LAPPONI
DOMITIA
CASSIA
V . S . L . M.
L . D . D . D

Inſulæ Scalarum in Baſilica S. Stephani.

MERCVRIO
V.S.L.M
M.SCAEVILIVS
CORNEOLVS

Ad S. Petrum incarnarium Veronæ.

MINERVAE
SACR
C.CASSIVS.L.F
IVSTVS
VI.VIR.AVG.ET
LAELIA.LOGAS

Coloniolæ.

HERCVLI
Q.EVFEMIVS
Q.F.OVF
LVCVLLVS
AED
VI . VIR
V . S . L . M

Ad S. Zenonem Maiorem.

. . . .
C . H . C
LOCVS.ASSIGNATVS
MONVMENTO.IN.QVO.EST
AEDICLA.PRIAPI
IN.FR.P.LXX
IN.AGRO.LXX

Ad S. Nicolaum Veronæ.

LOCO.PVBLICO.DAT.D.D
PARCIS.AVG.SACR
L.CASSIVS.VERVCI.F
NIGRINVS.VI.VIR.AVG
V . S . L . M

In Ædibus Variorum.

AVGVSTO.SACRVM
PROBVS.VI.VIR.AVG
L . D . D . D

In Peniuſula Sirmionis.

PRO.SALVTE
L.SEPTIMI.SEVERI
PATRONI
L.SEPTIMIVS.FELIX
EXVOTO
N . H . V . N.AVG

Sirmione in Baſilica S. Saluat.

C.BETVTIVS.ENCOLPVS
MERCVR.RED

Apud Abbatiam Villæ nouæ, Pontini nunc.

PARCIS.AVG
P.FALERIVS
TROPHIMVS.ORNAMENTIS
DECVRIONALIB
RESTITVTOR.R.VER

In Ædibus Ioniorum.

IVNONIBVS
AVG.SACR
METELLAS.DE.NOMINE
SVO . ET
T.FLAVI.HERMETIS
VIRI.SVI
D . D

Propè S. Fauſtinum.

D . P
L.ANTISTI
VS.VITVLVS
CVM.SVIS
IMP.POS

☞ Statuarum baſes, Tabulæ, & Vrnæ ſepulcrorum VI. Virorum Auguſtalium Veronenſium.

Valezo auanti la Chieſa di S. Georgio.

Q.OCTAVO
Q.L.POB.PRIMO
VI.VIRO.AVG.SAC.IVVEN
OCTAVIA.TIGRIS.PAT
CONIVGI.B.M.ET.SIBI
V . F

Triniaci.

V . F
SEX.CLODIO
VI.VIR.AVG
ET.AGGORIAE.MARCELLAE
VXORI.EIVS
ET.CLODIAE.AMANDAE
LICINVS.PAT

In peninſula Sermioni in muro cœmiterii.

SEX.LAETIT.FAB
QVARTIO.VI.VIR
AVG.SEX.LAETIL.VA
LENTIONI.ET.RVFAE
RAVCVLAE.FIL.PARENTIB
ET.SIBI.ET.FESTAE
IANVARI.FIL.VXORI
SEX.LAETIL.SECVNDO
LAETIL.PRIMVLAE.FILIIS
ET.LAETILIAE.FIRMINAE
NVRVI

In cœmiterio D. Petri incarnarii.

CLAVDIAE
L.FIL.FIRMAE
L.CALPVRNIVS
L.FIL
MARCELLVS
VI.VIR.AVG
CONIVGI.B.M
ET.SIBI

Iuxtà Portam Burſaream.

CN.CORNELIVS
Q.CORVINI.L
MERITVS
VI.VIR.AVG.SIBI
ET.CLODIAE
ANTONIANAE.ET
L.CRESTAESIO.L.L
CONTVBERNALI

In Ædibus Alexandri Seratici Medici.

IVLIAE.VENVSTAE.LIB
C.IVLIO.ANTEROTI.ET
IVLIAE.APHRODISIAE.LIB.ET
TIB.CLAVD.PECVLIARI.VI.VIR.AVG
AMICO.ET.ATISIAE.APHRONI

Arcete ad S. Michaelem.

V . F
M.VERONIVS
EPAPHRODITVS
VI.VIR.AVG
M.ACOLI.F.CINCT
VERONIAE.CALLISTE

Tuſculani.

SEX.LAETILIO.SEX.F
FAB.FIRMINO
VI.VIR.AVG.LAETILIAE
VERA.ET.SECVNDA
FRATRI.PIISSIMO

Tuſculani.

M.TERENTIVS.PYRAMVS
VI.VIR.AVG.L.APPIO
APHOBETO.VI.VIR.AVG
GRATVITO.AMICO
TERENTIAE.PISTAE.SORORI
MESSIAE.ECVSAE
V.S.F.I
AP.POSTVMIO.PRIMIONI
POSTVMIAE.QVARTAE
A.B.M

☞ Statuarum baſes, Tabulæque Imperatorum Veronæ.

IMP.CAES.DIVI
ANTONINI.AVG
PII.FIL.DIVI.HA
DRIANI.PARTHIC.PRONEP.DIVI
NERVAE.ABNEP.M.AVRELIO
ANTONINO.AVG.AR
MENIACO.PONT.MAX
TRIB.POT.XVIIII.IMP.II
COS.III.BENACENSES

Tuſculani in Eccleſia S. Mariæ de Benaco
Alt.p.III. lat.P.II.

IMP.CAES.DIVI
M.ANTONINI.PII.GERM
SARM.FIL.DIVI.ANTON.PII
NEP.DIVI.HADR.PRONEP.DI
VI.TRAIAN.PARTHIC.ABNEP
DIVI.NERV.ABNEP.L.SEPTIMIO
SEVERO.PIO.PERTINACI.AVG.ARA
BICO.ADIABENICO.PONT.MAX
TRIB.POT.III.IMP.VII.COS.II
P.P.PROCOS.DESIGN
BENACENSES

Baſis alt. p. III. int. p.II. Tuſculani in S. Antonio ſuper Benacum.

IMP.CAES.M.AN
TONINI.PII.GERM.SARM
FIL.DIVI.FIL.NEP.DIVI.HA
DRIANI.PRONEP.DIVI.TRA
IANI.PARTH.ABNEP.DIVI
NERVAE.ADNEP.M.AVR.COM
MODO.ANTONINO.PIO.FEL
AVG.SAR.GER.MAX.BRIT
P.M.TRIB.POT.XIIII.IMP
VIII.COS.V.P.P.NOBI
LISSIMO.PRINCIPI.BENACENSES

Baſis alt. p. III. lat. p. II. Tuſculani in S. Dominico ſuper Lacum Benacum.

IMP.CAES.M.AVR.CLAVDIO
P.F.INVICTO.AVGVSTO
BENACENSES

Coloniolæ.

IMP.CAES
FL.VAL.CONSTANTIO
M.P.VIII.

Ad S. Petrum in Cariano.

D.N.CONSTANTINVS
MAXIMVS
VIII.P.XXXX

Coloniolæ.

IMP.CAES.M.AVR
MAXENTIO.P.FEL
INVICTO.AVG
M.P.XI

Ibidem in Columella.

D.D.N.N.FL.VALEN
TI.DIVINIS.FRATRIBVS
SEMPER.AVGG

Volargnis.

IMPP.AVGG.DD.NN
. . . . . AXIMO.ET
. . . . . PERPETVIS
. . . . VS

Sirmione in columna ad Ædem Diuæ Virginis.

IMP.CAES
DN.FL.CL.IVLIANO
P.F.VICTORI.AC.TRIVMP
SEMP.AVG.P.M.IMP
VII.COS.III.BONO.R.P
NATO.PATRI.PATRIAE
PROCONS
HORTANTE.BEATITVDINE
TEMPORVM.D.D.D.N.N.N
GRATIANI.VALENTINIANI
ET.THEODOSII.AVGGG
STATVAM.IN.CAPITOLIO
DIV.IACENTEM.IN
CELEBERRIMO.FORI
LOCO.CONSTITVI.IVSSIT.VAL.PALLADIVS
V.C.CONS.VENET.ET.HIST

☞ Statuarum baſes, tabulæ, & vrnæ ſepulcrorum Illuſtrium Virorum Magiſtratum Romanorum, & Coloniarum Veronæ.

Peruſii.

C.RVRBIO.C.F.L.N.TRO.GALLO
PROCVLEIANO
PATRONO.PERVSINORVM.ET
CVRATORI.R.P.VERONENSIVM
IVDICI.DE.V.DEC.AEDILI.PATRONO
COLLEGI.CENT.VIBIVS.DIMINIANVS

Coloniolæ.

Q.CAECILIO.C.F.METELLO
IMPERATORI.ITALICI
QVI.ARGEIS.NEGOCIANTVR

Sub Ponte nouo.

M.NONIO
M.F.POB
MVCIANO
P.DELPHIO
PEREGRINO
TRIB
MIL.LEG.X.FR
ET.QVAEST.AED.PR.LEG
PRO.PR.PROVINCIAE.ASIAE
PATRONO
D . D

In Turri S. Firmi Maioris.

P.GRAECINIO
P.F.POB.LACONI
ORNAMENTIS.CONSVLARIBVS

Apud pagum S. Floriani in Valle Pulicella.

Q.CAICILIO
CISIACO.SEPTICIO
PICAI.CAICILIANO
PROCVR.AVGVSTOR.ET
PROLEG.PROVINCIAI
RAITIAI.ET.VINDELIC
ET.VALLIS.POENIN.AVGVRI
FLAMINI.DIVI.AVG.ET.ROMAI
C.LIGVRIVS.L.F.VOL.ASPER
7.COH.I.PR.INGENVOR

In parietibus Balneorum Calderianorum.

V . F
IVNONI.SACR.PETRONIO.PROBO.V.E..
TOTIVS.ADMIRATIONIS.V..
PROCONS.AFRICAE.ET.PRAEF.PRAET.ILLYRICI
PRAEF.GRAECIAE.ET.GALL:AE.II
PRAEF.PRAET.GALLIAE.ATQVE.AFRICAE
PRAEF.VERON.III.CONS.ORDINARIO
CIVI.EXIMIAE.BONITATIS
DISSERTISSIM.ATQVE.OMNIBVS
REBVS.ERVDITISSIM
QVI.FVNDAMENTA.MVROSQVE
AB.SOLO.FACIVNDOS.CVRAVIT.IDEMQVE.PROBAVIT
IN.TERRAM.FVNDAMENTA.DE.SVA.PECVNIA
LARIB.DANT.COSSO.CORNELIO.LENTVLO.L.PISONE
AVGVRE.CONS.VOTO.SOLVTO

In

In Ædibus Turcarum S. Firmi Maioris Veronæ.

à Latere.

MANVMISS
ALVMNA·ANN
IIII.DIER.XVII.A
M.AVENA·MACRO
SPLEND.EQ·R
OMNI·HONORE
FVNCTO

AVENIAE
BASSARIDIS
FILIAE.OPTIM
M.GAVIVS
CORNELIVS
AGATHE.MER
AVENIANVS
OMNI.INIVRIA
DEBILITATVS

à Latere.

VIXIT.ANN
XXV.MEN.IIII
DIEB.XIIII
OMNI.SENSV
VITA.PIETATE
PERFECTISSIM

Retrò.

ΘΕΑ
ΧΑΡΙϹ
ΒΑϹϹΑΡΙϹ

☞ Tabulæ Artificum Veronenſium.

In oſtio Xenodochij Veronæ, quod Miſericordiæ dicitur.

MAGISTRI
M.LICINIVS.M.F.PVSILIO
SEX.VIPSANIVS.M.F.CLEMENS
Q.CASSIVS.C.F.NIGER
MINISTRI
BLANDVS.C.AFINI.ASCLAE.SER
MVRRANVS.P.CLODI.TVRPIONIS.SER
AVCTVS.M.FABRICI.HILARI.SER
COMPITVM.REFECERVNT.TECTVM
PARIETES.ALLEVARVNT.VALVAS
LIMEN.DE.SVA.PECVNIA.LARIBVS.DANT
COSS.CORNELIO.LENTVLO.L.PISONE
AVGVRE.COS

Ad S. Mariam in Stellis propè fontem.

P.POMPONIVS.CORNELIANVS
ET.IVLIA.MAGIA.CVM
IVLIANO.ET.MAGIANO.FILIIS.A.SOLO
FECERVNT

Calderii.

. . . .
FVNDAMENTA.MVROSQVE
A.SOLO.FACIVND.CVRAVER
IDEMQVE.PROBAVER.IN
TERRAM.FVNDAMENTA
DE.SVA.PECVNIA.LARIB.DANT

☞ Tabulæ, Vrnæque Sepulcrorum Veronæ.

Nel muro della caſa del Dottor Caggia.

CN.VETTIVS
CN.F
SABELLIVS

In Arcu Caſtri veteris.

C.GAVIO.C.F
STRABONI

Suburbio extra Portam S. Georgii.

L.AFINIVS
P.F
C.CELER

Volarnis.

L.EGNATIVS
L.F
NIGER

Piſcantinæ.

L.TENATIVS
M.F
VARVS

Apud Villam S. Florani.

M.VARIVS
VARI.F
MAXIMVS

In Clauſtro S. Zenonis Maioris.

C.SEMPRONIVS
C.F.POB
REITA

In poſtibus arcus Caſtri Veteris.

L.VITRVVIVS.L.L
CERDO.ARCHITECTVS

Propè Atheſim retrò S. Euphemiam.

Q.ANNIVS
BALBVS

In Ædibus Maiorum.

C.FICARIVS
H.M.H

Arbiciani.

M.TRAVIVS
M.F
SAVFEIVS
SABINVS

S. Ambroſio Vallis Pulicellæ.

Q.VEVO
MESSI.F
SEVERVS

Veronę in area S. Proculi
M.VRIATIVS
ZOSIMVS
LIBERTVS
FAC.CVR
In arcu Caſtri Veteris.
M.GAVIO.C.F
MACRO
Buris ad S. Martinum.
C.CAESIVS
C . F
AGRIPPA
In Ædibus C. Miliorum.
Q.HORTENSIVS
ASIATICVS
Fumanis.
C.VALERIVS
C . F
CLEMENS

Coloniolæ.
L.VIRIVS
VICTOR
Ad S.Georg. Vallis Pulicellæ.
M.OCTAVIVS
M . F
A S.Pietro in Caſtello fuori della Chieſa in vn canton.
C.CORNEL.ƆL
MONTANO
Buris ad S. Martinum.
C.CLODIVS
P . F
MARIANVS
Volarnis.
Q.NIGIDIVS
FESTI.F
TERTIVS

Ad S. Georg. Vallis Pulicellæ.
L.VALERIVS
C . F
COXINVS
Coloniolæ.
Q.VOLTEIOS
Q.L.MENODORVS
M . P
L.F.EROS
Antè Eccl.S.Quirini via noua.
SEX
FADIO.EL
BATHYLLO
ANNOR
XV

☞ Cippi, tabulę, Vrnęque ſepulcrorum Veronæ Militum legionariorum cohortium.

Tuſculani in Eccl. S. Antonii Alt. p. VI. Lat. p.XII. Litt. Lat. dig. VIII.
INDVSTR..IOA...NIVOLO
PLVRIMIS.MILITIAE.HONORIBVS
FVNCTO
P...SVAE.PIETATIS.MERITO.M.AVR
DVBITATO.V...I.PATRI.ET.C.CENTVLDIO
FORTVNATO.ADVLESCENTI.CLARISSIMO
FILIO.AMANTISSIMO
M.AVR.DVBITATVS.V.C.FIERI.IVSSIT
In Stabulo S. Zenonis.
SEX.SALANIVS . . . . .
P.F.MANDAT . . . . .
MILES.LEG. . . . .
Ad Sanct. Zenonem.
SEX.SALANIVS
P.F.MANDAT
MILES.LEG.XV
In Æde Diuæ Liberæ.
C.CORNELIVS
MELIBOEVS.SIBI
ET.SENTIAE.ELIDI
MEDICAI
CONTVBERNALI
Coloniolę.
L.GALLIO.L.F.ROM.COH
ORTE II.MV.GELLIVS
FRATER

Materni in Æde.
P.EPPIVS.P.F.FAB
RVFVS.MIL.COHOR
II.PRAET.T.F.I.ARBITR
Ad S.Proculum ante Eccleſiam.
Q.CATIO
PHOTINO
VESTIARIO
NICEPHORVS.LIB
PATRON.OPTIM
ET.SIBI.V.F
In Ædibus Placentinorum.
OCTAVIA.Ɔ.L.HILARA
V.F.SIBI.ET
L.COELIO.L.L.STATVARIO
VIRO.SVO.ET
L.COELIO.L.F.FIRMO
FILIO
H.M.H.N.S
In facia della Caſa di M. Lonardo Serenello appreſſo al Domo.
Q.CAESIO.Q.F
POB.SIGNIF
M.CAESIO.Q.F
POB.VETERANIS
LEG.XIIII.GEMIN
Q.CAESIVS Q.F
PRIMVS

In

In pago portus propè oppidum sui iuris Liniacum.

GAVIA.L.F.RVLLA
VIVA.SIBI.FECIT
ET
M.VALERIO
CRISPINO.FILIO
O.LEG.VII.GEM

Sandrati pago.

D . M
OCTAVIVS.MARCELLIA
NVS.FIRM.NAVIRAL
OCTAVIO.FIRMIO.MARCELLIANO
FRATRIBVS.ET.VIRIAI
PATERNAI.CONIVGI
PIENTISSIM.B.M

☞ Cippi, tabulæ, Vrnæ, Areque sepulchrorum Veronensium Ciuium.

Apud Montem Aureum.

LAELIAE.CLEMENTINAE.VXORI.INCOMPARABILI
Q.F.SECVNDVS.MARITVS.ET.SIBI.VIVVS.FECIT
FVNCTA.IACES.HIC.SED.VIVIS.VIVES QVE.SECVNDO
LELLA.TVO.DEBENT.NEC.BENEFACTA.MORI
TE.TELLVS.SANCTOSQVE.PRECOR.PRO.CONIVGE.MANES
VOS.ITE.PLACIDI.TV.LEVIS.OSSA.TEGAS
VIXIT.ANN.XXVII

Calderii.

QVAE.MVLTVM.SYRENARVM.CANTV.DVLCIOR
ET.QVO.AD.BACCHVM.IN.SODALITIIS.MAGIS
AVREA.VENERE.QVAE.ELOQVI.VOCE.CLARIOR
IRVNDINE.ET.QVAE.AD.IVNONIS.FONTES
CAELESTIA.SOLATIA.CAPIEBAT
HIC.TVRPILIA.IACET.BISIO.LINQVENS.LACRIMAS
CVI.FVERAT.SOLATIVM.A.PVERITIA.ILLA
AVTEM.TANTAM.DEMVM.INOPINATE.DISIVNXIT
AMICITIAM

Apud S. Cassianum.

L.MAG.MACIANO
CL.SEVERA.MARITO
KARISSIMO.ET.CORN
VALERIO.FIL.PIENTIS
SIMO.ET.MAG.PRISCI
NIANO.SOCERO.B.M
ET.SIBI.ET.IN.MEMO
RIAM.EOR.ET.SVI.COLL
N.B.AD.ROSAS.ET.PRO
FVSIONES.O.N.F.AD
HS.N.LX.MIL.D.F.D.I.P

Coloniolæ.

Q.TITIO.SERTORIANO
Q.TITIVS.SEVERVS
FILIVS.QVEI.COLL
ANN.DEDIT
HS.CCCC.AD.ROSAS.ET
ESCAS.DVCENDAS.EI
OMNIBVS.ANNIS

Veronæ in angulo horti Ædis S. Crucifixi.

LOC.SVPVLTVRAE
FAMILIAE.XX.LIB
REG.TRANSPAD
THEOPOMPVS.ARID
S.P.ET.TRYONIVS
ET.Q.SICINI

In Æde Cathedrali.

P.IVLIVS.APOLLONIVS
SIBI.ET
ATTIAE.VALERIAE.CONIVGI
OBSEQVENTISSIMAE
VIVVS.PARAVIT.EIVS.Q.
CORPVS.IN.ARCA
CONDIDIT.ET.LOCVM
SERVIO.DEDICAVIT

In Cœmiterii S. Zenonis.

QVARTVA.HIC.VIDVA
VIX.ANN.LXXX
MARCELLINVS.CARISSIMVS
FRATER.CARISSIMAE
SORORI,ET.PIENTISSIMAE
MERITAE.FECIT
QVAM.OMNIS.ECCLESIA
DILIGEBAT

Veronæ.

VARIOLAE.SEC
CONG.MEAE.K.LYMPHATAE
PROH.DOLOR.CESAM.ET.SE
CVM.DVOB.NAT.INTERF
HEV.K.K.ET.INNOCENTISS.F
DIRE.ETDIV.DEFL
FAVENT.DIIS.IN.PACE
QVIES
Q.VIX.ANN.XXVI.MEN.IIII
D.VIIII
C.NIGRINVS.CONIVGI
CARISSIM.ET.SIBI.PARTEM
L . M . D

Veronæ.

QVO.VADAM.NESCIO
SED.INVITVS.MORIOR
VALE.VITA
VIXI.ANN.XX.M.VI.D.VI
HORAM.SCIT.NEMO

Monte Aureo.

SEDES
M.OCTAVIO.M.F.APRINEM
L.VALERIO.L.F.FIRMO.MELIO
AVCTO.LIBERTO

In Cœmiterio S. Proculi.

C.GAVIO.C.F.QVI
VIXIT.ANN.XLIII.M.X
C.GAVIVS.MENODORVS
FILIO.PIISSIMO.PATER
INFELIX.AEQVIVS
ENIM.FVERAT.VOS
HOC.MIHI.FECISSE
ET.SIBI

In Domo Turrianorum.

L.ANNIVS.C.F.POB.SIBI.ET
M.ANNIO.C.F.FRATRI.FIERI
TESTAMENTO.IVSSIT.PROBAVERE
DIOMEDES.ET.ANTHVS.LIBERTI

In ripa Athesis.

VETO
RELIQVIAS
P.VERONIVS
CALLISTVS
HOM.OPTIM
HIC.IACET

In Episcopio.

L.GAVII.VINDICIS
POMP.CONS.C.F
VALERIAE.M.PVLLI
GAVI.F.T.F
C.COMISIAE.AVG
III.ARIADNES

Quinctiani in Æde.

D M
SALAE
SYNETITIAE
M.AVGVSTVS
HYPATVS

Gardæ.

D M.
SEX.NAVINIVS.SEX.L
APOLLONIVS
CONCORD.SIBI.ET.SVIS
IN.FR.P.XXXVI.RETRO.P.XX

In muro Basilicę Gardensi super Benacum.

D . M
P.VELIO.GENIALI.P.VELIO
HYGINO.VELIAE.RVFIN
IAE.VELIAE
ALEXANDER.LIB
ET.SIBI

Ad S. S. Firmum, & Rusticum.

D . M
MATRONIAE
MATERNINAE
CONIVGI.DVLC
ISSIMAE.VIXIT
ANNOS.XXIII

In Ædibus Torelli Sarayni.

DIS
MANIBVS
STATIA.SEVERA.P.F
T . S . L
CVR . LIB

Ad S. Mariam in Solario.

DIIS MAN
VERECVNDI
DELICATI.QVI.VIXIT
ANN.XIIX.M.II.D.XI
C.VESSIVS.MARTIALIS

Gardæ in muro Basilicæ super Benacum.

D M
C.IVL.EVHIMERO.COR
MARCIANAE.MARITO
POSVIT
ET.IVL.MAXIMVS.ET.COR
MARCIANVS.PATRI.ET.SIBI

Propè Macellum.

D . M
M.TVRPILI
CASSIANI.FILIVS
PATR.PIENTIS

In altissimo Monte Mariano.

PORCIAE.IVSTAE
D.CONIVGI.INNOCENTIS.M
SIMAE.C.OCTAVIVS.FIRMIVS

Ad S. Zenonem.

D . M
VERONIAE
CHARITAE
QVAE.VIX.ANN
XXIIX.MENS.IIII
DIES.VII.Q.VERONIVS.RVSILIO
CONIVGI.INCOMPARABILI

Propè

Propè S. Clementem.

D · M · ET
MEMORIAI
VALERIAE. VALERIANAE
VXORI.S
C. MAECIVS. ATILIANVS
VXORIS. ET. MAECI
FRONTO. ET. ATILIANAE. MATRI.S

In Horto S. Zenonis.

D · M
L. NOVEL. RAC. DAM
T · F · I

Propè Benacum.

D · M
CASSIAE. M. F. FESTAE
CLODIA. RESTITVTA
FILIAE. DVLCISSIMAE
QVAE. VIXIT. ANN. XXXIII
DIES. XLI
ET. Q. MINVCIVS. MACER
CONIVGI. KARISSIMAE
VIVVS. DEDIT

Ædibus.

D · M
VESTIDIAE. Q. F
FIRMINAE

Coloniolæ.

D · M
SVESTIDIAE
Q · F
FIRMINAE

In pariete Ædis S. Mariæ in Organis.

V · F
DIS. MANIB
CVRTIAE. C. F
PROCILLAE
PATRONAE. OPTIMAE
P. ALFIO. ALIENO. MAXIMO
CVRTIO. PROCILLAE
CVRTIA. CALLIPOLIS. LIB
ET. SIBI. ET. LIB. SVIS
VTRIVSQ. SEXVS

In Pago Quincti.

L. CORNELIVS
L. F. PAVPER
V. F. SIBI. ET
ATTIAE. SECVNDAE
VXORI. ET
MAXIMAE. FILIAE
IN. FR. P. XXV. IN. AG. P. XVI

In Area D. Zenonis.

V · F
M. GAVIVS. SEVERVS
SIBI. ET. CORNELIAE
EPIMELIAE. CONIVGI
OPTIMAE. BENEMERENTI
ET. M. GAVIO. SEVERO
ET. CORNELIAE. RESTITVTAE
LIBERTIS

Materni.

V · F
SEX. CALVISIVS
SATVRNINVS. SIBI. ET
CALVISIAE. SATVRNINAE
CONIVGI. DEFVNCTAE. ET
CALVISIIS. FIRMIONI. ET
VALENTIONI. FILIIS. ET
NVRIBVS. ET. NEPOTIBVS
ET. PRONEPOTIBVS. ET
LIBERT. LIBERTAE. P. Q. S. V. F

In S. Maria in Organis.

V · F
C. DIDIVS. PHRONYMVS
ATHISIAE. PRIMAE
CONIVGI. KARISSIMAE
VIXIT. ANN. XXXV. CVM
VIRO. XXVIII

Coloniolæ.

V · F
SEX. GAVIVS. SEX
F. AN. LXXXX. TER
TIA. VXOR. AN. XXX
Q. FRATER. AN. XL
OPTATVS. F. AN. XX
Q. FILIVS. AN. XX

Ad Abbatiam Villæ Nouæ.

V · F
CLODIVS. FIRMIN
VENERIAE. VXORI
B. M. ET. FALERIAE
VALERIANAE
FILIAE. PIISSIM
ET. SIBI

Ad S. Siluestrum.

V · F
CN. DOMITIVS
EVPHROSINVS
SIBI. ET. FLAVIAE
MAXIMAE
VXORI. OPTIM

In

In Castro rupto.

Q.PONTIO.Q.F
CAPITONI
DOMITIA.L.CLARA
V . F
H.M.H.N.S

Ad S. Mariam de Perdono.

V . F
PRISCVS.BLIONIS.CARCI
SIBI.ET.VLPIAE.VLPI.GAETVLICI
FIL.SECVNDAE
VXORI.CARISSIM
ET.VLPIAE.PRISCAE
FIL.PIISSIMAE.ET.M.VISVLTEIO
PRIMO.GENERO
OPT
IN.AGR.P.XI.S
IN.F.P.XI.S

In Templo S. Michaelis ad portas.

V . F
L.VALENTIVS.EVTYCHVS
SIBI.ET
L.VALENTIO.SENECIONI
PATRONO.SANCTISSIMO

In Foro Boario.

V . F
CASSIA.C.F.EXORATA
SIBI.ET.CASSIAE.C.F.PRISCAE.ET
ANTONIAE.L.F.MARCELLAE
ET.SYN
TROPO.PVBLICO
IN.FRON.P.XXV
IN.AGR.P.XXXI

Ad S. Rosum.

V . F
M.POBLICIVS
LINVS
SIBI ET
POBLICIAI.ATTICAI.VXORI

In Ædibus Rufini à Campanea.

V . F
C.ATISIVS.C.L
FELIX
C.ATISIVS.C.L
GAMVS
BEN.ET . . . . .

In Via noua.

GN.SERVILIVS
CN.L.SYRVS
V . F

In Æde S. Proculi Veronæ.

V . F
CORNELIA.P.F
FECIT.SIBI.ET
L.VALERIO.L.F
BVRGILLO
ANN.XXVII
L.VALERIO.L.F.FESTO
L.VALERIO.VIRO
H.M.H.N.S
DED. . . . NVNC

In Cœmiterio S. Zenonis.

V . F
L.SCAEVINIVS.L.L
QVADRATVS.SIBI
ET.AVCTAE.SORORI.SVAE
D . M

Propè S. Nazarium.

V . F
H.M.H.N.S
M.TRAVIVS
CATIVS.SIBI.ET
LIVIAE.PSYCHE

In Ædibus Iustorum.

V . F
P.VERONIVS.AMPHION
SIBI.ET.MAGIAE.VESTAE
CONIVGI.BENEMERENTI
ET.SVIS

In Valle Agria in Basilica S. Zenonis in Canali

CALLISTAE.VIXIT
ANN.XIX
DYSTRIS.FILIA.ET
SIBI.V.F

Propè S. Anastasiam.

V . F
FIRMIA.LF.SERENA.SIBI.ET
M.CASSIO.M.F.FIRMO

Propè Pontem Nauium.

V . F
GAVIA.Q.L.PRIMA
SIBI.ET.POLICLITO
SIVE.SERVO.SIVE.LIBERTO
MEO.ET.L.CALPVRNIO
VEGETO

Ibidem ad S. Faustinum.

. . . .
. . AVIAI.PRISCAI
. . . VXORI.ET
. . GALI-

. . CALIDIAI . TYCHE
. . CONTVBERNALI
H . M . H . N . S
. FRON . P . XXIIII . IN . A .....

Ad Montem aureum.

M . CINCIVS . P . F . SIBI
ET . P . CINCIO . PATRI
ET . CALIDIAI . SECVNDAI
MATRI
TESTAMENTO . FIERI
IVSSIT

In pago Græcani.

L . ANNIVS
TESTAMENTO
FIERI . IVSSIT

Ad S. Amb. Val. Pul.

V . F
SVLPICIA . EVTHYCHA
SIBI . ET . C . SVLPICIO
PHILOGYRO . LIB
OPTVMO . ET . RVTILIO
RESTITVTO
CONTVBERNALI

In cœm. D. Zenonis.

C . QVINCTIVS . HERMA
SIBI . ET . T . HEDISTIAE
QVINCTAE . CONTVBERNALI
N . FR . P . XIII . IN . AGR . P . XVI

Apud Caſtrum ruptum.

Q . P . Q . F . CAPITONI
DOMITIA . L . CLARA
V . F
H . M . H . N . S

In ſuburbio propè caſas ruptas.

M . TENATIVS . L . F
TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT

Ad S. Martinum Apaciæ.

VARILLAE
SORORI
CORNELIVS
FAVOR
T . F . I

Hoſtiliæ in æde S. Laurentij.

V . F
STATIA . FREQVENS . SIBI
ET . STATIAE . M . L . ICONAE . MATRI
. STATIO . K . MODESTO . FRATRIBVS
ET . M . STATIO . VERECVNDO . CONLIBERT

Campalani.

C . CAECILIVS . NYM
PHIVS . SIBI . ET
MAECIAE . GEMEL
LAE . CONTVBERN
CAECILIAE . MAECIANAE
FILIAE
H . M . H . N . S

In pago Græcano.

NOVELLIA . Q . F . SEVERA
C . LAELIVS . OPTATVS
T . F . I

Paronæ agro Veronenſi apud ædem ſacram.

M . TENATIVS . C . F
NIGER . SIBI . ET
C . TENATIO . P . F . PATRI
DOMITIAI . C . F . SECVNDAI
MATRI
C . TENATIO . C . F . PROTEO
FRATRI
T . F . I

Propè Benacum, in pariete templi D. Zenonis.

ANETAE . ANIMAE
INNOCENTISS.
L . TREBIENSIVS . MAX
VALERIANAE . MATRI
CARISS . QVAE . VIXIT
AN . XXXV . D . VIII
ET . LOC . LVCILIANO . FRATRI
NOBILISSIMO
QVI . VIX . AN . II . MEN . II
D . XXIIII

Abarni.

M . AEMILII . NAEVIANI
QVI . VIXIT . ANN . XXVIII
M . VII . D . X . M . AEMILIVS
VALENS . FILIO
OBSEQVENTISSIMO
ET . SIBI

Iuxtà Benacum.

L . AQVILIVS . SECVNDVS
L . AQVILIO . CHARITONI
ET . PVBLICAE . VENERIAE
PARENTIBVS . PIENTISS
LIBERTIS . LIBERTABQ . SVIS

Ad S. Silueſtrum.

L . CASSIVS . L . L
IANVARIVS
V . S . L . M
L . D . D . D

Ad SS. Apoſtolos.

SEIAE
CHARITE
QVAE . VIXIT
ANNOS . XV . M . VII
Q . CATIVS
NICEPHORVS
CONIVGI
BENE . MERENTI

Ibidem S. M. in Organis.

IN . RECESSV
XXXX
CVRA . XYSTI

Propè S. Quiricum.

SEX
FADI Σ L
BATHVLLO
ANNOR.
XV

Propè Benacum.

P . POSTVMIO . PRIMIONI
POSTVMIAE . QVARTAE
A . B . M

In Ædibus Aur. Burgeti.

SECVNDA . ANNIA
L . S . HIC

Veronæ propè Atheſim.

TARQVINIA . Ɔ . L
FAVSTA . S . V . L . D

In Ædibus Ædiſimi S. Procnli Veronæ.

D . LIVIAE . M . F
VENVSTAE
M . LIVIVS . FORTV
NATVS . LIBERTAE
ET . VXORI . BENE
MERENTI
ANN . XXIII . M . VII
D . XVII

Polliani.

CORNELIA . M . F
MARCELLA
ANN . IIII

In Ædibus Balthaſſaris Auantij.

FIRMIVS
OCTAVIVS
CARATTIA
ET . TESTA
COROLLINA
C . VALERIO
SVRO
ET . SIBI
PARTEM
P . XXX

Apud S. M. de Scala.

M . AVDASIVS . M . L . TITVRVS . V . F
ANTISTIAE . SP . F . QVINCTAI . VXORI . ET . CASTRVCIAI

Coloniolæ.

L . CVRTIVS
I . L . PRISCVS
CVRTIA . L . L
NENEVMA
CVRTIA . Ɔ . L
MYRAMIS
ALBANVS

In Ædibus Pauli Mazanti.

P . VALERIVS . SPVRI . F
MONTANVS . VIVVS . FECIT
MATRI . ET . PATRI . ILARIONI
SVRIAI . POMETIAI . ET . SVIS

Coloniolæ.

L . CORNELI

In arce D. Petri.

C . CORNELIO
C . L . MONTANO

Sirmione in cœmiterio ædis Diuæ Virginis.

P . CLODIO . P . L
. . . P . . . .

Ad S. Georgium Vallis Pulicellæ.

IHAMNA . GALES
QNNA . GALLE
C . OCTAVIVS
M . F . CAPITO

Veronæ.

CRESCENS
SIBI . ET
AVFILENNAE
PRIMIGENIAE
LIB

Ibidem.

ET
M . AVDASIO
SVAVI . SODALI

Ad S. Georgium in Valle Pulicella.

L . OCTAVIO . L . F
STABERIN
CAPITONI
C . OCTAVIVS . CAPITO
PATRVVS . POSVIT

Apud S. Vitalem.

HELPIDI . L
IPHIDI . L
P . SERVILIO
P . L . PLACIDO

Inuentum in foſſa extrà Portam curricularem.

P . CAESIVS . MANTVANVS
SIBI . ET . VIRIAE . FESTAE
ET . CAESIAE . SERVANDAE
ET . CATIAE . PRISCILLAE
ET . CAESIAE . IVLIANAE
ET . SVIS

Propè S. Thomam.

L . DECIVS
BLASTVS
SEMPRONIAI
LEONTIDI
SORORI
BENEMERENTI
H

In puteali ad Leone.

FIRMIVS
FAVST . V . F
L . L . FA . Q . L
SPECV

Propè Xenodochium S. Agnetis.

L . AELIO . DILECTO
Q . MATER . FECIT

In cœmiterio Diui Zenonis.

MARCEL . VERECONDI
ET . CAESIAE . FVNAM
CONIVGI . EIVS
ADONDANVS . LAELIVS
MAXIMVS . ADENS
ET . VALERIA . MARCELLINA
FRATRI . BENE . M

In Insula lacus Benaci.

MARIONI
ESDACCI . F
ET . VESGASAE
BITTIONIS . FIL
ET . ARRVNTIO
MARIONIS . F
PRISCVS
MARIONIS . F
PARENTIBVS
ET . FRATRI

Ad S. Michaelem ad Portam Bursaream.

C . VIBIO . EVTYCI . F
VIBIAE . POTENT . L . L
PARENTIB
C . VIBIO . APHRODIS
PATRVO . VIBIAE
APHRODISIAE . AVIAE
C . VIBIVS . CALISTIO

In ædibus Francisci Abolij.

CAECILIAE
CHRYSIDI . ET
ANICETO

Veronæ ad Oratorium S. Zenonis.

CASTRICIAI
POSILLAI

In ædibus Iustorum.

. . . .
MATRI . RVFRIAI
C . EXORATAI . VXORI

In ædibus Torelli Saraynæ.

P . STATIO . L . F
DENTONI . PATRI
CASSIAI . Q . MAXIMAI
MATRI
STATIAI . P . F . SEVERAI
MAECIANAE . A . F
SECVNDAE . AVIAE

In Pago Nigrariano.

AVRELIAE . ITERIDI
VXORI . PVDICISSIMAE
C AVR . NICETA

Ad S Crucem in Cittadella.

CLAVDIAE
TI . F
MARCELLINAE
BELLICI . SOLERTIS
CON
M . ET . Q . HORTENSI
PAVLLINVS . ET . FIRMVS

Ad S. Proculum.

Q . CORNELIAE
C . F . RVFIALI
C . QVINCTIVS
ANDREA

Ad S. Mariam in Stellis.

POMPONIAE . ARISTOCLIAE . ALVMNAE

Campalani.

P . TRVTTEDIO . P . L
PHILOMVSO . PATRI
MAGIAE . M . F . MAXIMAE
. I . MATRI

In ædibus Iacobi Cepollæ.

L . TENATIO
P . F . VIRO
BLANDIA
TC . MIRE

Ad SS. Firmum, & Rusticum.

CORNELIAE
RESTITVTAE
P . POMPONIVS
HERMES
CONIVG . DVLCIS
ET . CORNELIAE
FENGVSAE . SOCR
SANCTISSIMAE
ET . SIBI

Propè S. Andream.

GAVIAE
VALERIAE
VAL . GAVIAN
FILIO . ET . SIBI

In area basilicæ D. Zenonis.

VALERIAE
C . F . MAXIMAE
HERENNIA . P . F
AVGVRINA
FILIAE . PIISSIMAE
ET . SIBI

Ad S. Proculum.

COR . . . . . AP . F
FE . . . . . . BI . ET

L . VAL . . . . . . LI . F
RVR . . . . LIO
AI
L . VAL . . . . . ESTO
L . VALE . . . . TRO
II . NS . . . .
DEI . . . . ND

Via curriculari, propè Aromatarium S. Marci.

VERONAE . CASSIAE
HELIODORVS . ET . CASSIANVS
FILII . MATRI . PIENTISS
ET . HELIODORVS
VERONENS . CONIVGI

Veronæ nuper inuentum.

. . . .
QVAE . . . .
NONIA . FIRMINA . MATRI
KARISSIMAE . ET . L . PONTIVS
FAVORINVS . . . . . .

In æde S. Proculi.

. . . .
L . F . MAXIMAE . F
ET . Q . C . VALERIO . L . F
FESTO . L . VALERIO
. . . .

Caldetij.

POBLICIA . Q . F
FESTA . SIBI . ET
C . BISIO . C . F . . . .
. . . .

In ædibus Perarioli.

STEDIAE . PAVLLI
NAE . L . CANTINI
VS . HERMIPPVS
CONIVGI . INCOM
PARABILI

Coloniolæ.

SPEDIA . L . L
SECVNDA

Brenzoni apud ædem S. Viti Fragmentum.

PLA . L . . . . . .
EX . F . NIGE . . . .
L . AIMILIO . L . . .

Ibidem.

. . . MARIO . . . .
. . . PATRI . ET . .

Ad Leones.

. . . . D
. . . IT . DOMIT
. . . AIIC . F . MAXIMAI
. . . . N . S

Volargnis.

M . LAEINI . . . .
ET . CELER . . . .
A . E . DEA . AEDILIS . . . . .
. . . .

FINIS.

AVCTARIVM MONVMENTORVM.

Illustrissimorum virorum Io. Baptistæ Liscæ, & Cozzæ de Cozzis studio.

In Acad. Philarmonica.
CELERI......
RVSTICO. CVRI....
PRIMO . SACIDIO .....
BENIGNO.FRATRIBVS
V . F

BÆBIA Q.L.SECVNDA
SIBI. ET Q. BÆBIO
M. F. PATRI. SERVILI
AE. PRIMAE. MATRI
ELPIDIAE. Q. SEVERI
FILIAE. Q. BAEBIOSE...
....

INFELIX . C
VERONA. VERA.
OPT. AA. CL. NL.
ET. LAVD. AMA
TRIX. MEM.

D. . . . . . . S.P.
HERCVLI . ET.IVNONIBVS
L. VALERIVS. SE
VERVS. ET CLODI
A CORNELIANA
PRO. L. VALERIO
CORNELIANO
V . S . L . M

SECVNDVS
CANO.LOCI.ET.FAMI
LI .....

CALPVRNIA
L. F. PRISCA
SIBI. ET
L. CALPVRNIO
QVADRATO. PATRI
VALERIAE. C. F.
SECVNDAE. MATRI
L. CALPVRNIO
PVDENTI. FRATRI
IIIIII VIR. AVG.

VICTORIAE
PRO. SALVTE
Q. MINICI MACRI
SEXTVS. CABINASIVS
PRIMVS. EX VOT.

M.DOMIT.....
POB.MAC.....
IIIIII. VIR

In Acad. Philarm.
IOVI
SANCTO
CASSIA
C.F.
IVSTA
V.S.L.M.

Q.CÆSIVS
Q.CÆSIO.

ΤΠΑΡΝΟΣ
ΤΠΕΡΙΝΟΣ
ΤΠΕΡΠΟΝΟΣ
ΤΠΕΡΤΕΝΕΣ
ΤΠΝΟΣ
ΤΠΕΙΝΟΣ

IVNONIBVS
AVG. SAC.
M.HELIAI.DE.NOMINE
SVO. ET
T. FLAVI. HERMETIS
VIRI. SVI
D. D.

Q. OCTAVIO
Q. L. POB. PRIMO
VIVIRO. AVG.
SAC. IVVEN
OCTAVIA. TI. CRISPATI
CONIVGI. B. M. ET SIBI
V. F.
Grut. (Tigris Pat.)

In extrema Basi huius lapidis.
QVERERE. CONSVEVI. SEMPER
NEQVE. PERDERE......
NVNC. AB. VIRO. QVI. VACO. DE
CASA. PAVLI....
VOLVIT. HIC. MEA. CONPOSIT Q.
REQVIESCVNT......
FILA.. SORAPVERO. QVI. MIHI
SEMPER. ERAT. NVNC. LABOR
OMNIS ... CVRAEQVE. MOLESTAE
NEC. SCIO. QVID. NVNC. SIM. NEC
SCIO. QV.....
PARVA. TAMEN. NOSTRO. REMANENT
SOLATIA. FACTO. VIVI. QVIA. DONEC...
VIVITE. FELICES. QVIBVS. EST. FOR
TVNA.....

DOMITIVS
L. F. SATVRNIVS
SIBI. ET
DOMITIO
PATRI

ÆLIÆ. C. CLEMENTINI
VXORI.INCOMPARABILI
Q. EVRIVS. SECVNDVS. MARI
TVS. ET SIBI. VIVVS. FECIT

V.
EGNATIA.....
SEVERA . SI....
OCTAVIAI.EXORATAI.FI..
PIENTISSIM.....

PVLRONVS
CALLISTVS
HOMO.OPTIM
HIC.IACET

C. AVDASIVS
L. ODVACI. F
AVDASIA C. F
RAVILA

SEX. SERTORIO
C. F. VOLVMNIÆ
L. F. TERTVLLÆ
VXORI
SEX.SERTORIVS.CLEMENS
PATRI.ET.MATRI
V. F.

VIVI. FECER
Q. PLOTIO
PVB. DESTINAT. S

....VAN.AB
FLAVIA
DONATA. V. S.
L . M

C ....
CÆCILIVS
FORTIO. SIBI
ET.CÆCILIÆ
FESTIVÆ. LIB
DVLCISSIM
ET SVIS

In Æde D. Steph. ante altare Septem Fratrum.

D . M
C.CALVENTI. FIRMINI
CVRATORES. INSTRV
MENT. VERONS. EX. NV
MERO. COLLEG. FABR

NOMINE
Q. DOMITII. ALPINI
LVCINIA. MATER
SIGNVM. DIANÆ. ET VENA
TIONEM. ET SALIEN
TES. T. F. I

ΧΑΡΙΝΟΣ
ΙΗΤΡΟΣ
ΚΟΡΙΝΘΙΟ

V.
M. GA........
SEVERV..
CORNELI...
CONIVGI....
BENEM.....

DIIS
PARENTIBVS
V . S . L . M
M.CENSOR
TENET

SATVRNO. AVG. SACR
P. TOSSIVS. ZOSIMVS
VI VIR . AVGVST
TOSSIA. SATVRNIA
CONIVX
V. S. L. M.

C. VSLANO. SAC.
L. OCTAVIVS
C. F. CRASSVS
L. C. OCTAVI. L. F.
MARTIALIS. ET
MACER

M. GAVIO......
CORNELIA....
LIBE......

IMP. CÆS. M. AN
TONINI. PII. GERMA
SARM. F.D.PII. NEP. DIVI
HADRIANI.PRONEP.DIVI
TRAIANI. PARTH. ABNEP. DIVI
NERVÆ. ADNEP. M. AVR. COM
MODO. ANTONINO. PIO. FEL
AVG.SAR.GER.MAX.BRIT
P.M.TRIB.POT.XIIII.IMP
VIII.COS.V. P. P. NOBI
LISSIMO. PRINCIPI
BENACENSES

PARCIS. AVG
P. FALERIVS
TROPHIMVS
ORNAMENTIS
DECVRIONALIBVS
RESTITVTOR.R.VER
SENICIO
SOLITVS
SOLITI. F
SIBI. ET
BANILLÆ. VXORI
T . F . I

PELLIAI. M. F.
SECVNDAI
SORORI
BLANDAI.L
XXXV

C. IVLIO. C. F
POB. VALERI
ANO. ET. OCTA
VIÆ. M. F. FESTAE
PARENTIBVS.B.M
C. IVLIVS. PATER
NVS. ET. VERVS

D . M
PARDON
DERTONENSIS
PVGNAR.X.HIC.XI
DECEPTVS.VIXIT
ANNIS.XXVII
ARRIANE. COLVCI. PARIS
MECVM. VIXIT. ANNIS

IVNIAI . M . F . TERTIAI
SORORI

SEXT . CARINVS
SEXTI . FIL
FIRMINVS
FLAMEN . ET
POMPONISIA
PONT . FIL
SEVERA

M . CASSIVS . M . L
DIDYMVS.PVRA
CASSIA . M . FILIA
C . RAPIS . L . VIVA
FECIT . SIBI . ET
PATRONO . ET
FILIAE.H.M.H.N.S

AVETE . ANIME . INNO
CENTISSIME
L . OC . TRIB
IASIVS . MAX . VAL
ERIANAE.MATRI
CARISS.M.QVAE.VI
XIT.ANN.XXXVI.DI
VIII.ET.L.OC LVCILI
ANO.PATRI.NOBILIS
SIMO . QVI.VIXIT.AN
LI.M.III.DIES.XXII
....
....
QVOS.CELO.NIMIVS.....FVE
RVNT......ERIG
....
....
....

D . M
.....AEVRVS.IINI
GABRA . MARCELLA
MARITO.KARISSIMO

F
.... IVS
IV..................
SIBI . ET
P . PONTIO . L . F
FESTO . PATRONO
GAVIAI.Q.L.LYCANIDI
CONTVBER
P.PONTIO. AGRICOLAE
FILIO

LVCIL . IVSTINV
.....QVO.PVBLICO
.....HONORIB.OMNIB
......VNICIP.FVNCTV..
....EMIN.PORTICV.QVA
...... VCITAT.PVBLIC
...OLVMN.IIII.CVM. SVPREC
....ISTRATVRA.PICTVRA
.....OLENTE.POPVLO.DEDIT

M.VARIO
L . F . PATRONO
MINICIAE . L . F
TERTIAE.ET.SIBI
T.VARIVS.M.L.SECVN
CAPRIA . C . F
SECVNDA
VARIA.M.F.MAXI
MA.FILIA

V . F
M.CLVTTIVS.P.F.POB
SIBI.ET.SVIS
PLACILLA.M.F.VASSIL
LA.VXOR

M.CLVTTIO.VIRIO
PATRI
CAELIAI.MAXIMAI
MATRI
CLVTTIAI.L.F.TERTIAI
SORORI

HORTANTE.BEATITVDINE
TEMPORVM.DDD.NNN
GRATIANI.VALENTINIANI
ET.THEODOSI.AVGGG
STATVAM.IN.CAPITOLIO
DIV.IACENTEM.IN
CELEBERRIMO.FORI
LOCO.CONSTITVI.IVSSIT
VAL.PALLADIVS.V.C
CONS.VENET.ET.HIST

In hortis Comitum Iustorum apud murum nouum.

...IF.QVIR.ALPINO
TRIB.LEG.II.AVG
PRAEF.COH.II.PR....
DON.DON.BELLO.GERM
CLAVDIATI . F. MARCELLINA
MARITO.OPTIMO

D : M
L . ANSICIO
IVSTINO . L
ANSICIVS
QVINTIACVS
FRATRI . PIENTIS
SIMO

C . TVLLIVS
GERMVLLVS
C.TVLLIO.HERMETI
VERANIAE . VERAE
BENEMERENTIBVS
(Grut. hic prolixior.)

.....INIV....
....NDV....
.....AVG.....
....RCIVIAE...
..ARCELLAE...
...RI.....
...ERI.PATRI
...MAE.MATRI
MARCELLÆ
T . F . I

D . M
IPSITHILLAE
DVLCISSIMAE
C . VALERIVS
CATVLLVS
LEPORIBVS . SVIS
MOERENS . P
V . F

.....OCTAVI....
M. F.SECVN....
...SETM.OCTA
VIO.C.F.LERI...
...TNATIS.EFV......

IMP.CAES.C.VAL.DI...
....TIANVS.P.F.INVICT.AV.GET
IMP.CÆS.M.AVR.VAL.MAX
...M.IANI.P.F.INVICT.AVG.ET
FL.VAL.CONSTANTI
NOB
IMP . VIIII

IVNONIBVS
AVG
L.LICINIVS.HYMNVS
VI VIR
V . S . L . M

IOVI.SAC

Lapis è ruderibus ad portá Burſaream xx. Octobris Anni. CIↃIↃCXLVII. erutus.
.....ALERIVS.C.F.POB
.....PLANTA.SIBI.ET
.RIO.C.L.AMPHIONI.ET
..AE.C.L.CLARAE
..ITO.FIERI.IVSSIT

V . S . L . M
PREPON.ET
DOMITIA
SYRILLA

FABRICIA
L.F.FESTA

D : M
TROPHIMES
L.LVCRETIVS
EPICTETVS
BENEMERENT
V . F

STLANIA.L.L
CYTHERIS
SIBI.ET
STLANIO
...OSTYV...O...

A tergo.
L.STLANIO
MOMVNCIO...
IIIIII.VIRO.AVGVS
TALI
HOMVNCIONI

MEMORIAE
POMPEIAE
POMPEIA.T ƆIS
SOROR

D . M
GENERO
SO.RETIARI
O.INVICTO
PVGNARVM
XXVII.N.ALE
XANDRIN.QVI
PVGNAVIT.VR....

DEO.MAG
NO.AETERN
L.STATIVS.DI
ODORVS.QVOT
SE.PRECIBVS
COMPOTEM
FECISSET
V.S.L.M

D . M
FVRIÆ.Q.F
CRISPINÆ
VIXIT.AN.V
MENS.VI.DIEB
XXVIII.FVRII
APHRODISIVS
ET.TRYPHOSA
NEPTI
DVLCISSIMÆ
V . F

L.NOVELLIVS.L....
POPVS.SIBI.ET
CLODIAE.C.F.MAXI
MAE.MATRI.ET
....

V : F
L . . . . VDICASIVS
C.F.SILANVS
VI VIR.AVG
SIBI.ET.RVNCASIAE

GENIO
IVCVNDITATIS
MVSIS
FLORAEQ
S

V . F
VALERIA.M.F
SECVNDA
CIRI . . . .

DIS.PARENTIBV
S.VINNIA.MODESTA
V.S.L.M

VALERIAE.C.L
HECALE.MATRI

DIS.PAREN
AEMILIA
. . . . CIT

AVRELIAE
PIERIDI
VXORI.PV
DICISSIMAE
AVREL.NICE
TA

L.REDONIVS
Q.F.PLANTA
FLAMEN.VOVIT
MANNIS.NAVIVS
POSVIT

. . .PETRONIANO
QVI.VIXIT.ANN
XXII.D.XXXXIIII
PETRONIANA
RIS....E.MATER.INFE
LICISSIMA.ET.SIBI
...IVIPSA.....

In fronte magni ſepulchri.
CN . ARRIVS . CN . F
CAETRONIVS. IIII VIR.D
AP.Q. AER.... ET
V . F D . M
CLODIAE.HEDONI.CONIVG
SANCTISSIMAE.CVM.QVA
VIXIT.ANN.XXXVIII
(Gruter. variat.)

CTESONI
M.VIPSANIO
CLEMENTI
L.VIPSANIO
LVCANO

D . M
OCTAVIAE
FIRMINAE.QVÆ
VIXIT.MECVM
ANN.XXX.M.IIII
C.SENTIVS.SE
CVNDVS.CON
IVGI.INCOMPA
RABILI.C.SEN
TIVS . . . . AVA
NVS.MATRI.DE
SIDERATISSIMAE

L . LAETORIO
L . F . POB
ANNEIO . RVFO
.
.
.
.
.
L . D . D . D

In Domo Cerutorum.
LARIBVS
IMP.CÆSAR.....
PARTICI.NE.....
AEDICVLAM.....
.SEIVS.M.F.FI......
OPVS.PROBA......

...O.M.F.FIR...
...VIRO.ET.PAT
...O.CEIONO
. . . .

ET.......
APOLLONIAI
VXORI
H.........

Apud Palermum.
..........CASSI
.....F.PO......
....LVIO.IIII V.....
....DILIC.PO....

In Acad. Phil. in lapide quadrato a latere.
MANVMISS
ALVMNA.ANN
IIII.DIER.XVII.A
M.AVENA.MACRO
SPLEND.EQ.R
OMNI.HONORE
FVNCTO

Triclinium duarũ mulierum diſcumbentium, & tertię ſcyphum offerentis.
V . F
NOVICIVS
RABVTIORVM
SIBI.ET
P.RABVTIO.GLASO
SODALI

M.MANILIO.M.F
POB.PANSAE
P.MANILIVS.M.F.POB
STRABO.ET.M.MANILIVS
M.F.POB.SILO.ABI
DIANVS.FECERVNT

P.VASSIDIVS
.....VI.VIR

Imago Imperatoris paludati, supra cuius caput sunt hæ literæ.

H . . . . . . N

DEO . AVG
T . LAPONI
DOMITIA
CASSIA
V.S.L.M
L.D.D.D

D . M
P.HOSTILIO.P.F.POB
P.HOSTILIVS.STERTINVS.DE
CVRIO.VERON.STABIDIA
MAXIMA.PARENTES.FIL
PIISSIM.ET SIBI.QVI.VIXIT
ANN.XXV.D.XXV.SINE.CRI
MINE.VITAE.FLORENTES
MORS.IPSA.ERI
PVIT.VIVITE.FELICES
MONEO.MORS.OMNIB
INSTAT.EXEMPLVM
EX.NOBIS.DISCITE.QVI
LEGITIS

A latere dextero huius lapidis est insculptus venator insigens hastam in os apri.

A latere sinistro venator cum cane venatico, quem fune alligatum dextera tenet.

In domo Nob. Hortorum.

DIIS
PARENTIBVS
AVGVSTIS
PORTICVM.DEDIT

C. ANNIVS . . . . .
SEXT . CAPIT
VIVIS . SIBI . ET
ANNIAE. . . . . .TAE
VXORI . SVAE
FECIT
H.M.H.N.S

CORNELIAE

. . . . ORBIS
PIISSIMO
AC . FELICI
EI . VAL. . . . .

DIS
MANIBVS

P.GAVIVS.P.L
HILARIO
VIVOS.SIBI.FECIT
H.M.H.N.S

In domo Veneriorum in via curriculari.

P.NVMITORIVS.P.L.AS
CLEPIADES.IIIIII VIR ME
DICVS.OCVLAR.SIBI.ET
SEMPRONIAI.L.F.CAILIAI
VXORI.TESTAMENTO
FIERI.IVSSIT

(Gruterus GALLAI)

In domo Bolderiorum ad S. Anastasiam.

OCTAVIAE SABBIN
CONLIBERTAE
M.OCTAVIVS.M.L
ZENOVIVVS
FECIT

M.CATIVS.M.F.TERTIVS
M.TVLLIVS.M.L.ATTIVS
C.COMINIVS.C.L.FELIX
C.CLODIVS.C.L.PARATVS
. . . .
. . . .
QVARTVS.MANILIVS
VSTRINAE.COMMVNE
IN.FR.P . . . .

Apud Ecclesiam S. Mammæ, ubi dicitur la Cadegra

C.CORN. . . . . .CL.ANNO
IIIIIIVIR . . . SIBI.ET
C.R.O.ET . . . DOMESTICO
T.F.I

In domo olim Iacobi Cæpolæ nunc Alexandri Manfredi I.C. apud Ecclesiam S. Iacobi ad pineam.

C.SERVIL
CAEPIONI.CON
CEN.ET.TRIVM
PHALI.PATRIAE
LIBER.DECVR
VERONEN.OB
IVD.RESTITVTA
M . C

Post viam nouam.

. GVSTIS.SACR
PROBVS.VIVIR.AV
M.L.D.D

In Canonica.

C.P.MINVCI
C.F.P.MINVCIO
P.F.AVO

In Turri Campana Maraticę.
DIS MANIBVS
GRANIÆ M. L
ROMANÆ
M.GRANIVS
VRSIO
OPTIME . DE . SE . MERIT
POSVIT

Apud templum D. Anaſtaſię.
C. ATTIO. C. F. POB. C. XILO. FILIO. SVO
(Gruter. CIXILO)

Extra Eccleſiam Cathedralem.
V . S
MAVRICIVS . L . VPORVS . AVG
N . I
(Grut. Mauricius Fuporus)

In muro Eccleſię Campalani.
L . TRVTTEDIVS . P . F . PVB . SIBI . ET . SE
CVNDAE. BAEBLAE. C. F
V . F (Grut. Secundai Bæbiæ.)

Coloniolæ.
V. F.
L. VITTORIVS. L. F. FESTVS. Q. VITTO
RIVS. L. F. SEVERVS. VI. VIR. AVG. SIBI
ET. CASSIÆ. SEX. F. MAXIMÆ. COMI
NÆ. L. F. FESTÆ. CATIÆ. M. F. SECVN
DAE. VXORIBVS. ET L. VITTORIO. L.
F. FEROC. C. VITTORIO. L. FESTO. Q.
VITTORIO. Q. F. FESTO. FILIIS. IVRIS
AVO.

Ibidem.
V . F
Q. CAMPILIVS. Q. F. VIRILIO. VI. VIR
IVN. SIBI. ET. TARNIAE. M. F. VERAE
VXORI. Q. CAMPILIO. PATRI CASTR
CIAE. CONDEXVAE. MATRI.
(Grut. Tatiniae. Conexuae.)

Ceretæ in angulo ædiculę D. Zenonis.
IOVI
IVNONI
MINERVAE
.... V . S . V . S . L . M

---

ibidem.
IOVI
P. PERCEN....
SABINVS . VET
COH . II . PRAE
V. S. L. M.

Veronæ in veſtibulo templi Trinitatis.
D. M.
ARRVNTIAE
FELICITATI
C. VALERIVS.

Coloniolę in angulo ædis, quam plebem. vocant.
MERCVRIO
V. S. L. M
L. CALVISIVS. P. F
ORICVLO

Veronæ propè Portam Nouam ante oſtium Fullonis.
. . . .
....LERIÆ. L. L. GALLAE
.... MENTO
....IVSS.

Veronæ in Turri Pontis noui.
V . F
..CASSIVS. M . F
..ERECVNDVS. SIBI. ET
..IASONIAE. L. F.
..AXIMAE. VXORI

Apud Palermum.
..CASSI
F. POB
LVIO. IIII VIR
DILIC . POT

Apud Panu. in Tribu Popillæ.
M. APICIVS
M. F. PVB
PVDENS
VERONA
MIL . COH. XII . PR
MILIT. AN. XVI
VIX. ANN. XXXIIX
H . S . E

Apud Oratorium D. Zenonis humi fixus lapis, à Palermo obſeruatus.
C. STATIVS
C. F. POB
MANCINVS

Repertum Pecenę ad ſcaturiginem Benaci in Agro Veronenſi Anno 1594.
C. PETRONI. C. F.
POB. MARCELLINI
INTER. PRIMOS. COLLEGI
ATO . IN . COLLEGIO . NAVICVLA
RIORVM . ARDELICENSIVM . CVI
COLLEGIO . DEDIT . LEGAVITQ
SS. N̄. II. AT. SOLEMNIA. CIB
ET . ROSARVM . SIBI . ET . CONIVGI
PETRONIA . PIA . PATRI
PIENTISSIMO

In fun-

In fundamento Camp. D. Proculi Veronæ.

TVRPILIO . Q . F . POB . Q . TVRPILIO . Q . F . POB . NGO . I
D . AVO . MACRO . FRATRI . TVRPILIA . Q . F . SECVNDA

Propè Caſtrum Suauii in quodam Fano.

V . F . L . VICTORIVS . L . F FESTVS . Q . VICTORIVS
L . F . SEVERVS . VI . VIRI . AVG . SIBI . ET . CASIÆ
SEX . F . MAXIMÆ . COMMINIÆ . L . F . FESTÆ
CATIÆ . M . F . SECVNDÆ . VXORIBVS . ET . L . VI
CTORIO . Q . F . FESTO . FILIIS

In Lobiano Pago, & poſt in Oppidum Leonici translatum.

SEX . ATILIVS . M . F . SERANVS . PROCONSV . EX . SENA
TVS . CONSVLTO . INTER . ATTESTINOS . ET . VICEN
TINOS . FINES . TERMINOS . STATVIT

Propè Benacum.

M . VERINIVS . P . F . RAIMVS . VI . VIR . AVG . BAP . PIO
APHOLETO . VI . VIR . AVG . II . GRATVITO . AMI
CO . TERENTIÆ . PISTÆ . SORORI . MESSIAE
PERPVSAE . VXORI

Extra Templum D. Dionyſii.

LEG . XV . APEL . LX . VII . AFER . DECV . XXVI.

In Templo D. Zenonis.

M . CINTVLLVS . L . F . PROB . SEVERVS . MILES . COH . V
PR . SIBI . ET . COLONATI . P . F . MAXIMAE . MATRI
(Gruter. Cintullius)

In portæ Burſareæ inferiori parte.

COLONIA . AVGVSTA . VERONA . NOVA . GALIENIANA
VALERIANO . II . ET . LVCILIO . CONSS . MVRI . VERONEN
SIVM . FABRICATI . EX . DIE . NON . APRILIVM . DEDICATI
NON . PR . DECEMBRIS . IVBENTE . SANCTISSIMO . GA
LIENO . AVG . N . INSISTENTE . AVR . MARCELLINO . V . P
DVC . DVC . CVRANTE . IVL . MARCELLINO

Iuxta Portam Burſaream in domo olim Cathaneorum.

AN . CHRISTI . CCLIII . IMP . DIVS . PHILIPPVS . SENIOR
VERONÆ . ET . ROMÆ . IVNIOR . A . SATELLITIBVS
INTERFINIVNTVR

In cœmeterio D. Ceciliæ.

V . F . P . CECILIVS . EMPIRODIVS . VI . VIR . AVG . CALCV
LATORI . IVSTINÆ . SELENÆ . VXORI . ET . SIBI

In Domo Marchionum de Malaſpinis Veronæ.

D . M
ÆDONI . SECVTORIS . PVG . VIII . EX . ACCINA . ARIA
NILLÆ . QVI . VIX . AN . XXVI

In vico D. Apoſt. in domo Bernardini à Gypſo Veronæ.

V . F
M . QVINTIVS . P . F . POB . MODERATVS . P . QVINTIO
POLLIONI . PATRI . ROMANIA . IMOVIAI

In Leonum Vico in domo Mazzantorum.

V . F
L . APPIVS . SABINI . LIB . CINNAMVS . . . RPENTIM . RO
MÆ . VIR (Grut. Cinnamus Torpenti.)

INDEX
Rerum et Verborum memorabilium.

Im-

Index Rerum, & Verborum memorabilium.

Ma-

Fri-

FINIS.

ANTIQVARVM INSCRIPTIONVM

VERONENSIVM

LIB. IIX

SYLLABVS.

E quibus aſteriſco notantur, quæ nondum editæ. Reliquas Gruterus è Saraina, Carroto, MS Panvinii codice, aliiſque in corpus Inſcriptionum traduxit. Quæ ſuperſunt, vel iterantur, ſuis quælibet iconibus in tabulis æneis appoſitæ reperiuntur; itemque in Opere ipſo ſparſim, cum peregrinis pariter manifeſtæ locupleti Rerum Indice. Acceſſerunt nonnullę Cozzæ de Cozzis, &Io. Baptiſtæ Liſcæ opera.

Gavia

Errata, quæ partim librariorum incuria, partim operarum festinatione irrepsere, sic emendanda.

Pag. 1. D. cum 2. B. compactas exstruere C. bello 3. C. *patuerunt.* 4. B. illustres. ibid. *Subocrini*, *Catili* C. Leopontios [*utrobique*] D. *sævitum* ibid. dixi, quia. 6. A. *sua* b. Strabonis 8. A. Ptolomæum D. linguam E. Theodoricus 20. 21 C. *Solutis est beatius* E. *Verbano* 22. D. decantarunt, 23. B est. Nam E. siphonibus 24. E. canabem 25. C. capitia D. chartæ bombycinæ 26. D. militiæ 27. D. Theodoricus E. opus habere. 28. A. Veronensi 29. C. *Athesis*, *implorantes* Lib. XIIX Amphiteatrum E. Gregorii 30. A. *indictione* 31. D. Comite Virtutum 32. B. *quotnam* E. Longobardia 34. B. Scaligerorum D. injuria 35. C. porticu 36. B. *præterea* 38. A. Cenamanorum 42. D. *intermittendo.* Et paulo post: *Consules, quo* Ibid. *Publilius*, 49. B. communicabant. nam 51. A. *De Fundanis* 57. v. 8. FRATRI PIISSIM 58. v. 12. colonicorum Epigrammata. 60. v 6. ABSVMTVM. COMPARATA 61. C. coloniç omnes 62. C. *vocent*, 64. C. *quibusquibus* 67. A. Arpinum, municipia 69. A. Tyrrheno 71. E. epistola vi.] Lib. 10. Ep 4. 72. A. epistola sequenti] Lib. 10. Epist. 22. B. Epistola xii.] Lib. 10. Ep. 6. C. epistola CXI.] Lib. 10. Ep. 105. 75. C. epist. LX.] Lib. 10. Ep. 66. Ibid. *Flavius Archippus* 77. D. Ep. LVI.] Lib. 10. Ep. 56. pag. 78. B. *Gemella.* 79. A. XCIX.] Lib. 10. Ep. 93. 80. A. ep. XLII.] Lib. 10. Ep. 42. 85. C. dicundo, 87. A. De Collegiis 89. C. superarunt. E. publica more Ibid. incitatis Augustus 92. C. quatuor 93. A. universi C. Epist. XLI.] Lib. 10. Ep. 48. 96. D. cæstubus, 100. E. curavi. 103. C. vires 104. A. Proculi B. EVPREPII D. inscriptio, & in vetustas tabella in eadem Basilica affixi. E. xxvj. Iulii. 105. A. VISVM. 106. B. Padumque transacta est, 107. A. quiescunt. 108. D. pontifice III. C. Pannonico, 113. D. renunciasset, 114. A. *præfecto* Ibid. *non tam* C. Germania Ibid. Illyricũ, 120. D. omnibus 121. D. quamproxime E. appropinquarat, Ibid. quotnam 122. D. renovavit. 123 B. abiere. D. trajecerunt, ingentibus 128. B. Feroce 131. B. successor D. expugnasset, E. Hirene, 133. A. Bernardi C. possunt, quæ E. legendum pro ..... tus fuit judicatus præ record. Ibid. Horum autem Episcoporum quamquam tã nomina quam tempora difficulter ex antiquitatis tenebris eduxerim, acta tamen non invenire potui. 135. C. Eporediæ 136. C. Luitprandus. Et Regino 139. A. [*Versus in autographo ita corrupti leguntur.*] E. Racherius Ibid. Lobiensis 140. A. Racherio 141. A. Eporediæ Ibid. Anscarius D. prælio. [NOTA Pag. 143. Operarum incuria Lib. vj. heic sequitur qui Onuphrio est Septimus. Huic itaque paginæ Lector 174. aptabit ad mentem Auctoris] 144. C. inimici sororem 145. A. Iulium Cæsarem, 149. B. *latissimè* D. *pronunciasset*, 150. C. *codicillos* D. *agrestium* Ibid. *ardere*, 151. E. est XCVII. 152. E. Quatuor 154. C. obtinente Ibid. Fr. Petrus Scaliger. qui ex ordine P. 1. q. d. f. v. [*Dele hæc.* Itemque Hic vir, *& quæ sequuntur.*] 155. B. plebecula 160. E. ostenderet 169. D. fuit Mastini filius 170. D. Iacobus Caballus 173. *Finis Libri Sexti.* 174. A. LIBER VI. D. Racherii. v. 9. regnavit v. 20. Vdeprandus sive Hildeprandus v. 29. Post Vdeprandum sive Hildeprandum 177. v. 2. Quem. 178. A. GEBBNARDI B. ingressus C. monumentis observaui, 179. v. 15. ECCLESIAE 180. C. Episcopo] (*Nova periodo*) E. Germani i. i. e. r. c. m. forent. 181. v. 21. pollicitis: Ibid. prælio 182. B. SPINEA 183. v. 8. fuere ✱✱ v. 9. *Dominus* v. 23. A. D. M.C. LXXVII. v. 27. antiquæ 184. A. annos, Ibid. prædictæ C. quia impedimento videbatur esse, D. Mortuo vero Algysio Ibid. insignia 185. v. 27. mentionem 187. v. 19. (*ad marginem*) 1189. v. 20. suffectus IMP. v. 26. Mediolanensi urbis prætore, 188. B. (*ad marginem*) 1200. C. 1205. 189. adjuti v. 18. reliquiæ v. 19. conjectæ. v. 24. præmium Veronæ v. 35. ceperat 190. A. latrociniis Ibid. (*ad marginem*) 1212. 1213. 1214. 1215. 1216. 1217. 1218. 1219. Pag. 191. v. 3. Padum 193. v. 21. publicos 194. Ibid. continuerat 195. v. 13. filia v. 26. prædæ. v. 27. præda 196. D. quingentorum 197. v. 16. Rangonæ. 198. v. 6. GVILIELMVS 200. A. internecionem 201. v. 2. opera Cotiæ Vitalis F. ex nobili familia Cotia orti. v. 5. Chunradus v. 14. *dele* Robertum Regem v. 21. quæstiones v. 27. Mastini. Ibid. villarum 203. v. 13. etiam monachus v. 33. Abbatia, 206. A. Regiensis B. Mediolanum D. venerant, E. schismate 208. C. Rainaldum Passerinum Bonacosium, 212. C. depulsa, lintre D. excitavit, 214. D. potitus 216. A. Innocentii E. vir, Ibid. Legatus, 218. v. 25. consenserint. 222. v. 1. Lege. DEORVM DEARVMQVE MONVMENTA. 226. v. 20. Virorum, 227. v. 25. COSSO. 229. v. 3. FIRMIN. A. VIRAE v. 12. SEPVLTVRAE 232. v. 34. Ad S. Rocchum.

In INDICE Rerum, C. Caligarii H. Hilduinus N. Isota, Genebria, V. col. 1. vers. 7. deleatur.



